Est. 77
Tab. 4
N.° 25

PLANTARUM RARIORUM

HORTI

ELTHAMENSIS

TOMUS ALTER.

UNIVERSIDADE DE COIMBRA
JARDIM BOTANICO

A-3-4

MAGNOLIA LAURI FOLIO, SUBTUS ALBICANTE HIST. NAT. CAROL. P. XXXIX. *T. CLXVIII. F.* 205.

AGNA non fit, ſed ſtaturæ humilioris arbor eſt; nam in regionibus natalibus, Virginia & Carolina, ad quindecim & ſedecim tantum pedum altitudinem naſci dicitur, & in Elthamenſi aliiſque Curioſorum hortis vix dimidiam naturalis magnitudinis altitudinem adepta, floribus quotannis ferendis par fuit, ut vel hinc colligere liceret, minus proceram fore arborem. Caudex arbuſcularum, quas vidi, pollicem & amplius craſſus erat, cortice cinereo veſtitus, e quo virgarum inſtar rami longi teretes, e glauco virides, naſcebantur, geniculis tenuibus, inferius longius, ſuperius propius ſibi admotis, diſtincti, quibus hinc inde gemmæ adnaſcuntur fuſcæ & rami quidam minores, in quorum parte ſuperiori folia prodeunt pediculis brevibus nixa, Lauri Indicæ *Aldini* figura, ab initio propius ſibi admota, tenera, læte & dilute virentia, ſuperne glabra, inferne & per margines lanugine ſericea obſita, quæ lanugo poſtea ſenſim perit, hujus autem loco folia ea parte ex albo glauceſcunt, ac ſi pigmento ſubcæruleo oblita eſſent, ſuperiori autem parte folia ſaturatiore virore reſplendent, rigidiora fiunt, & longius tum ab invicem diſtant: inferiora & vetuſtiora folia in ſubluteum, & tandem areſcentia, maculatim incipiendo, vel in purpuraſcentem, vel in rubiginoſum colorem abeunt; quæ vetuſtiora folia tum creberrimis granulis obſita, & veluti rugoſa, corii inſtar, apparent. Venæ foliorum tenues ſunt, a nervo medio ſubluteo oblique in margines productæ. Sapor foliis & ramis eſt aromaticus, talis, qualis in Calamo aromatico obſervatur.

Tam folia, quam flores, ubi primum prodeunt, theca membranacea, ab initio albicante, dein, ubi abſcedit, fuſca obvolvuntur. Florum autem capitula primum oblonga ſunt & cuſpidata, poſtea ea intumeſcunt, ex calyce trifolio & pluribus petalis (octo plerumque numeravi) compoſita; quæ petala lata ſunt & craſſa, concava, verſus baſim contracta, lactea ab initio, per vetuſtatem obſolete gilva, tenuibus quibuſdam lineis, exterius obiter concurrentibus, inſcripta. Singuli vero flores in ſingulis extremis ramulis naſcuntur, ſucceſſive prodeuntes, ita ut pleraque æſtatis parte flores vel præteriti, vel florentes, vel de novo prodeuntes obſerventur. Qui flores vario tempore variam obtinent figuram, a nemine adhuc icone expreſſam; nam quando explicari, & ubi denuo ſe claudere incipiunt, Tulipæ, vel Yuccæ potius florum figuram, i. e. concavam & campaniformem repræſentant; ubi vero plene explicati ſunt flores, roſaceam, Nenupharis ſpecie, æmulantur figuram. Et hæc varia florum figura, tum in icone primaria, tum ſecundariis, floribus nempe ſeorſum deſignatis, in Tabula noſtra expreſſa eſt. Certum aperiendi tempus definire non potui; nunc enim circa veſperam ſenſim explicari & per omnem noctem apertos eſſe obſervavi, nunc ocyus, meridie nempe, aperiri vidi, nunc integro nyctemero hiare, nunc clauſos eſſe obſervavi, antemeridianis autem

horis nulli flores aperti mihi obviam facti ſunt. Ceteroquin ſinguli aliquoties aperiuntur & clauduntur, ſoletque calyx ad ſecundam floris explicationem plerumque decidere, ipſa vero petala non decidunt, ſed in caule areſcunt. Flori non exiguam gratiam affert odor ſuavis & fragrans, Lilium, quod convallium dicitur, exacte referens, ea ſaltem differentia, quod illius magis purus & ſimplex, hujus compoſitus & aromatici quid commixtum habere videatur. Porro apices, embryones ac ſtyli peculiares ſunt huic flori: apices quidem latiuſculi & oblongi ſunt, incurvati, externe læves & convexi, interne concavi & ſtriati, duabus nempe lineis, farina lutea reſperſis, prædiți, quæ lineæ ad baſim fere decurrunt, ita ut inferior brevis pars, farina carens, pro ſtamine habenda ſit, & hæc ſtamina & apices ſeorſum figuræ utraque parte (n. 1. 2. exteriori, 3. 4. interiori) appicta ſunt. Ceterum apices multiplici ſerie coronæ inſtar ex piſtilli baſi naſcuntur, inter quæ capitulum erigitur oblongum, ex pluribus embryonibus ſeu folliculis oblongis tumidis, in medio ſecundum longitudinem ſtriatis, connatum, quorum extremitatibus ſingulis ſinguli inſident ſtyli contorti, cirroſi, ab initio albicantes, dein luteoli, embryones autem e viridi glauceſcunt, qui dein in fructum abeunt coniformem, ex tuberculis oblongis compactum, quorum ſingulis ſingula continentur ſemina phaſeoliformia, e filis per maturitatem ex eorum cavitate pendula, prout videre licet in figura Baniſteri apud Plukenetium, & in Hiſt. Nat. Car. M. Cateſby, quo lectores remitto; hos fructus enim nobiſcum, ob ætatem plantæ minus provectam, nondum tulit.

Plumierus, qui nomen & differentiam hujus generis dedit, fila illa tacet, unde vel non dantur, vel illi non obſervata ſunt in illa ſpecie, quam vocat Magnoliam ampliſſimo flore albo, fructu cæruleo *Nov. Gen. p.* 38. *Tab.* 7. Obſervandum autem a vulgari tulipifera arbore diverſum hoc genus eſſe, cujus differentia in fructu præcipue ſita eſt, & hujus porro ſpecies eſſe, quæ a *Plukenetio* in *Amalth.* recenſentur *p.* 206.

Ceterum prima hujus ſpeciei figura in *Phytogr. Pluk. Tab.* 68. *f.* 4. exhibita fuit, ubi & in *Almag. p.* 379. Tulipifera Virginiana Laurinis foliis, averſa parte rore cæruleo tinctis, coni-baccifera dicitur. Rorem quidem valde improprie dicit Plukenetius, melius nebulam dixiſſet. In figura folia juſto breviora & obtuſiora & flos ſub uno ſaltem ſtatu exhibetur. Cetera Synonyma ſunt:

Laurus Tulipifera baccis rubellis, cono erecto incluſis *Baniſt. Cat. Virg.* ut citat Plukenetius: Laurus Tulipifera, baccis calyculatis *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1690. & Laurus Tulipifera foliis ſubtus ex cinereo aut argenteo purpuraſcentibus *Ejuſd. Ibid. p.* 1798. *n.* 4. At folia ex cinereo aut argenteo cæruleſcunt, non purpuraſcunt, niſi areſcant.

MALVA CAPENSIS FRUTESCENS, GROSSULARIÆ FOLIO MINORI, GLABRO T. CLXIX. F. 206.

FRUTICULUS eſt cubitalis, bicubitalis, & pro ætatis ratione altior, non multum ramoſus, caulibus teretibus lignoſis, non valde craſſis & vix digitum minorem æquantibus, cortice inferius cinereo, ſuperius ſpadiceo, tectis, ſummi autem ramuli vireſcunt, in quibus folia naſcuntur Groſſulariæ, præſertim junioris,

foliis

BIBLIOTHECA DA UNIVERSIDADE

P. 207.

T. CLXVIII.

F. 205.

25737
BIBLIOTECA DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA

Magnolia Lauri folio, subtus albicante H.N.C.

F. 206.

Malva Cap. frutescens, Grossulariæ folio minori, glabro.

F. 207.

Malva Cap. frutesc. Grossulariæ folio majori, hirsuto.



foliis non diſſimilia, & ſimili ratione plura ex eodem principio prodeuntia, ſed minora, glabra, viridia ſuperne, ſubtus nonnihil pallidiora, e quorum alis in pediculis gracilibus flores naſcuntur ſolitarii, pulchri, ſitu ad caulis longitudinem perpendiculari, in quinque obtuſa, modice ſinuata petala, vel ſegmenta verius, diviſi, coloris incarnati, ſtriis ſaturatioribus unguem verſus notati, ipſis unguibus albis, calyce glabro, in quinque latiuſcula ſegmenta ad baſim fere diviſo, excepti, & ligulis anguſtis aliquot (tribus plerumque) verſus pediculum prædiți, qui calyces floribus evanidis ſemina ambiunt plura in orbem digeſta, capſulis hirſutis incluſa.

Auguſto menſe plerumque floret, & licet in multorum hortis a multo tempore reperiatur, a nemine tamen adhuc vel deſcripta vel depicta fuit.

Prima ejus mentio facta fuit a *Peinio in Hort. Boſ.* 1705. & 1712. Alceæ Capenſis Groſſulariæ folio, flore rubro, titulo: in *Cat. anni* 1713. dicta fuit, Malva Africana folio Groſſulariæ, flore minore purpureo. Simile pæne nomen eſt Malvæ Africanæ fruteſcentis, folio Groſſulariæ, flore rubro *Boerh. Ind. Pr. p.* 114. & Malvæ Africanæ fruteſcentis, Groſſulariæ folio, flore minore purpureo *Schwer. Cat. Hamb.* Brevius, Malvæ folio Groſſulariæ, ſive Malvæ Capenſis *Wehm. Hort. Caſp. Boſ.* Denuo dicta fuit, Alcea Africana fruteſcens, folio Groſſulariæ, flore parvo rubro *Boerh. Ind. Alt. p.* 271. *n.* 13.

Malvæ ſpeciem cenſui e floris figura & quod folia non æque ac Alcearum plerarumque folia profunde inciſa ſint.

Malva Africana fruteſcens, flore rubro *Hort. Amſt. Part. II. p.* 171. *fig.* 86: planta, quam noſtra, eſt elatior & robuſtior, floribus nonnihil majoribus, macula latiore & obſoletiore prædiţis, calycis ſegmentis tribus exterioribus majoribus, foliis hirſutia molli obductis, majoribus & minus profunde crebroque inciſis, quamvis ipſæ crenæ acutiores ſint, quam in hac ſpecie.

MALVA CAPENSIS FRUTESCENS, GROSSULARIÆ FOLIO MAJORE, HIRSUTO T. CLXIX. F. 207.

MEDIA eſt hæc ſpecies inter præcedentem, & Malvam Africanam fruteſcentem, flore rubro *Hort. Amſt.* cujus modo mentio facta eſt, caulibus lignoſis craſſioribus (e fuſco rubentibus) & elatioribus, foliis hirſutis, quam illius, latioribus & minus profunde inque ſegmenta latiora diviſis, denticulis vero acutioribus ſerratis. Ceteroquin flores illi ſimiles ſunt, & ſimili ſitu diſpoſiti; calyx etiam ſimilis, niſi quod exterior e laciniis nonnihil majoribus conſtet, interior autem ſubhirſutus ſit. Florum pediculi pone flores geniculati & deorſum aliquantum fracti ſunt, in illa vero ſpecie illi nutant ab initio, breves & non geniculati, poſtea erecti & longiores fiunt, ſed non æque, ac hujus, longi. Malvæ autem Horti Amſtelod. folia, quam hujus, craſſiora, magis rugoſa, mollia & magis villoſa ſunt, latiora minuſque inciſa, nec Groſſulariæ æque ſimilia, denticulis, quam in hac noſtra, minus acutis. Præterea florum petala aliquanto ampliora ſunt, maculis ſaturatioribus & obſcurioribus notata, florum pedioli breviores & non geniculati, ſegmenta calycis exteriora majora & ipſi calyces magis hirſuti ſunt. Ceterum utriuſque ſemina capſulis hirſutis includuntur; & hujus quidem ſpeciei capitula matura

figura

figura prima, ſecunda & tertia capſulæ, quarta ſemina ſeorſum delineata ſunt. Circa Auctumnum floret.

Malva Africana fruteſcens, flore parvo carneo, unguiculis atro-rubentibus *Pluk. Amalth. p.* 140. *Tab.* 431. *f.* 5. cui eadem, Malva fruteſcens Prom. Bon. Spei, flore carneo, fundo purpureo *Muſ. Pet. num.* 658. nec ad hanc, nec ad illam noſtras, ſed ad Malvam Africanam fruteſcentem, flore rubro *Hort. Amſt.* referri debet. Notandum autem non tam fundum & ipſos ungues, quam ſegmenta floris inter ungues & mediam petalorum partem maculata eſſe.

MALVAVISCUS ARBORESCENS, FLORE MINIATO CLAUSO T. CLXX. F. 208.

PROUT Androſæmum ad Hypericum, Cacubalum ad Alſinen, ita hoc genus ſe habet erga Malvam.

Fruticis vel arbuſculæ ſpecie, decem, duodecim & amplius pedum altitudine excreſcit hæc planta, caudice recto, digitum & amplius craſſo, æquali, ſeu ad radicem non multo craſſiori, quam eſt in medio, parum ramoſo, cortice e cinereo ſpadiceo tecto, ſubſtantia intus fungoſa, ſemi-lignoſa, cujus ſummo in ramis palmaribus pedalibuſque alterna ſerie naſcuntur folia mollia, Althææ ſimilia, ſed minus incana, & e foliorum alis in pediculis brevibus flores pulchre miniati, in coccineum vergentes, ſurrecti, in ſe ſpiratim ſiniſtroverſus voluti, nec ullo, quantum adhuc obſervavi, Solis calore ſe aperientes, qui, ubi manus ope explicantur, (vid. fig. 1.) e quinque petalis obtuſis, ad baſim connexis & monopetalum florem efficientibus, conſtare deprehenduntur, quæ id peculiare habent, quod ad ungules proceſſum ex altera parte in alteram habeant inflexum, ut veluti auriculata inde fiant petala. E floris medio ſtylus prominet oblongus, apicibus obſcure purpurantibus in ſummo cinctus, ſupra quos ipſe ſtylus in quinque lacinias piloſas terminatur. Flos in fundo perforatur, ut ſtylum tranſmittat, ipſe autem fundus floris embryonem, ut in Malvis, cingit, & utriculo veluti fovet.

Floribus evanidis (qui exaridi toti decidunt) fructus ſubnaſcuntur globoſi, ab initio virides, per maturitatem e coccineo corallini coloris, quinque ſuperficialibus inciſuris in umbilico notati. Hi vero fructus baccæ veræ ſunt, in pulpa molli ſemina quinque anguloſa, dura, calloſa, Oxyacanthæ fere ſimilia, continentes. Inter ipſa ſemina tantillum interſtitii & nulla fere pulpa intercedit, nec membranas advertere potui in maturo fructu, eum diſtinguentes, ſed pulpæ quid ſimile, quod officula ſeparat, reliqua vero pleraque pulpa exterius circa ſemina locatur. Diſſectis officulis nuclei comparent ſpadicei, figura reniformi. Officula vel ſemina, qua membranam fructus reſpiciunt, elevata & rotundata ſunt, qua vero ſe invicem contingunt, compreſſa, angulata, fereque triquetra obſervantur.

Calyx duplex eſt, exterior anguſtior, in ſeptem, octo & novem lacinias ad baſim uſque diſſectus, interior latior, in quinque tantum per ſummitatem ſegmenta (quæ rurſus bifida ſubinde ſunt) diviſus, qui calyx interior, ubi fructus grandeſcit, ad fundum uſque in partes aliquot rumpitur, ut n. 2. & 3. monſtrat, ubi fructus integer etiam comparet, figura autem 4. fructus diſſectus, figura 5. & 6. officula aut ſemina ſub diverſa facie, figura 7. officulum diſſectum, figura 8. nuclei exhibentur.

Flores

P. 210.

T. CLXX.

F. 208.

Malvaviſcus arboreſcens, flore miniato clauſo.



Flores ſub auctumnum profert, in regionibus ubi ſponte naſcitur. Apud nos vero toto pæne anno floret. Folia hyeme decidunt, ſed mox renaſcuntur, & plantæ convenienti Hibernaculo aſſervatæ, ubi verno tepori exponuntur, mox denuo in flores erumpunt, quos ſatis diu oſtentant, novis floribus veteribus ſuccedentibus.

Planta eſt Mexicanæ originis & deſcribitur ac depingitur in *Hiſt. Mex. L.* 4. *C.* 22. *p.* 117. Atlat Zopillin, ſeu Aquoſæ herbæ appenſæ titulo, ſed rudiore Minerva. Quæ ibi de fructu, ternis capitulis triangulis conſtante, habentur, ſpuria videntur & a quodam ad figuram reſpiciente adjecta exiſtimo. Flores nempe inferiores marceſcere incipientes, in faſtigiis contracti, veluti globoſi & trianguli pinguntur, qui fructus ſpecie impoſuerunt Reccho, cum ſtylus flores ſupereminens florem eſſe docere poterat. Ceterum fructus ibi dicitur cibo idoneus: radix, quæ craſſa & rubeſcens, in fluxu ventris, urinæ ardore & retentione, nec non ad oculorum inflammationes laudatur, ſi nempe aqua, in qua farina radicis ſtipitiſque infuſa fuerit, uſurpetur.

Plukenetio Almag. p. 14. *Tab.* 257. *fig.* 1. eſt Alcea Indica arborea, folio molli, flore amplo, eleganter coccineo. Male dicit flores amplos, mediocris enim ſunt magnitudinis, oblongi & ſemper clauſi. Male etiam depingit flores & calyces; flos nimis brevis eſt, omiſſa ſpirali convolutione; calycis ſegmenta & diſtinctiones non exprimuntur. Melius dicitur Althæa Americana coccinea, flore clauſo Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Tom. III. App. p.* 241. *n.* 63. quamvis proprie Althææ ſpecies non ſit.

Obſervandum an Adamboe *Hort. Mal. Part. IV. Tab.* 20. 21. *p.* 45. quæ Alcea Indica arborea pericarpio carnoſo in plura loculamenta partito *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1902. & Katou-Adamboe *Hort. Mal. Part. IV. Tab.* 22. *p.* 47. quæ Alcea Indica arborea elatior, pericarpio carnoſo ſubaſpero *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1902. ad hoc genus referri queant. Figuræ non ſatisfaciunt, nec deſcriptiones adeo exactæ ſunt, ut, non viſis ipſis plantis, veras hujus generis ſpecies pronuntiare audeam.

MALVINDA BICORNIS, BALLOTES FOLIO MOLLI T. CLXXI. F. 209.

MALVINDA eſt plantæ genus flore monopetalo, Abutili æmulo, ſed in eo diverſo, quod petala, vel potius ſegmenta ejus, in medio ſinuata & per margines velut arroſa ſint, fructus autem differt ab Abutilo, Malva & reliquis hujus cenſus, quod capſulæ pauciores ſint, quinque nempe, ſex, ad decem tantum, & ita conjunctæ, ut nullam fiſſuram relinquant, unumve & integrum veluti vaſculum conſtituant, quamvis plena maturitate a ſe invicem abſcedant, in quibus continentur ſemina ſolitaria (Abutilon plura uno plerumque ſemina habet in ſingulis capſulis) non reniformia, ut Abutili, Malvæ, &c. ſed fere triquetra, parte exteriore in dorſum elevata, interiore utrinque complanata & in acutum angulum producta. Capſulæ nunc unicornes, nunc & plerumque bicornes ſunt, aut ſi cornicula iis deſint, horum loco eminentiæ quædam protuberant. Ceterum in quibuſdam ſpeciebus capſulæ tranſverſa fiſſura verſus baſim ab exteriori parte dehiſcunt

& ſemina emittunt; in aliis vero, quantum adhuc obſervare potui, non aperiuntur. Calyx plane ſimplex eſt, ne ligulis quidem ad baſim præditus, monophyllos nempe, in quinque ſegmenta ad medium vel paullo ultra diviſus.

Cubitales & ſeſquicubitales huic ſpeciei ſunt caules, teretes, culmum craſſi, piloſi, virentes, e quibus ab imo ad ſummum ramuli breviores & pauciores, quam in ſequentibus, naſcuntur, piloſi etiam, & in his folia oblongis pediculis naſcuntur, Ballotes foliis proxime ſimilia, craſſiuſcula, dilute virentia, ſubtus nonnihil pallidiora, molli hirſutia ubique, parte præcipue averſa, obſita, per ambitum dentata, inferius quidem & in media caulis & ramorum parte latiora & nonnihil angulata, ſuperius angulis deſtituta, venis obliquis, a nervo medio prodeuntibus, exarata, e quorum alis ſurculi foliati breves naſcuntur, & unus alterve flos, pediculo tenui tereti brevi hærens, ceteri vero flores, qui in memoratis ſurculis naſcuntur, plures ſunt, juxta ſe orientes, donec ramuli illi elongentur & folia longius ſecedant, ubi flores & capitula etiam longius diſtare ſolent. Ceterum flores pallide & obſolete luteſcunt, majores, quam ſequentium, in quinque tenera & teneriter ſtriata ſegmenta ad unguem uſque diviſi, altera in ſingulis ſegmentis lacinia, quam altera, nonnihil breviore, e quorum medio in tenui brevique columna ſtamina oriuntur plura tenuia, primum erecta, dein deflexa, apicibus parvis croceis terminata. Ad foliorum & florum pediculorum ortum ligula pertenuis, (utrinque una) naſcitur.

Floribus, qui circa meridiem tantum explicantur & brevi pereunt, evanidis pediculi longiores fiunt, & ſemina in capitulum congeſta ferunt, calyce tecta ex rotundo quinquangulari, in quinque latiuſcula brevia ſegmenta (abſque ligulis adnatis) ad medium uſque diviſo. Capſulæ & ſemina ab initio connata ſunt & unum veluti vaſculum conſtituunt, per maturitatem vero ab invicem ſecedunt, ſubcinereæ, rugoſæ, in quibus ſemina continentur fuſco-nigra, parte exteriori rotundata, interiore utrinque in acutum angulum compreſſa. Capſulæ hæ & ſemina denarium plerumque numerum habent ad ſingulos calyces, & capſulæ hæ firmius ſemina retinent, licetque per maturitatem fiſſuram habeant in ſummitate, ea tamen in tantum non dehiſcit, ut ſemina emittat, immo nec ad baſim rumpi videntur capſulæ in hac ſpecie. Ceterum eæ longius, quam aliæ, quæ mihi innotuere hujus generis ſpecies, crinitæ ſunt.

Particulam tantum hujus olim pro charactere monſtrando deſignaram, Tabula CLXXVI. qua Melochia exhibetur, conſpiciendam, quoniam & apud Plukenetium & in Horto Malab. figuratam noram, dein quum nec particula illa, nec figuræ illæ ſatisfacerent, accuratiorem figuram feci. Ceteroquin ſeorſum capitula figura prima, ſecunda, 3. 4. capſulæ, 5. 6. 7. ſemina in utraque Tabula exhibentur.

Annua eſt planta, Julio & Auguſto, quin & ſerius, pro ſationis ratione, florens.

Dicitur *Pluken. Alm. p.* 25. *Tab.* 131. *fig.* 2. Althæa Maderaſpatana ſubrotundo folio molli & hirſuto, multipilis, ſive ſeminibus ad apicem crinitis, ubi ſuſpicatur Katu-Uren *Hort. Mal. Part. X. Tab.* 54. *p.* 107. hujus loci eſſe, in *Mant. vero p.* 10. ſubdubitat & Katu-Uren potius ad Althæam ſuam roſtratam Cormandelienſem, Pimpinellæ majoris folio ſubrotundo, referendam putat. Ego vero non dubito quin hujus potius loci ſit; licet enim Plukenetius folia rotundiora pingat, quam in Horto Malabarico & quam nos obſervavimus, vidimus tamen in eadem

F. 209.

F. 210.

Malvinda bicornis, Ballotes folio molli.

Malvinda bicornis, Sanguisorbæ folio villoso.



dem planta & folia longiora & breviora, & ſiccam vidimus, ex Zeylona a P. Hermanno allatam, cum foliis rotundioribus, Plukenetii figuræ reſpondentem, & aliam habemus ex eadem Inſula cum foliis aliquantum longioribus. Obſervandum autem in figura Horti Malab. caulem juſto craſſiorem exhiberi & abſque pilis, licet piloſi in deſcriptione dicantur ſtipites. Porro flores & vaſcula, ceu & in figura Plukenetii, pinguntur ſolitaria, (cujuſmodi & obſervavi in plantis ſiccis ex India Orientali delatis) in deſcriptione vero recte obſervatur binos, ternos & plures, vel etiam ſolitarios naſci flores e foliorum alis, nempe in ſurculis illis junioribus, ut ſupra demonſtratum, congeſti naſci videntur flores, qui dein, prouti elongantur, longius ab invicem ſecedunt. Folia tam in Horti Mal. quam Plukenetii figura angulis illis carent, nec ſane ſicca & ſpontanea ſpecimina eos monſtrant, ſuntque in virente tantum & in Horto culta planta conſpiciendi, quamvis nec in hac admodum obſervabiles ſint.

In *Muſ. Zeyl. p.* 42. dici videtur, Alcea Indica minor, ſemine leviter criſpato; non enim alia, quam hæc, nota eſt, quæ iſtiuſmodi ſemina habeat. Alias ex Zeylona Inſula ſemina nomine Alceæ Zeylonicæ Althææ folio, flore luteſcente, ſemine duplici ariſta donato a D. Hertog ad Amicos in Batavia & ab his in Angliam miſſa fuerunt. Accepimus etiam alio tempore ex Hollandia, titulo Alceæ Carpini folio lanuginoſo, flore luteſcente, ſemine duplici ariſta donato. Verum folia parum habent ſimilitudinis cum Carpini foliis, ut nec multum cum Althæa, dempta molli hirſutia.

Phytophylacium Sherardinum habet Althæam Orientalem bidentem, ſubrotundis foliis, floribus parvis luteis: *Chittee-Mootee* Malabarorum *Pluk. Amalth. p.* 11. *Tab.* 356. *f.* 1. quæ eſt Althæa Madraſpatana lutea, piloſa bidens Pet. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 241. *n.* 64. tantopere noſtræ ſimilem, ut merito dubium videatur, an ſpecie differat. Nam folia in iiſdem ſpeciminibus ſiccis ſunt rotunda & oblonga, nec alia differentia eſt, quam quod minora ſint, quod accidentarium eſt. Capſulæ quidem in utraque eædem, rugoſæ nempe & ſubcinereæ. Quod nomina Malabarica *Katu-Uren* & *Chittee-Mootee* attinet, novum non eſt, diverſas iiſdem plantis in eadem etiam regione per omnem terrarum orbem denominationes obtingere. Ceteroquin tam hæc, quam illa Plukenetii figura ad ſiccam facta floribus caret, pediculos tantum & calyces habet, eoſque abſque ramulis e foliorum alis naſcentes.

Althæa roſtrata fruteſcens, orbiculari fere folio, flore luteo Indiæ Orientalis *Pluk. Alm. p.* 26. *Tab.* 132. *f.* 2. folia habet hujus ſpeciei inſtar mollia, ſed caules non æque piloſos, magis vero lignoſos, & flores plures minores e foliorum alis brevioribus pediculis hærentes. Althæa vero morifolia Indiæ Orient. ad foliorum ſinus capitulis ſingularibus parvis *Pluk. Alm. p.* 25. *Tab.* 132. *f.* 1. a noſtra diſtinguenda caulibus gracilioribus non piloſis, foliis hirſutis, minime mollibus.

" Tota planta aquæ incocta diuretica dicitur: radix in pulverem redacta & " cum pipere aſſumpta algidam deprimit febrem;" verba ſunt Horti Malabarici.

MALVIN-

MALVINDA BICORNIS, SANGUISORBÆ FOLIO VILLOSO, ET MALVINDA BICORNIS, SANGUISORBÆ FOLIO GLABRO T. CLXXI. F. 210.

ANNUA eſt planta, plerarumque hujus generis inſtar, cubitalis & ſeſquicubitalis, altiorve, caule recto tereti, nunc virente, nunc e fuſco rubente, plures mox ab imo ramos pedales & bipedales teretes ſubhirſutos emittente, oblique in latera verſos, in quibus & ad ramulorum minorum alas folia naſcuntur inferius ampliora & rotundiora, ſuperius anguſtiora, figura foliorum partialium Sanguiſorbæ vulgaris majoris, ſed non conſiſtentia, plane enim & magis adhuc, quam præcedentis, mollia, & tenuiſſimo villo (tactu tamen potius, quam viſu, percipiendo) obſita ſunt, venis aliquot obliquis exarata, coloris ex viridi in pallide glaucum vergentis, ceteroquin crenis per ambitum concinnis, Sanguiſorbæ inſtar, inciſa.

Flores e foliorum alis pediculis gracilibus naſcuntur ſolitarii, parvi, candicantes, hiulci, monopetali, in quinque ſegmenta ſinuata, ex altero latere deliquium patientia, (ſeu altera ſegmenti lacinia, velut in reliquis ſpeciebus, altera nonnihil breviore) & per margines inæqualiter inciſa & velut arroſa, diviſi, e quorum centro ſtamina aliquot plura ſurriguntur, brevia reflexa, apices parvos croceos gerentia. Flores tenuem quandam glaucedinem candori commixtam habent, teneriter ſtriati (ſtriis nullo colore diſtinctis) & valde teneri & fugaces ſunt, nam non niſi ad meridiem, idque per aliquot ſaltem horas, a duodecima nempe ad ſecundam pomeridianam, explicantur. Ceterum plura e ramulis junioribus capitula naſci videntur, verum ubi ramuli illi elongantur, capitula ab invicem removentur, & ſingula ſaltem e ſingulis foliorum alis naſcuntur. Calyces in quinque latiuſcula ſegmenta dividuntur, & tam ante flores, quam poſt eos ſegmenta illa connivent & capitula quinquangularia efficiunt. Capſulæ in his continentur quinæ, in capitulum ab initio preſſe junctæ & velut unitæ, per maturitatem ab invicem abſcedentes, e fuſco nigricantes, &, aliarum hujus generis inſtar, in duo cornicula abeuntes, e quibus ſemina ab inferiori parte tranſverſa fiſſura excidunt, ex rotundo trigona, nigricantia. Tota planta licet molli villo obducta ſit, non tamen pilos aliquot habet, niſi ad foliorum pediculos & calycum oras, eoſque pertenues & vix obſervabiles.

Seorſum numero primo flos, ſecundo capſulæ immaturæ in capitulum conjunctæ, tertio, 4, 5. 6. eædem ſejunctæ & maturæ vario ſitu, 7. 8. & 9. ſemina vario item ſitu exhibentur, 10. folium inferius deſignatur.

Junio Julioque menſibus floruit, & ſemina dein perfecit, quibus perfectis interiit, nata e ſeminibus Bengalenſibus a P. Collinſon communicatis.

A præcedenti & aliis ſpeciebus foliorum figura & delicata mollitie, floribuſque candicantibus, facile diſtinguitur hæc ſpecies.

Alia porro ex iiſdem ſeminibus nata fuit ſpecies, huic in omnibus ſimilis, nec ab ea diſtinguenda, niſi quod folia eſſent glabra, & molli illo villo deſtituta, flores vero nonnihil majores viderentur, colore præditi luteolo. Ceterum tota planta minus ramoſa & minus alta videbatur. Hæc nobis dicitur, Malvinda bicornis Sanguiſorbæ folio glabro, cujus figuram, tanquam non neceſſariam, omittimus.

Althæa

Althæa roſtrata Cormandelienſis, Pimpinellæ majoris folio ſubrotundo, ſemine bicorni *Pluk. Alm. p.* 26. *Tab.* 9. *f.* 3. vel huic, vel illi eadem videtur. In *Inſt. Rei Herb. p.* 96. dicitur, Malva Indica, foliis ſubrotundis. Verum Plukenetius Pimpinellæ folio ſubrotundo dixerat, ad differentiam Althææ ſuæ Virginianæ bidentis, Pimpinellæ majoris acutiore folio, floſculis minimis luteis *Alm. p.* 25. *Tab.* 9. *f.* 6.

Quoniam vero hoc genus plantas Malvas Indicas dixerat Tournefortius, ideo jam olim, ut a veris Malvis diſtingueret G. Sherardus, in ſuo Phytophylacio Malvindas nuncupavit, veluti illi Cardamindum dicitur, & peculiare plantæ genus deſignat, Naſturtium vulgo Indicum vocatum.

MALVINDA STELLATA ALNIFOLIA
T. CLXXII. F. 211.

EX iisdem ſeminibus Bengalenſibus alii fruticuli nati ſunt cubitalis, cum florerent, quod Octobri demum menſe, eodem poſt ſationem anno, contigit, altitudinis, caule ſublignoſo, tereti, calami olorini inferius craſſitie, cortice ſubfuſco & ex fuſco ad rufum vergente tecto, plures ab imo ad ſummum usque in latera tenſos emittente ramos ſubhirſutos, pedales & ſeſquipedales, e quibus alii breviores prodibant, ſecundum quorum longitudinem e foliorum alis plures (tres, quatuor & quinque) congeſti naſcebantur flores parvi, ſaturanter lutei ſeu crocei coloris (vix ſtriati) petalis hiulcis & altera marginis extremitate, ut ceteræ ſpecies, breviori prædiți, ſtaminibus & apicibus in medio concoloribus, minus, ac in Malvis, numeroſis & e columna breviori & tenuiori orientibus, velut in ceteris hujus generis ſpeciebus ſolet fieri, quibus calyx pro involucro inſervit ſimplex, ad ſui uſque medium in quinque lacinias diviſus.

Fructum nobiſcum non perfecit, quoniam nimis ſero floruit, plantæ autem ſpecimina ſicca ex India delata fructus in pediculis tenuibus uncialibus habent depreſſos ſubrotundos, e capſulis unitis glabris non ariſtatis, ſed in medio, qua coëunt, ſtella nunc hexagona, nunc heptagona prædițis, conflatos, quæ dein per maturitatem in totidem partes ſeu capſulas, quot radii fuerunt, abſcedunt, & in extremitate, quæ ſtellam effecerat, biſulcatæ fiunt, ſulco tamen exiguo connivente, & ſemina, ut videtur, non dimittente. Itaque corniculis plane non deſtituitur hæc ſpecies, ſed multo brevioribus, quam aliæ, gaudet, nec, niſi poſtquam capſulæ ab invicem ſeceſſerunt, eæ obſervabiles ſunt. Semina in his continentur parva, ex fuſco nigricantia, ſubtriquetra, in extremitate nonnihil mucronata, quæ ſemina ſeorſum vario ſitu figuris 3. 3. 3. figuris 2. 2. 2. capſulæ ſejunctæ, 1. 1. unitæ ſeu fructus ſtellatus exhibentur.

Folia in junioribus plantis ampliora ſunt (altero tanto majora, quam figura noſtra habet) & obtuſiora, Alni foliis ſatis ſimilia, ſed non glutinoſa nec glabra, quæ dein in plantis florentibus minora fiunt, & minus retuſa, ſolentque quæ in extremis ramulis naſcuntur ceteris non tantum longe minora, ſed & anguſtiora, fieri. Ceterum folia ſuperne ſaturanter virent & nonnihil ſplendent, inferne ſubincana ſunt, molli hirſutia obſita, ſed adeo tenui, ut vix advertatur, multo certe minus, quam in duabus præcedentibus, obſervabili. Perennis eſt hæc ſpecies, & flores, quam aliæ, liberius & copioſius profert.

Ex varia hac foliorum facie varia ſortita fuit hæc ſpecies nomina & diverſarum ſpecierum origini immerito anſam dedit. Nam in junioribus plantis, ubi folia ampliora, retuſa & in medio ſubinde ſinuata ſunt, dicta fuit, Alcea Zeylanica folio latiori cordiformi *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 12. ubi breviſſime deſcribitur, & radix perennare dicitur; cujus ſynonyma ſunt, Malva Indica fruteſcens, folio cordato *Par. Bat. Prodr. p.* 350. Althæa Indica, latiori folio cordiformi, ad ſummum ſinuato *Pluk. Alm. p.* 26. *T.* 9. *f.* 2. Malva Indica, folio cordiformi *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 96.

Si folia non ſunt ſinuata, dicta fuit, Malva incana fruteſcens, Alni folio *Par. Bat. Prodr. p.* 350. quo pertinet Althæa Indica, ſplendente folio Alni ſubrotundo *Pluk. Alm. p.* 24. & Alcea Indica, Alni rotundo viridique folio non cordato *Raj. Hiſt. Tom. III. p.* 324. *n.* 7. nec obſtat, quod alius viridia, alius incana, alius ſplendentia folia dicat, ſuperne enim viridia & in virente planta nonnihil ſplendentia, inferne autem ſubincana ſunt. Si vero facie ſit ordinaria prædita, eo referri debet, Alcea Madraſpatana ſtellata, Carambu vulgaris facie Pet. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Tom. III. App. p.* 241. *n.* 49. & Althæa minor, ſubrotundo Ulmi folio, Madraſpatana: *Warra-Ccngee* Malabarorum *Pluk. Amalth. p.* 11: ſub quo nomine ſpecimina ſunt ex India miſſa in Phytophylacio Sherardino, figuræ noſtræ reſpondentia. Alio tempore miſſa ſunt *Warra-Chundy* & *Warra-Conjy* titulo, & dein *Conjy-pundoe* nomine. Ceterum cur Carambu facie dicat Petiverus, ignoro; parum enim ſimilitudinis ipſi cum Carambu ſpeciebus, de quibus in *Horto Mal. Part. II. p.* 95. *& ſeqq.* agitur, intercedit. Petiverum autem eandem nobiſcum deſignare plantam, certo mihi conſtat, cum ſpecimen ab ipſo communicatum ſub dicto nomine ſervetur in Phytophylacio Sherardino.

Althæa roſtrata fruteſcens, orbiculari fere folio, flore luteo Ind. Orient. *Pluk. Alm. p.* 26. *Tab.* 132. *f.* 2. foliis mollioribus & ad baſim latioribus a noſtra differt ſpecie & diverſa eſt planta.

MALVINDA UNICORNIS, FOLIO RHOMBOIDE, PERENNIS T. CLXXII. F. 212.

FRUTESCIT & perennis eſt hæc ſpecies, caulibus ligneſcentibus, digiti minoris verſus baſim craſſitiei, cortice ſubhirſuto, e fuſco cinereo, tenuiter ſtriato, veſtitis, e quibus ab imo ad ſummum oblique ſurrecti naſcuntur rami tenuiores (culmum craſſi) virentes, ſubhirſuti, foliis præditi oblongis, in medio latioribus & rhomboidalibus, glabris & nonnihil ſplendentibus parte ſuperiore, inferiore non ſplendentia, pallidiora & ſubglauca, e quorum alis ſurculi foliati breves naſcuntur, ſimilibus, ſed minoribus, foliis veſtiti, juxta quos in oblongis, verſus extremitatem, ut in aliis ſpeciebus, geniculatis pediculis gracilibus naſcuntur capitula ab initio angulata, dein rotundiora, in quinque ſegmenta ad medium uſque diviſa, quibus flores continentur lutei, mediocri magnitudine præditi, & his præteritis pediculi longius ſuccreſcunt & capitula ſeminalia apparent, ex decem plerumque capſulis latiuſculis, glabris, compoſitæ, unico tantum corniculo, ſeu ariſta, præditis, in quibus ſemina continentur, parte interiori compreſſa, angulata, exteriori rotundata, e pullo nigricantia. Capſulas has aperiri non obſervavi, quæ ſeor-

ſum

F. 212.

F. 211.

Malvinda unicornis, folio rhomboide, perennis.

Malvinda stellata alnifolia.



ſum figura marginali 1. 2. & 3. ſemina vero fig. 4. 5. 6. vario ſitu appinguntur.

Alcea Carpini folio Americana fruteſcens, floſculis luteis, ſemine duplici roſtro donato *Hort. Amſt. Tom. I. p.* 3. *f.* 2. florum pediculis curtis, ſemine bicorni, foliis ad baſim latioribus, non rhomboidalibus, & quod annua planta ſit, a noſtra differt.

Malva Ulmifolia, ſemine roſtrato *Inſt. R. Herb. p.* 96. ſemine unicorni cum noſtra convenit, differt foliis anguſtioribus, minus glabris & non ſplendentibus, ſubtus villoſis, & quod annua planta ſit.

Ceterum præter has ex *Inſt. R. Herb.* & *Horto Amſtel.* modo nominatas ſpecies, ad hoc genus referri debent, (1) Althæa roſtrata fruteſcens, orbiculari fere folio, flore luteo Indiæ Orient. *Pluk. Alm. p.* 26. *Tab.* 132. *f.* 2. (2) Althæa morifolia Indiæ Orient. ad foliorum ſinus capitulis ſingularibus parvis *Ejuſd. Ibid. f.* 1. (3) Althæa Virginiana bidens, Pimpinellæ majoris acutiore folio, floſculis minimis luteis *Ejuſd. Ibid. Tab.* 9. *f.* 6. (4) Althæa fruticoſa minor Gangetica, foliis exiguis, margine ſpinoſis *Ibid. f.* 4. (5) Althæa minima ſurrecta, Veronicæ foliis villoſis e Madraſpatan *Ejuſd. Tab.* 132. *f.* 3. cui eadem videtur, Althæa minima procumbens, Chamædryos foliis, denſa hirſutia obductis *Tab.* 334. *f.* 4. (6) Althæa Cormandeliana anguſtis prælongis foliis, ſemine bicorni *Ejuſd. Mant. p.* 10. *Tab.* 334. *f.* 3. (7) Alcea Curaſſavica villoſa, aſpera, Melonis folio *Par. Bat. p.* 9. (8) Alcea Madraſpatana major, folio trilobato, calyce plumoſo *Petiv. Muſ. n.* 745. (9) Alcea Madraſpatana, apice lunato Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Tom. III. App. p.* 241. *n.* 50. cujus figura in Plukenetii Phytographia *Tab.* 120. *f.* 4. Rhamni cordatis foliis ſubtus cæſiis, titulo. (10) Alcea Madraſpatana, Galeopſidis facie Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Tom. III. App. p.* 241. *n.* 48. Et plures aliæ ſpecies, tum in dicto Phytophylacio, tum apud Herbariæ rei Scriptores occurrentes, quas, quoniam de iis non tam certo, quam de præcedentibus, conſtat, omitto.

MANIHOT FOLIO TENUITER DIVISO
T. CLXXIII. F. 213.

AD hoc genus, cujus ex obſervatione Plumieri characterem dedit Tournefortius Inſt. Rei Herb. App. p. 658. referendæ mihi videntur, Ricinoides arbor Americana, folio multifido *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 566. *pro* 656. Ricinoides Amer. Goſſypii folio, & Ricinoides Amer. Staphiſagriæ folio *Ejuſd. Ibid.*

Primam primæ, de qua nobis hic ſermo, ſpeciei, cum fructus tantum deſcriptus fuerit, deſcriptionem & figuram exhibuit *Jac. Breynius Cent. Rar. Plant. p.* 116. Ricini Americani tenuiter diviſi nomine, ſed junioris tantum plantæ & abſque floribus figuram dedit, quos flores quotannis in Horti Elthamenſis Caldariis vario tempore, modo verno, modo æſtivo, modo auctumnali, proferre ſolet, coccineos, umbellatim diſpoſitos, ab initio campaniformes, dein, ubi plene expanſi ſunt, roſaceos, e quinque petalis obtuſis (pentapetali videntur, vel pentapetaloides ſaltem) & quinque (ſubinde pluribus) ſtaminibus brevibus purpureis, apices oblongos croceos gerentibus, conflatos, calyce monophyllo, in quinque breves lacinias diviſo, exceptos, pediculo communi prælongo & foliorum pediculis longiore

longiore, tereti, ex contraria foliorum pediculi parte enaſcente, nitentes. Et hos flores nulli ſubſequuntur fructus, alii vero ſunt flores ſtaminibus & apicibus deſtituti, embryone ex rotundo trigono & ſtylo brevi capitato triplici præditi, qui flores in eadem umbella hinc inde ad pediculorum divaricationes naſcuntur, ſeſſiles, rariores multo, quam illi maſculi; quos ſeorſum, nempe num. 6. maſculos, num. 4. fœmininos, n. 5. embryonem cum ſtylo, n. 3. ſtamina, n. 2. petala florum, n. 1. calycem expreſſos vide.

Planta ipſa arbor, immo nec frutex, proprie non eſt, ſed ob altitudinem ſaltem arboreſcens dicitur. Ad octo vero & plurium pedum altitudinem aſſurgit, ſtipite recto, fungoſo-lignoſo, in ramos aliquot verſus ſuperiorem partem abeunte, in quibus folia naſcuntur in orbem panſa & horizontaliter locata, in novem plerumque folia partialia radiatim poſita, & multis utrinque laciniis diſſecta, diviſa, glabra, ſupina parte ſaturanter viridia, prona glauca, nervis albicantibus diſtincta, pediculis palmaribus teretibus glaucis innaſcentia, ad quorum baſim utrinque e tenui brevique pediculo filamenta aliquot bifida & trifida naſcuntur, ſpinularum ſpecie, ſed mitia. Rami & foliorum pediculi præciſi liquorem manant limpidum, viſcoſum, amarum & acrem.

Synonyma recenſentur in Inſtit. Rei Herb. & in Cat. Jam. p. 40. quibus addi poſſunt: Avellanæ purgatrices, ſeu Ben magnum *Tradeſc. Muſ. p.* 26. & Ricinus Auſtriacus flore phœniceo *Ibid. p.* 161. Ben magnum Medicorum vulgo *Worm. Muſ. p.* 187. Ricinus Americanus, tenuiter diviſo folio Breynii *Raj. Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 167. *Hiſt. Ox. Part. III. p.* 348. *n.* 11. Ricino affinis, tenuiter diviſo folio *Ibid. Sect. X. Tab.* 3. *fig.* 11. *ſer.* 3. (ic. Breyn.) cui eundem habeo, Ricinum Sirinamenſem, foliis radiatis amplis, ad centrum pæne diviſis, fructu ficiformi *Ejuſd. Hiſt. Part. III. p.* 348. *n.* 10. (deſcr. propr.) Ricinus fructu maximo, Gros pignons d'Inde *Pomet. p.* 226. Jamahen Indorum, Ricinus perilluſtris coralloides, pomo tricocco, folio palmato ſubincano & profunde laciniato *Surian.* Medecinier de la ſeconde eſpece *Labat. Itin. Tom. III. p.* 101. ubi breviter deſcribitur.

Fructus nuclei purgant, ſed nimis valide, & licet mitiores dicantur, quam Ricinoidis Americ. Goſſypii folio *Tourn.* tamen eorum uſus tutus non eſt. Acriores nucleis ſunt membranæ eos obvolventes, immo virulentæ. Mitiora ſunt folia, quæ, Labat referente, acetariis parce a quibuſdam purgationis gratia in Americanis Gallorum Inſulis permiſcentur.

MARRUBIUM FOLIO ROTUNDO, CANDIDISSIMO

BOERH. IND. ALT. P. CLVI. N. II. *T. CLXXIV. F.* 214.

SUB hoc nomine ex Horto Lugduno-Batavo in Elthamenſem pervenit Marrubium hoc, cui caules pedales & ſeſquipedales, inferiori parte humifuſi, ſuperiori ſurrecti, obtuſe quadrangulares, villoſi, quibus folia adnaſcuntur rotunda, inferius majora, ſuperius minora, craſſa, valde rugoſa & villoſa, e dilute virente caneſcentia.

Flores in ſummis caulibus & ramulis naſcuntur in verticillos denſos congeſti, candidi, galea ſurrecta reflexa, obtuſiore quam in aliis ſpeciebus, labio inferiori tripartito, ſegmento medio integro, quam lateralia obtuſiore & aliquantum latiore

F. 213.



Manihot folio tenuiter diviso.



Marrubium fol. rot. candidiss. Boerk. *Marr. H. supin. fol. seric. argent.* T.

tiore. Calyces villoſi ſtriati, in quinque acuta ſegmenta pæne æqualia (tria ſuperiora reliquis nonnihil breviora ſunt) dividuntur, ſeſſiles, ſeu pediculis deſtituti, quos exterius plurima capillacea folia cingunt. Julio & Auguſto floret, perennis, ut ceteræ ſpecies, planta.

Figura marginali prima, ſecunda & tertia flores ſeorſum, quarta & quinta calyces appicti ſunt.

Quæritur in Indice Horti Lugduno-Batavi, an ſit, Marrubium album candidiſſimum & villoſum *Tourn. Inſt. R. Herb. Coroll. p.* 12? quæ quæſtio repetitur ad Marrubium folio candidiſſimo, orbiculari craſſiſſimo *p.* 157. *n.* 7. Hinc non immerito ſuſpicari liceat, eandem plantam bis ibi poni. Nobis Tournefortii planta nota non eſt.

MARRUBIUM HISPANICUM SUPINUM, FOLIIS SERICEIS ARGENTEIS TOURN. INST. REI HERB. P. CXCII. *T. CLXXIV. F.* 215.

MARRUBIUM album, ſericeo parvo & rotundiori folio *Bocc. Muſ. Part. II. p.* 78. *Tab.* 69. dicto Inſtitutionum loco hujus ſynonymon recitatur, cujus flores quoniam Bocconus non expreſſit, & quoniam diverſa facie nobiſcum naſcitur, figuram ejus præcedenti ſpeciei, prout in Horto cum foliis longioribus creſcit, addere libuit.

Prioris inſtar plures ex eadem radice caules ſpargit, inferiori parte procumbentes, ſuperiori ſurrectos, aliquanto, quam illius, longiores & tenuiores: folia anguſtiora ſunt, non æque craſſa, nec æque villoſa & rugoſa, verum molliora, & delicatiore lanugine obſita, magiſque incana: flores in acutiora ſegmenta, præſertim galea, dividuntur: calyces profundius ſtriati in longiores & magis exſtantes lacinias dividuntur. Eodem cum illo tempore floret.

Figura marginali ſexta, ſeptima, octava flores, nona & decima calyces ſeparatim appicti ſunt.

Marrubium album latifolium & anguſtifolium peregrinum *C. B. Pin. p.* 230. plantæ ſunt erectæ, proceriores & robuſtiores, magiſque ramoſæ, & anguſtifolium quidem odoratum eſt, foliaque habet acutiora, latifolium noſtri inſtar inodorum quidem eſt, verum ſapore amaro, quo hoc caret, præditum: porro folia latifolii utrinque magis anguſtata, per margines obtuſius nec æque frequenter crenata ſunt: magis etiam mollia magiſque candida noſtri folia videntur.

MELISSA ATRO-RUBENS, BUGULÆ FOLIO *T. CLXXV. F.* 216.

PER tres nunc annos in Horto Elthamenſi crevit hæc planta, ex ſeminibus deciduis quotannis ſe renovans, & quamvis ſemina ubertim ſuppeditarit, flores tamen, præter imperfectos & rudimenta ſaltem quædam florum, adhuc denegavit, ut de genere ejus aſſignando certus hactenus eſſe non potuerim, donec anno 1730. loco calidiore in olla repoſita flores formaret aliquanto magis perfectos, quamvis multo eſſent minores, quam in ſpeciminibus ſiccis in Virginia &

Carolina lectis apparerent. Iſtos flores ad latus figuræ primariæ ſeorſum num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. appoſui, ex quibus, juncta ſeminum & calycum ſtructura, ad Meliſſæ genus referenda mihi videbatur; in qua ſententia confirmabar, quod ipſi multum eſſet ſimilitudinis cum Gallitricho folio rotundiore, flore magno violaceo *J. B. Hiſt. Plant. Tom. III. L.* 28. *p.* 313. quam plantam Meliſſæ ſpeciem facit *Tournefortius*, & Meliſſam Pyrenaicam caule brevi, Plantaginis folio, vocat *Inſt. Rei Herb. p.* 193. Si ergo illa eſt vera Meliſſæ ſpecies, & hæc talis cenſenda, quæ, antequam flores proferet, Hormini faciem, Bauhinianæ plantæ inſtar, exhibere viſa fuit.

Flores autem illi parvi erant, candicantes, labio ſuperiori bifido, modice ſurrecto, inferiori tripartito, ſegmento medio integro. In exemplaribus ſiccis flores erant ampliores, oblongi, guloſi & nonnihil ventrioſi, galea latiuſcula, ſurrecta, labio breviori & non æque bene diſcernendo; color perierat, diverſus autem ab albo, & forte cæruleus fuiſſe videbatur. Præter flores illos parvos perfecte formatos laciniæ & fragmenta quædam florum hinc inde calycibus in virente noſtra inhærebant, nempe modo pars florum ſuperior, modo inferior lacera & irregulariter formata. Hoc vero, quo hæc ſcribo, anno 1731. ſub finem Maji, tempeſtate calida, in ſolo libero planta flores formavit ampliores perfectos, colore ſubcæruleo tinctos, galea bifida, alis latiuſculis, in cuſpidem brevem definentibus, labello bifido, per margines ſubinde crenato. Qui flores figuris 7. 8. 9. 10. 11. vario ſitu exhibentur.

Ceterum dodrantali pedalique hæc planta ſurgit altitudine, caule ex eadem radice fibroſa nunc ſolitario, nunc pluribus enaſcentibus, quadrangulis, uno alterove geniculo & foliorum conjugatione interceptis, ſimplicibus ſeu non ramoſis, in quorum ſuperiore parte verticilli plures naſcuntur, ſingulis verticillis e calycibus ſex in orbem digeſtis conflatis, quibus gemina ſubjiciuntur folia, in ſuperioribus verticillis parva, integra, myrtiformia, in inferiori vero verticillo longiora & per margines obiter inciſa. Calyces majuſculi ſunt, quinque lineis extantibus ſtriati, bipartiti, ſegmento ſuperiori latiore trifido, inferiori anguſtiori & bifido. Semina in ſingulis calycibus latent quatuor, grandiuſcula, obtuſe triquetra, parte exteriore in dorſum protuberante, ſubrotunda, interiori, qua ſe mutuo tangunt, utrinque reſecta & anguloſa, per maturitatem nigricantia, quæ appicta vide figuris 12. & 13.

Folia ad radicem plura in orbem ſparguntur, oblongo-rotunda, per margines ſinuata & obiter laciniata, Bugulæ vulgari ſimilia, ſed majora, parte ſupina ſaturatim viridia & lituris circa venas atro-purpureis notata, prona obſcure purpurea, atque hunc colorem & folia & caules plerumque obtinent, non tantum in culta, ſed ſpontanea etiam planta. Tota hirſuta & piloſa eſt, pilis in parte ſuperiori e punctis vel minutis tuberculis prodeuntibus. Odore evidente caret.

Sponte naſcitur in Americæ ſeptentrionalis provinciis Carolina & Virginia, e qua poſteriori provincia ſemina nactus communicavit Car. Du-Bois Soc. Ind. Orient. in Anglia Theſaurarius.

Eſt in Phytophylacio Sherardino planta in Carolina lecta, eadem cum figura noſtra magnitudine, foliis eodem colore præditis, cui eandem exiſtimo, Sideritidem Bugulæ foliis Marianam, floribus purpureis, longo tubulo donatis *Pluk. Mant. p.* 171. Eſt alia e Virginia allata, multo humilior, palmaris nempe tantum, cum

purpureis

F. 216.

Meliſsa atro-rubens, Bugulæ folio.



MELOCACTUS MELLIFERO FOLIO

F. 217.

Melochia Corchori folio.

purpureis etiam foliis, ad quam ni referri poſſit Horminum parvum Marianum, Rapiſtri foliis hirſutioribus *Pluk. Mant. p.* 103. me id non noſſe fateor. Folia autem cum Rapiſtro foliis non inciſis aliquam habent ſimilitudinem, ſed non tantam, quantam cum Bugula, in virente quidem planta. Hujus flores minores ſunt, folia noſtræ ſimilia, ſed minora. Hæc diverſa ne ſpecies, an varietas tantum ſit, certus non ſum, ejuſdem autem generis, nempe de Meliſſarum familia eſſe exiſtimo.

Sunt aliæ duæ cum foliis Quercus inſtar laciniatis, ſed hirſutis, altera floribus minoribus, altera floribus majoribus prædita. Utraque eandem cum præſenti ſpecie habitum obtinet, & ejuſdem generis ſpecies videtur: illam habeo pro Hormino Virginiano caule aphyllo, foliis quercinis, tubuloſo longo flore *Hiſt. Ox. Part. III. p.* 395. *Sect. XI. Tab.* 13. *fig.* 27. *ſer.* 2. hanc pro Hormino minori Betonicæ folio, flore purpureo, ex Provincia Floridana *Pluk. Amalth. p.* 119. *Tab.* 420. *fig.* 1. Betonicæ autem parum ſimilia ſunt folia, nec recte flores hujus apud Plukenetium, nec illius bene in Hiſt. Oxonienſi exprimuntur.

MELOCHIA CORCHORI FOLIO

T. CLXXVI. F. 217.

POSTQUAM Melochiæ Alpini proprium fecit Corchori nomen Inſtitutionum Rei Herbariæ Auctor, quamvis Chorchorus Theophraſti, Ocymi folia tribuentis, non videatur, liceat nobis hoc genus plantas Melochiæ nomine diſtinguere. Melochia autem nobis eſt plantæ genus flore pentapetalo, Lychnidis æmulo, quinque tantum ſtaminibus prædito, vaſculis congregatis, quinquecapſularibus pentaſpermis, ſeminibus ex rotundo triquetris, in dorſo ſubrotundis, inde ventrem ſeu interiora verſus utrinque in angulum acutum productis, figura Malvindæ, cui & vaſculo inter Malvaceas proxime accedit, ſed non corniculatum id eſt, nec e tot capſulis conſtat, floresque & ſtamina diverſa ſunt. Ceterum capſulæ hæ ab initio conjunctæ ſunt, per maturitatem autem a ſe invicem abſcedunt, ut unum & integrum vaſculum proprie dici nequeant. Flore pentapetalo cum Corchoro convenit, ſtaminibus paucioribus differt, ut & fructu, qui a Corchoro aliiſve Malvaceis diverſus eſt.

Bipedali plerumque hæc ſpecies aſſurgit altitudine, caule tenero tereti, ſubaſpero, virente, in quibus alterna ſerie folia pediculis oblongis inſident ſubhirſuta virentia, nunc angulata obiter, nunc minime angulata, Corchori æmula, nullis tamen ad baſim barbulis, ſed tenuibus ſaltem pilis, prædita, e quorum alis alia minora magis rugoſa naſcuntur, in ramulos tandem abeuntia, per margines acute ſerrata, venis a nervo medio oblique decurrentibus exarata.

Flores in caulium & ramulorum cymis ſedent parvi, vere pentapetali, dilute carnei, petalis nonnihil ſinuoſis & veluti bifidis, in quibus ſtamina brevia quinque ſaltem & totidem apices, quæ non e piſtillo columnari, velut in Malvis, ſed ex tubulo integro embryonem involvente oriuntur; embryo autem quinque filamentis vel ſtylis corniculatis terminatur. Calyx brevis ſimplex monophyllos eſt, in quinque exiguas lacinias in ſummo diviſus, ad cujus baſim tenue hæret folium capillaceum. Vaſcula floribus evanidis ſubnaſcuntur plura conglomerata, ſubhirſuta

ſuta, rotunda, quinque angulis obtuſis prædita, cujus capſulæ & ſemina ſupra deſcripta ſunt, in margine autem figuræ ſeorſum exhibentur, figura nempe prima calyx, figura ſecunda vaſculum ſolitarium, figura tertia capſula, figura quarta ſemina, figura quinta vaſcula congeſta.

Annua eſt planta, quæ Auguſto menſe nobiſcum floruit, orta ex ſeminibus a Jo. Phil. Breynio tranſmiſſis, nomine Ketmiæ lucidæ Melochiæ folio, flore minimo. Accepimus etiam ex Batavia nomine Alceæ Zeylanicæ flore rubello. Nobiſcum non lucida, immo nec glabra, ſed ſubhirſuta nata eſt. Sunt tamen in Phytophylacio Sherardino ſpecimina, quæ glabra folia habent, ex India Orientali allata, ſunt & quæ ſubhirſuta habent & craſſiuſcula, cum illa tenuiora obſerventur, ut foliis glabris & hirſutis variare videatur hæc planta.

Ad illam cum foliis tenuioribus & glabrioribus refero Tsjeru Uren *Hort. Mal. Part. IX. Tab.* 73. *p.* 143. quæ figura minus bona, melior vero apud *Plukenetium Phytogr. Tab.* 44. *fig.* 5. ubi Malva Orientalis elatior, longiori folio, flore albo minimo, capitulis conglomeratis, in *Almageſto* vero *p.* 25. Althæa peregrina longiore Betonicæ folio, floribus albis perexiguis, capitulis arcte conglomeratis dicitur. Verum folia Betonicæ foliis parum ſimilia ſunt, & nec Malvam, nec Althæam, nec Alceam bene dici ex dictis conſtat. Licet autem & deſcripta & depicta eſſet hæc planta, ſupervacuum tamen non fuit viſum pro genere aſſerendo eam clarius deſcribere & depingere. Obſervandum autem florem non eſſe monopetalum, qualis in Horto Malabarico dicitur, ſed vere pentapetalum, qualem *J. Commelinus* annotat in Scholio, ubi Plantam Sideritidis folio inſipido, flore pentapetalo roſacei coloris, fructu rotundo, in quinque partes diviſo, ſemine triangulato, vocat. Nec porro ſtamina novem gerit, ut in Horto Malabarico aſſeritur, ſed quinque tantum. Stylus ibi cum ſtaminibus confundi & hujus partes pro ſtaminibus haberi videntur.

Ad ſubhirſutam ſpectat, Malva IndicaRibeſii folio *Par. Bat. Prodr. p.* 350. ſeu Althæa Indica Ribeſii folio *Schol. Botan.* Quoniam folia ſubinde plus minusve profunde angulata ſunt, ideo Ribeſii foliis dicta fuit, licet exacte iis ſimilia non ſint. Variat etiam foliis multo minoribus, locis nempe arenoſis ſterilioribus, cujuſmodi ſpecimen ex Maderaſpatano allatum habetur in Phytophylacio Sherardino. Huc porro tanquam ſynonyma pertinet, Alcea Indica minor, floribus parvis faſciculatis, Melochiæ folio *Muſ. Zeylan. p.* 43.

Ad hoc genus, tanquam ſpecies, ulterius referri debent, (1) Althæa Indica floſculis parvis, faſciculatim ramulis affixis Breynio Pr. I. p. 2. *Pluk. Alm. p.* 26. *Tab.* 9. *fig.* 5. & (2) Althæa puſilla ſupina, Geranii exigui maritimi folio & facie Madraſpatenſis *Ejuſd. Tab.* 132. *fig.* 4. quam in *Almag. p.* 14. Alceam puſillam ſupinam, Geranii exigui maritimi folio & facie Madraſpatenſem, fructu in ſummo caule glomerato, pericarpio duro, vocat.

MELO

F. 218.

Melo variegatus, Aurantii figura, odoratissimus.

T. CLXXVII.

MELO

MELO VARIEGATUS, AURANTII FIGURA, ODORATISSIMUS T: CLXXVII. F. 218.

SEMINA Marocco primum delata dicuntur, ex quibus nati ſunt Melones parvi rotundi, Aurantia mala magnitudine & figura referentes, cortice lævi, non, aut rarius parciusque verrucoſo, in ſummitate tantum, ubi foveola, leniter ſulcato, ex viridi & obſcuriore aurantiaco variegato, maculis viridibus oblongis inæqualibus, per plenariam maturitatem in flavicantem & tandem in albicantem colorem tranſeuntibus,inſcripto, odorem ſpirantes fragrantiſſimum & ſuaviſſimum, ex vinoſo & moſchato mixtum, carne albicante flaccida & inſipida, odoris gratiam fallente.

Folia inferiora ſubrotunda, ſuperiora nonnihil angulata, utraque per margines obiter dentata ſunt, ſubhirſuta, ſuperne viridia, inferne pallidiora. Flores e foliorum alis naſcuntur flavi, in quinque, ſubinde in ſex ſubrotunda ſegmenta, per margines leviter crenata, diviſi, alii quidem ſteriles, alii vero fertiles, prouti in hoc genere fieri ſolet.

Numero 1. folium inferius, 2. ſuperius, 3. flos. 4. & 5. fructus, 6. ſemen ſeorſum inciſa ſunt.

P. Collinſon, a Nobil. Dn. Petre miſſum fructum & ſemina communicavit.

Deficiunt Auctores in deſcriptione Melonis parvi rotundi *C. B.* quantum autem ex nomine Camerarii liquet, aureus eſt; maculas & ſtrias omnes tacent, exinde, quod deſint, non immerito colligitur: Quapropter illum diverſum judico, ad noſtram vero ſpeciem procul dubio pertinet:

Melo Perſicus, fructu ex viridi & miniato colore mixto *Joncq. Hort. p.* 83. Melo Perſicus, fructu odorato, ex luteo & croceo eleganter ſtriato *Petiv. Muſ. n.* 269. Melo Perſicus minimus, odoratiſſimus *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 333. (ubi breviter deſcribitur.) Melo puſillus odoratus, fructu pomiformi, cortice variegato, ex Perſia *Pluk. Amalth. p.* 143.

MENISPERMUM FOLIO HEDERACEO T. CLXXVIII. F. 219.

MENISPERMI genus nobis dedit *Tournefortius* in *Comment. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 237. nomine deſumpto a ſeminis figura, quod lunæ creſcentis imaginem quodammodo repræſentat. Notas ejus facit „ florem roſaceum, „ e plurimis nempe petalis circa embryonem in orbem poſitis conflatum, embry- „ onem vero piſtillo triplici terminari, cujus unaquæque pars, baſis nempe ſtyli, „ bacca fiat, in quibus ſingulis ſingula contineantur ſemina lunata.

A Smilace differt hoc genus in eo, quod nec ſpinoſum ſit, quamvis & Smilacis quædam ſpecies læves ſint, nec claviculis, quantum adhuc conſtat, ſcandat, ſed Convolvuli aut Tamni modo vicina ambiat, & ſemine, quæ non plura globoſa vel ovata, ſed unum profert, compreſſum, figura lunæ creſcentis, ut Tournefortius expreſſit, vel, ut mihi in ſpecie, quam deſcribendam ſumſi, apparuit, Cornu Ammonis proxime exprimens, niſi quod tot circumvolutiones non obti-

neat. Porro flores petala, quam Smilax, obtinent breviora. A Tamno floribus hexapetalis & baccis monoſpermis diſtinguitur.

Unam tantum hujus generis ſpeciem dicto loco recenſuit *Tournefortius*, quæ ipſi dicta fuit, Meniſpermum Canadenſe ſcandens, umbilicato folio, cujus ſynonyma : Clematis hederacea perennis Virginiana, umbilicato folio, pappoſo flore *Hort. Reg. Par.* Clematis Hederæ folio *Hort. R. Bleſ.* Ea nempe ſpecies folia habet umbilicata & anguloſa, Hederæ helicis quodammodo figura, cum noſtra variet, & nunc integra, nunc anguloſa obtineat, eaque non umbilicata. Cur vero pappoſo flore vocetur in Hort. R. Par. merito aliquis cum Plukenetio Alm. p. 181. miretur. *Plukenetius* ceterum, qui primus *Phyt. Tab.* 36. *fig.* 3. iconem exhibuit, vocat Hederam monophyllam, Convolvuli foliis, Virginianam. Quibus vero tum Clematidis, tum Hederæ genus notum eſt, dubium eſſe nequit, quin præſens genus multum ab illo differat & merito diſtingui mereatur.

Sarmenta noſtra hæc ſpecies habet prælonga, Phaſeoli inſtar ſcandentia, teretia, gracilia, quibus in oblongis pediculis teretibus alterna ſerie folia adnaſcuntur læte viridia, Hederæ arboreſcentis foliis tum figura, tum colore, tum fere conſiſtentia ſimilia, in ſuperiore flagellorum parte, velut in Hedera annoſiore, integra, in media & inferiore non raro, Hederæ junioris inſtar, angulata, cujuſmodi folium ſeorſum figura marginali prima appictum eſt, in quo venæ, quæ in illis minus conſpicuæ ſunt, ſimul exprimuntur. Eæ vero, licet valde crebræ ſint, ſuperficiales tamen ſunt, & folia ideo rugoſa non efficiunt, & quamvis porro pilis tenuibus obſita ſint folia, glabra tamen potius & ſplendentia (præſertim juniora folia, vetuſtiora enim utrinque ſubhirſuta ſunt & minus ſplendent) apparent, præterquam parte inferiore, qua magis piloſa & hirſutia aliquali prædita ſunt, colore item pallidius virente. Sarmenta porro & foliorum pediculi tenui quodam villo obſita ſunt.

E foliorum ſuperiorum alis flores ſpicatim digeſti naſcuntur, hexapetali, nudi, petalis brevibus obtuſis albidis conſtantes, quorum ſinu apices latiuſculi luteoli continentur, ſtaminibus vix conſpicuis inſidentes. Embryo & ſtylus e quinque & ſex in hac ſpecie corniculis conſtare videbatur. Porro an ternæ ſingulis floribus baccæ & ſemina ſuccedant, ut Tournefortius prodidit, obſervare nequivi, quoniam ſuperveniens frigus ea peſſundedit: in ſpecimine ſicco in Carolina lecto, ex quo ſemina figuræ addidi, tres quatuorve & quinque baccæ eidem pediculo communi congeſtæ inhærebant, ex quibus certi quid determinare non licebat. Ceterum hæ baccæ nigræ erant, modice compreſſæ, & ob ſeminum inæqualitatem rugoſæ, quarum cortice in aqua calida emollito & remoto, ſemina comparebant compreſſa, dura, Cornua Ammonis petrefacta referentia, rugoſa, inciſuris nempe aſperis contrario ſitu, velut in Ericæ vulgaris foliis, per dorſum & latera decurrentibus exarata, quæ nudata ſemina ſeorſum vario ſitu figura ſecunda, tertia & quarta appicta ſunt.

Radix perennis eſt, Anemonoidi, ni fallor, ſimilis. Sponte naſcitur in Virginia & Carolina.

Fidem faciente Phytophylacio Sherardino, eſt Baccifera foliis rigidis glabris, membranaceis, uncia latioribus, ſeſcunciam plus longis, marginibus æquis *Raj. Hiſt. Tom. III. App. p.* 253. *n.* 40. „ Fructus, inquit Rajus, baccæ parvæ rotun-
„ dæ ſunt, plures ſimul in pediculo, ex alis foliorum & ſummis virgis enaſcente,
„ communi, ſed brevi.” Hæc ſunt, quæ Rajus habet.

Iztac-

P. 224.

T. CLXXVIII.

F. 219.

Menispermum folio hederaceo.

Iztacpatli Quizaſepin *Hiſt. Mex. p.* 381. huic idem dicerem, ni venæ dicerentur & pingerentur rectæ & indiviſæ. Noſtræ vero plantæ venæ obliquæ ſunt & ramoſæ aliquantum, veluti in Hedera obſervantur. An noſtræ radix tam craſſa ſit, ac in Hiſt. Mex. figuratur, nondum mihi compertum eſt.

Ulterius hujus generis ſpecies videntur, (1) Arbor Ariſtolochiæ foliis Maderaſpatana, fructu parvo, Medicæ ad inſtar convoluto *Pluk. Alm. p.* 43. *Tab.* 13. *fig.* 2. A qua ipſe differre non putat, Cocculum Officinarum: Cautacudde Malabarorum *Mant. p.* 52. *Tab.* 345. *f.* 2. (2) Cocculi Indi ſpecies minima, Myoſotidis hirſutis foliis & facie, fructu minimo reniformi *Pluk. Amalth. p.* 62. *Tab.* 384. *f.* 3. (3) Cocculus Indus foliis Ariſtolochiæ ſubtus lanuginoſis, fructu minore, Perruncurry Malabarorum *Pluk. Amalth. p.* 61. *Tab.* 384. *f.* 5. (4) Cocculi Orientalis frutex convolvulaceus, orbiculatis foliis, prona parte villoſis, ex Inſulis Crocodilorum *Pluk. Ibid. f.* 6. (5) Cocculi Indi altera ſpecies minor ſcandens, Vincæ pervincæ foliis villoſis *Pluk. Ibid. f.* 7. Horum fructus reſpondet, florem nondum vidi. Tres præterea alias nominetenus recenſet dicto loco Cocculi ſpecies, de quibus nil habeo compertum.

DE MESEMBRYANTHEMO, FICOIDES DICTO, IN GENERE.

A Similitudine, quæ inter Ficus Indicæ vulgo dictæ, & quarundam hujus generis ſpecierum fructus intercedit, Ficoidis nomen primus impoſuit P. Hermannus in Horti Lugd. Bat. Catalogo, cui non tantum nomen, ſed & multarum hujus generis ſpecierum notitiam debemus. Non longe poſt Jac. Breynius in Prodr. Alt. p. 67. & ſeqq. Meſembrianthemi introduxit nomen, poſtquam hoc genus plantas in Centuria Rar. Plant. Chryſanthema aizoidea, in Prodromo primo vero Chryſanthemo ſimiles vocaviſſet. Notat enim in dicto Prodromo, plantas eſſe heteroclitas, Kali florido repenti aizoidi Neapolitano *Col.* cognatas, quæ nullam, præter floris aliquam ſimilitudinem, cum Chryſanthemis affinitatem habeant. Itaque in Prodromo ſecundo audacius fecit & novo generi, cujus notas dat, novum tribuit nomen, Meſembrianthemi videlicet, ſeu Floris meridiani, „ quoniam, ut ipſe loquitur, plerarumque hujus generis ſpecierum flores, medio „ die Sole illuſtrato, ſeſe aperire obſervantur.” Conſtat inde Breynio conſtitiſſe de differentia hujus generis, antequam P. Hermannus ſuum Catalogum Hort. Lugd. Bat. ederet; prodiit enim Hermanni Catalogus anno 1687. Breynii vero Prodromus primus anno 1681. & Alter 1689. Hermanno tamen, qui in loco natali prius obſervavit, & primus clarius diſtinxit, non minor laus debetur. Sic factum eſt, ut ad hunc uſque diem Ficoidis nomen vulgo fuerit receptum, ſive quod eſſet primum & facilius pronuntiatu, ſive quod Breyniano magis notum, cum Hermannus id diſcipulis ſuis inſtillaret, Breyniani vero Prodromi non in omnium verſarentur manibus.

Plukenetius, cui placent pleonaſmi, utroque uſus eſt nomine, & Ficoide Meſembryanthema vocavit hoc genus plantas. Sic ille facultatem ſibi reliquit, ſi quæ comperiantur ſpecies noctifloræ, ſingulare aliquod epitheton diſtinguens adjicere.

Obſer-

Obſervandum autem a dicto Plukenetio Ficoidis genus nimis late extendi, & Tunam, Cereum ac Melocactum eo ab ipſo referri. Notandum porro ejus ſpeciei, quæ Ficoides Americanum ſeu Cereus minimus ſerpens Americanus ipſi dicitur *Alm. p.* 148. *Tab.* 158. *fig.* 6. flores ipſi obſervatos, quos verbis ac ſententiis alte petitis deſcribit *Mant. p.* 76. ubi ſe continere non potuit, quin nova imponerit nomina: Solfuga, Miſophœbus, Noctiluca, &c. Equidem minime tantos ac tam ſpecioſos flores proferunt Meſembrianthema noctu florentia, ac Cereus iſte, minime tamen dubium eſt, quin, ſi hæc cognoverit Plukenetius, peculiaria quædam nomina (forte Miranox, vel Miraluna, ſicuti Miraſol *Mant. p.* 111.) ipſis appropriarit. Quamvis conjicere liceat Breynio conſtitiſſe de noctu florentibus ſpeciebus, cum plerarumque flores circa meridiem explicari ſcripſerit, non tamen apparet, eum recenſuiſſe aliquam in ſuis ſcriptis ſpeciem noctu florentem.

Nunc ſi optio detur, ego Meſembrianthemi nomen præferrem Ficoidis appellationi. Nam cum Ficus Indica male dicatur Ficus, immo nec Opuntia bene, quorſum ergo Ficoidis denominatio, an ad Ficum vulgarem? inter quam & Meſembrianthemum quænam eſt ſimilitudo? an in ſolo fructu? certe claudicans. Meſembrianthemi itaque appellatio congruit pleriſque hujus generis ſpeciebus, quamvis non omnibus. Si quis autem incongrue appellari ita cenſeat noctu florentes ſpecies, per me licet, Nycterianthema eas vocet, & novum genus inde faciat, qui volet, cum & differentiæ reperiantur, quibus generice a Meſembryanthemo diſtingui queat, modo eæ ſint conſtantes, & in omnibus reperiantur ſpeciebus. In tribus quidem, quas examinavi, ſpeciebus, fructum in quatuor tantum loculamenta diviſum obſervavi, florem vero evidentius, quam in aliis, monopetalum, annulo nempe ad baſim connexum & integrum. Sed tum diſtinguere oportet & eas ſpecies, quæ fructus gerunt pluribus, quam quinque loculis, diſtinctos. At hoc commode fieri non poteſt, cum in utroque genere non alia differentia, quam fructus cellularum numerus diverſus reperiatur, cumque inter quinquecapſulares ſint quædam ſpecies habitu & facie multicapſularibus ſimiles, & alia ſpecies ſit quadricapſularis, nempe Meſembryanthemum tortuoſum, foliis Sempervivi congeſtis, quæ congenerem & ſibi valdequam ſimilem ſpeciem habet, nempe Meſembryanthemum tortuoſum, foliis Sempervivi expanſis, cui fructus in quinque loculamenta diviſus, quæ inquam ſpecies invicem tam ſimiles ſunt, ut, niſi a curatius inſpiciente, diſtingui nequeant, proinde conſultius videtur, immotum hoc genus relinquere, quam floribus, foliis, naſcendi modo & toto habitu tam ſimiles plantas in tam ſemota genera rejicere. Quapropter ego quidem in uno Meſembryanthemi genere acquieſco, ſcribendo id per y, ut alius ſenſus & derivatio emergat. Flos nempe cui embryo eſt in medio; quod licet innumeris aliis plantis contingat, non tamen id eodem modo, ac in hoc genere, fit, ut nempe flos non tam inhæreat ſummo fructui, quam ab ipſius capite ſeu parte ſuperiore arcte perforetur, & tam tenaciter medio embryoni, (quod ad ejus augmentum ex vaſculi circulo vel annuli juxta calycem veſtigio apparet) circumnaſcatur, ut abſque laceratione in pleriſque ſpeciebus avelli nequeat. Atque hæc de nomine.

Flos hujus generis natura plenus eſt, e plurimis nempe petalis anguſtis radiatim, Aſteris inſtar, expanſis conſtructus, regularis, figuræ roſaceæ. An vero monopetalus vel polypetalus dici mereatur flos, non uſque adeo planum eſt.

Super

Super, vel potius circa fructum quidem is locatur & ſuper eo ſemper marceſcit, inque ſpeciebus aliquot totus extrahi poteſt, annulo quodam in baſi terminatus, e quo petala & ſtamina egrediuntur, in pleriſque vero reliquis, iis præſertim, quibus filamentoſi flores, ſpeciebus annulus iſte conſpicuus non eſt, & adeo tenaciter ſummo fructui ſtyloque medio cohæret, ut abſque laceratione avelli nequeat flos. Ceterum floris petala, vel ſi mavis ſegmenta, vel minus numeroſa ſunt & omnia ejuſdem fere magnitudinis & figuræ obſervantur, vel magis numeroſa ſunt & magnitudinem habent diverſam, ea nempe quæ marginem efficiunt, longiora ſunt & latiora, quæ vero interiora occupant, anguſtiora fiunt & breviora, tandemque in capillamenta, quibus ſtamina inſident, abeunt, cum in illius generis flore interiora petala tenuia deficiant, ſtamina vero non diſperſa, ſed unà in capitulum aliquod collecta obſerventur. Non raro tamen fieri ſolet, ut & filamentoſi flores ſtamina in capitula collecta habeant, & qui proprie non filamentoſi ſunt, petalis tamen abundant, ſtamina diſperſa gerant.

Fructus viridis, craſſus & ſucculentus eſt ab initio, ad ſeminum vero maturitatem contrahitur, & nunc anguloſus fit, nunc ſubrotundus remanet, ſemper vero in fungoſam aridam ſubſtantiam ſubfuſcam abit, figuræ variæ, modo enim turbinatus, modo rotundus, modo ex rotundo depreſſus obſervatur, ſuperficie nunc lævi & æquabili, nunc plus minuſve anguloſa. Parte ſua inferiore carnoſus eſt, ſuperiore in plura loculamenta, ſemina plurima exigua arenoſa continentia, diviſus. Quæ loculamenta, ut ſupra demonſtratum eſt, in quibuſdam ſpeciebus quatuor, in plurimis aliis quinque, in non paucis his multo plura obſervantur. Quot ſunt loculamenta, tot obſervantur ſtyli breves reclinati, craſſiuſculi, ſummum fructum coronantes & veſtigia radiata, ad fructus uſque maturitatem, relinquentes. At calycis folia, niſi in quadricapſularibus, non reſpondent numero loculamentorum, licet enim quinquecapſularia vaſcula quinquefoliata obſerventur, tamen in multicapſularibus ſegmentorum calycis numerus minime augetur, ſed illorum inſtar quinquefoliata plerumque manent vaſcula. Quin & linguæformia Meſembryanthema, quæ plures, quam quinque, ſeminum loculos habent, calycem habent in quatuor tantum ſegmenta diviſum. Hæc vero calycis ſegmenta ab initio e ſuperiore fructus parte naſcuntur, procedente vero tempore, quo magis fructus intumeſcit, eo a ſummitate magis recedunt in permultis ſpeciebus foliola illa, & tandem plane corrugata diſparent.

Rami & folia conjugata, craſſa & ſucculenta ſunt, apoda & avenia, lævia plerumque, quandoque aſpera, nonnunquam micis cryſtallinis aſperſa & ſubinde multis punctis, imperviis tamen, notata.

Hujus generis ſpecies Hermannus dividit fructus reſpectu in quinquecapſulares & multicapſulares: illius generis duas fructu piriformi majori, quinque fructu piriformi minori, tres vero fructu orbiculato recenſet; hujus generis alteram fructu majori, alteram fructu minori notat. His addi poſſunt, quæ fructus habent in quatuor tantum cellulas diviſos. Alia differentia a modo naſcendi ſuppetit & foliorum figura, dum vel fruteſcentes, vel ſeſſiles herbaceæ & humiliores obſervantur, folia vero vel latiora ſunt planaque, vel teretia, vel triangula, vel medio modo formata, ſuperne nempe plana, ſubtus autem rotundata, quo figura obtuſe triquetra efficitur, quæ Auctores non ſatis advertentes paſſim teretibus annume-

raverunt. Mihi cum fructus reſpectu apud multicapſulares quædam quinquecapſulares, quoniam ceteris partibus ſimiles ſunt, locandæ ſint, cumque, ut ſupra demonſtratum eſt, duæ ſint Meſembryanthemi ſpecies tortuoſæ, foliis nempe expanſis, & altera foliis congeſtis prædita, quarum hæc quadricapſularis, illa vero quinquecapſularis eſt, quæ nec ad diverſa genera referri poſſunt, nec ut ſpecies ejuſdem generis ob ſimilitudinem longe ab invicem moveri poſſunt, cum porro fructus nec primo intuitu, nec ſæpe omnino non apud nos in conſpectum veniat, diviſio illa non tam commoda videtur, quam quæ a foliis & modo naſcendi, quæ primo ortu & ſemper obvia ſunt, petitur; a quibus hujus generis familiam in ſequentem ordinem diſtribuo, nempe

MESEMBRYANTHEMA habent vel folia

- PLANA LATA, quæ
  - PROCUMBUNT, aut reclinata ſaltem ſunt, ut *Meſembryanthemum Tripolii folio, flore argenteo: Meſembryanthemum cryſtallinum, Plantaginis folio undulato: Meſembryanthemum tortuoſum, foliis Sempervivi congeſtis: Meſembryanthemum tortuoſum, foliis Sempervivi expanſis: Meſembryanthemum folio ſcalprato: Meſembryanthemum folio linguiformi latiore, anguſtiore & longiore:* Vel folia habent
- A PLANIS DIVERSA, quæ vel
  - SESSILIA SUNT; foliis
    - TERETIBUS: ut *Meſembryanthemum calamiforme.*
    - TRIQUETRIS, dorſo
      - CONVEXO: *Meſembryanthemum roſtrum Ardeæ referens: Meſembryanthemum rictum felinum repræſentans.*
      - MINUS CONVEXO: *Meſembryanthemum rictum caninum referens: Meſembryanthemum foliis robuſtis albicantibus.*
      - ACUTIORE: *Meſembryanthemum Bellidiflorum.*
  - NON SESSILIA, ſed vel procumbentia, vel reclinata aut leniter ſurrecta, vel fruteſcentia & erecta, foliis
    - RADIO PILOSO TERMINATIS: *Meſembryanthemum radiatum, ramulis prolixis recumbentibus: Meſembryanthemum radiatum humile, foliis minoribus & majoribus.*
    - RADIO PILOSO DESTITUTIS: margine foliorum
      - INTERRUPTO,
        - DORSO GIBBOSO: *Meſembryanthemum folio dolabriformi.*
        - DORSO SERRATO: *Meſembryanthemum ſerratum, flore acetabuliformi luteo.*
        - DORSO ACULEATO: *Meſembryanthemum perfoliatum, foliis minoribus diacanthis: Meſembryanthemum perfoliatum, foliis majoribus triacanthis.*
        - LATERIBUS TUBERCULOSIS: *Meſembryanthemum foliis difformibus.*
        - LATERIBUS MURICATIS: *Meſembryanthemum deltoides non dorſo, ſed lateribus muricatis: Meſembryanthemum deltoides, & dorſo & lateribus muricatis, majus & minus.*
      - NON INTERRUPTO, foliis
        - TRIQUETRIS,
          - SCABRIS: *Meſembryanthemum ſcabrum, flore ſulphureo convexo: Meſembr. uncinatum ſcabrum, petalis purpureis circumactis: Meſembr. purpureum ſcabrum, ſtaminibus expanſis & collectis.*
          - LÆVIBUS, angulis
            - OBTUSIORIBUS: *Meſembryanthemum foliis corniculatis longioribus & brevioribus: Meſembr. loreum: Meſ. tenuifolium procumbens, flore coccineo: Meſ. craſſifolium repens, flore purpureo: Meſ. tenuifolium fruticeſcens, flore croceo: Meſ. foliis veruculiformibus, floribus melinis umbellatis: Meſ. foliis confertis ſplendentibus, flore pallido: Meſ. Capenſe geniculiflorum, Neapolitanum creditum: Meſ. noctiflorum, flore intus candido, extus phœniceo, odoratiſſimo: Meſ. noctiflorum, flore intus candido, extus ſtramineo, odoratiſſimo: Meſ. fruticeſcens, radice ingenti tuberoſa: Meſ. fruticeſcens, ramulis triacanthis: Meſ. fruteſcens, floribus albis umbellatis: Meſ. fruteſcens, flore purpureo rariore.*
            - ACUTIORIBUS: *Meſembryanthemum pugioniforme, flore amplo ſtramineo: Meſ. acinaciforme, flore ampliſſimo purpureo: Meſ. falcatum majus, flore amplo luteo: Meſ. falcatum majus flore purpureo mediocri: Meſ. falcatum minus, flore carneo minore: Meſ. falcatum minimum, flore purpureo parvo.*
        - TERETIBUS, granulis micantibus reſperſis, caule
          - PILOSO: *Meſembryanthemum piloſum micans, flore ſaturanter purpureo: Meſ. piloſum micans, flore purpureo pallidiore: Meſ. piloſum micans, flore purpureo ſtriato.*
          - PILIS DESTITUTO: *Meſembryanthemum micans, flore phœniceo, filamentis atris.*

Hæ

Hæ ſpecies omnes in Horto Elthamenſi naſcuntur & hodienum in eo vigent, tot ſane & plures, quam a Clar. Boerhaave, qui plures, quam alius quisvis, recenſuit in Indice Plantarum Altero p. 289. 290. 291. & 292. enumeratæ ſunt, quinquaginta nempe & tres; nam ultima & penultima ejus ſpecies, p. 292. quæ quinquaginta tres efficiunt, ab his recidendæ ſunt, cum veræ Meſembryanthemi ſpecies non ſint, & altera ad genus Craſſulæ, altera vero ad genus proprium Ficoideæ pertineat.

Olim duodecim hujus generis ſpecies deſcripſit Hermannus in Horti Lugduno-Batavi Catalogo, additis quinque earum figuris, quibus junxit ſex alias in Paradiſo Batavo ab Oldenlandio ex Africa tranſmiſſas, adpoſita figura Ficoidis erectæ teretifoliæ, floribus albis umbellatis: in Catalago ad Calcem Paradiſi Batavi quinque alias addidit; verum duæ in Paradiſo Batavo recenſitæ, nempe Ficoides Africana annua centauroides & Ficoides Africana annua minima muſcoſa, non videntur hujus generis eſſe. Hanc quidem ad genus Craſſulæ pertinere novi, de illius vero genere incertus ſum, ni quidem ad idem Craſſulæ genus pertineat. Ex ſpecimine ſicco nil determinare potui; planta eſt enim valde parva, Millegranæ minimæ facie.

Jac. Breynius in Prodromo ſecundo ſeptendecim enumeravit ſpecies, quarum tres figuras & deſcriptiones, trium vero aliarum tantum deſcriptiones dederat in Centuria Plantarum Rariorum.

Plukenetius in Almageſto & Mantiſſa vigenti tres recenſuit ſpecies, additis figuris tribus; his in Amaltheo junxit alias ſpecies unam & viginti.

Bobartus in Hiſtoriæ Oxon. Part. III. ex ſua aliorumque obſervatione quindecim enumeravit ſpecies, quarum quinque exhibuit figuras, partim ex Breynio, partim ex ſuo penu deſumptas.

Jo. Georg. Volckamerus in Flora Noribergenſi quatuor & viginti habet ſpecies, cum deſcriptionibus & figuris duarum ſpecierum: Septem deſcripſit & depinxit frater Jo. Chr. Volckamerus in Heſperidibus Noribergenſibus p. 221. & ſeqq. quarum icones aliquot numeros alienos habent & deſcriptionibus non reſpondent.

Rajus in Hiſtoria Plantarum triginta novem circiter ſpecies collegit ex Hermanno, Breynio, Plukenetio & Volckamero, ſed quædam bis recenſentur, ut fieri ſolet, ſub diverſis Auctorum nominibus.

Tournefortius in Acad. Reg. Scient. Commentariis Anni 1705. triginta ſex ſpecies nominetenus prodidit & characterem generis ſtabilivit.

R. Bradley triginta ſpecierum figuras dedit ſatis bonas; deſcriptiones non tantum imperfectæ ſunt, ſed & tales, ut verear, ut, niſi a linguæ Anglicæ peritis, intelligi queant.

Petiverum, Heucherum Peinium, Schwerinum & nonnullos alios ad contextum & ſingularum ſpecierum deſcriptiones refero.

Extremum illud Africæ Promontorium, quod vulgo Caput Bonæ Spei dicitur, unde tot bonæ novæ plantæ in Europam advectæ ſunt, pleraſque omnes hujus generis ſpecies ſuppeditavit, in cujus ora maritima locis aridis ſabuloſis ſponte naſcuntur; quare in denominationibus brevitatis ſtudio ommitto nomen patriæ, ſufficere ratus, ſi aliis ſpeciebus extra Promontorium illud naſcentibus diſtinctionis gratia id adjiciatur. Mirum ſane in extremum iſtum orbis terrarum angulum totum

tum fere hoc genus plantæ elegans conjectum esse; nam præter Canariensem, *Cosca* dictam, Neapolitanam & Ægyptiacam speciem, non alia innotuit in alia orbis terrarum parte nascens, præter illam a *L. Feuillée* descriptam & depictam *Observ. Tom. III. p.* 19. quæ Ficoides Peruviana, (in descriptione Chiloensis dicitur) folio triangulari, amplo flore purpureo vocatur, cui, quod observari meretur, insignis vis cathartica tribuitur. Nam quæ Kali aizoides Indiæ Orientalis procumbens, sive Mirasol (en novum huic generi nomen) nodosa, Mesembryanthemi species, floribus fere inconspicuis, foliis lanugine incanis *Pluk. Mant. p.* 111. dicitur, ea an vera hujus generis species sit, dubium est. Multo minus verisimile, quæ Ficoides forte Mauritanica perexigua habetur *Pet. Gazoph. Tab.* 39. *f.* 3. hujus esse census. Utcunque sit, de iis, quarum loci explorati sunt, observare licet, natales earum proprios, qua a gradu 28. ad 42. circiter patet ab Æquatore utrinque orbis terrarum plaga, circumscribi.

MESEMBRYANTHEMUM TRIPOLII FOLIO, FLORE ARGENTEO T. CLXXIX. F. 220.

DE Herbacearum familia est hæc species, ultra biennium non durans, tota humi sparsa, foliis imis, quæ ex eadem radice plura nascuntur, & caulículos longitudine fere æquant, Tripolii foliis satis similibus, sed crassioribus & magis succulentis. Cauliculi inter hæc proveniunt tres, quatuor & subinde plures, reclinati & foliis incumbentes, trientem longi, teretes, duobus tribusve geniculis distincti, quæ folia ambiunt inferioribus multo minora, bina ad genicula inferiora, terna vero & quaterna ad genicula superiora, e quorum alis juniora alia longe minora subnascuntur, coloris cum caule ejusdem, dilute nempe herbacei; reliqua autem folia colore sunt saturatius virente, linea albicante eorum medium percurrente. Superficies omnibus lævis, at circa margines minutis denticulis albidis fimbriata sunt, quod præcipue in minoribus foliis & inferiore conjugatorum parte conspicuum est, foliorum enim superiores margines crenas adeo minutas habent, ut nudo oculo non appareant; quod etiam imis illis longis foliis contingit, hæc enim non tam destituuntur denticulis, quam potius tam exiguos habent, ut conspici nequeant.

Secundo a satione anno e cauliculorum extremitate in pediculis brevibus teretibus flos nascitur candidissimus, ad meridiem expansus, & argenteo nitore resplendens, e petalis numerosissimis valde angustis, exterioribus longioribus, interioribus brevioribus & tenuioribus, conflatus, quæ tandem filamentosa fiunt, & in araneosam lanuginem abeunt, quorum intima stamina sunt, apices luteos parvos gerentia, sub quibus latet stylus in quinque cornicula tenuiter cirrosa divisus. Calyx in quinque latiuscula segmenta dividitur, fructui adhærens crasso, quinquangulari & quinquecapsulari, qui floribus emarcidis ob gravitatem suam propendere solet. Fructus interior pars seu vasculum, qua a calyce abscedit, in obtusum conum assurgit, quinque lineis distinctum, & per maturitatem in quinque lacinias cartilagineas candicantes dehiscit, relictis in medio sepimentis cartilagineis candidissimis, conipentagoni instar surrectis, inter quæ semina latent sat magna, reniformia, rugosa, per maturitatem obscure purpurea. Hoc vasculum figura prima integrum,

F.220.

Mesembryanthemum Tripolii folio, flore argenteo.

integrum, ſecunda apertum, tertia ſemina ſeorſum deſignata ſunt. Flores non ultra unum alterumve diem durant; nam, poſtquam ſemel aperti fuere, connivent, & ſupra vaſcula marceſcunt. Ceterum Junio Julioque menſibus plerumque comparent flores.

Plantæ huic tam longum dedit nomen *Plukenetius*, qui eam primo notam fecit, ut deſcriptionis loco inſervire poſſet. Dicitur enim ipſi, Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides major procumbens, Tripolii folio magis ſucculento, denticulis fimbriato, flore argenteo, ad umbilicum aureo, fructu magno pyramidali, quinquefariam diviſo, calloſo calyce pentagono incluſo *Mant. p.* 77. *Tab.* 329. *f.* 4. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 364. *n.* 3. Ceterum in Plukenetii figura crenæ, quas in nomine memorat, omittuntur, nec folia cauli, ea tranſadigenti, recte apponuntur. Id melius obſervavit *Bradley de Plant. Succ. Dec. V. Tab.* 47. ſed neglexit etiam crenas, & omiſit foliola juniora e ſuperioribus foliorum conjugationibus enaſcentia, ut & folia ima; deinde petala omnia ejuſdem fecit magnitudinis, quod & in Plukenetii figura commiſſum.

Ficoides Africanum erectum ramoſum, Tripolii folio, flore aureo magno *Tourn. Comm. Ac. Reg. Scient. An.* 1705. *p.* 239. *n.* 4. a *Breynio Cent. Pl. Rar. p.* 160. nomine Chryſanthemi aizoidis Africani primi ſeu latifolii deſcriptum & depictum, a noſtro longiſſime differt, nec Tripolii folia æque bene, ac hoc, refert; melius Calendulæ ea comparat Breynius.

In Horto Regio Pariſienſi pro Tournefortiana planta nunc oſtendunt Meſembryanthemum tortuoſum, foliis Sempervivi expanſis, quæ planta diverſa eſt a Breyniana, & hinc conjicere licet, vel Tournefortium aliam pro Breyniana habuiſſe plantam, vel, ſi eandem cum illo intellexerit, eam ibi interiiſſe.

MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM, PLANTAGINIS FOLIO UNDULATO T. CLXXX. F. 221.

PRo ſoli & loci conditione variam obtinet figuram, nam ſolo libero & lætiore planta fit multo major, folia lata, caules craſſos & majores cryſtallos habet, ramoſque ad cubitalem & amplius longitudinem protendit, eoſque præ foliorum onere procumbentes; ſolo autem ſteriliore & in fictili, locoque calidiore, pro ſeminibus maturandis (annua enim planta eſt, & ſeminibus propagari debet) repoſita, minor eſt planta, dodrantalis nempe & pedalis, ſtrigoſa, & ob foliorum præmaturam ariditatem minus pulchra. Plures autem ex eadem radice profert caules & ramos ſatis craſſos, undique ſparſos, in ſolo libero & læto humi appreſſos, ſterili vero & in fictili, libera nempe a foliis gravibus, magis ſurrectos, nunquam tamen erectos, (unde perperam Arborem diamantinam & fruticem bipedalem vocat *Auctor Plant. Succul. Dec. V. p.* 15. 16. eo magis, quod lignoſa non ſit planta, ſed herbacea & quidem annua, ut ipſe annotat) varie in latera ſparſos, quibus denſo agmine tubercula adhærent lucida, lympha pellucida plena, ſacchari cryſtalliſati, vel micarum glacialium inſtar nitentia; quæ tubercula per omnia etiam folia continuantur, minora tamen nec æque reſplendentia, niſi in junioribus foliis.

Ceterum folia priora & quæ ad ramorum divaricationes locantur, latiora ſunt, Plantagini latifoliæ quodammodo ſimilia, per margines undata & ſinuoſa, reliqua minora fiunt, a Plantagineis nonnihil diverſa, per extremitates magis acuminata, ſubinde tamen obtuſa, apicibus foliorum purpureo colore diſtinctis. Omnia craſſa & ſucculenta ſunt, ſapore ab initio aqueo, dein in receſſu ſubacri & nonnihil pungente.

Capitula ad foliorum alas naſcuntur brevibus pediculis inſidentia, ſimilibus micis glacialibus diſtincta, in quinque foliola ſinuoſa deſinentia, tria nempe majora viridia, & duo minora purpurea. Flos inter foliola hæc, quæ calyx, erumpit vere monopetalus, nam in baſi integer eſt & annuli inſtar cohærens totus extrahi poteſt; qui flos ſub meridiem ad veſperam uſque explicari ſolet, argenteo nitore ſplendens, cuſpidibus ejus levi purpura, externe præſertim, (minime in fundo, ut Auctor Plant. Succul. Dec. V. p. 16. dicit) tinctis. Ceterum florum laciniæ plures ſunt, verſus medium filamentoſæ, tenues & valde anguſtæ, ab initio in ſe tortæ, dein radiatim explicatæ, ita tamen ut cuſpides laciniarum ſitum primævum imitentur, ſeu incurvæ & nonnihil tortæ ſint, nunquam vero tam æqualiter, ac inter Plantas Succul. fig. 48. pinguntur, explicentur. Stamina e floris fundo oriuntur plurima tenuia, ab initio congeſta, dein explicata, apicibus pallide flaventibus terminata, inter quæ ſtylus latet in tenuia cornicula ad embryonem uſque diviſus. Vaſcula per maturitatem purpureo plerumque colore tincta ſunt, globoſa, ſplendentia, quinque lineis in ſummitate impreſſis notata, & in quinque loculamenta intus diviſa, in quibus ſemina continentur plurima, parva, arenoſa. Tale vaſculum figura marginali ſecunda integrum, tertia tranſverſim ſectum, prima vero flos e calyce extractus repræſentatur. Ramus major ad plantam in ſolo libero & lætiore naſcentem, minor ad plantam in fictili cultam factus eſt.

Floret Julio & Auguſto menſibus.

Synonyma ejus ſequentia ſunt: Ficoides peregrina procumbens maxima, foliis latiſſimis, una cum caulibus cryſtallina aſpergine ornatis *Volck. Flor. Nor. p.* 166. Ficoides Africana, folio Plantaginis undulato, micis argenteis aſperſo *Tournef. Comm. Acad. Reg. Scient. An.* 1705. *p.* 239. *num.* 1. *Bradl. Plant. Succul. Dec. V. p.* 15. *Tab.* 48. Ficoides Africana procumbens, foliis latioribus, una cum caule guttulis cryſtallinis, gemmarum inſtar fulgentibus, conſperſa, flore albo, intus luteo *Schwer. Cat.* Ficoides Africana margaritifera ſeu cryſtallina *Heuch. Ind. Hort. Vitemb. p.* 22. Meſembryanthemum procumbens latifolium, floribus argenteis minoribus; aliis Ficoides margaritifera *Ejuſd. Nov. Prov. p.* 48. Ficoides Africana latifolia, cryſtalloides *Tit. Hort. Maur. p.* 74. Ficoides Africana procumbens maxima, foliis latiſſimis, una cum caulibus cryſtallina aſpergine ornatis, flore albo *Pein. Hort. Boſ. An.* 1712. *&* 1713. Ficoides Africana maxima procumbens, foliis latiſſimis, una cum caulibus puſtulis cryſtallinis undique aſperſis, flore albo; vulgo Ficoides margaritifera *Wehm. Hort. Caſp. Boſ.* Meſembryanthemum margaritiferum *Vater. Cat. Hort. Vit. p.* 7.

MESEM-

F. 221.

Mesembryanthemum crystallinum, Plantaginis folio undulato.





F. 222.

Mesembryanthemum tortuosum, foliis Sempervivi congestis.

MESEMBRYANTHEMUM TORTUOSUM, FOLIIS SEMPERVIVI CONGESTIS T. CLXXXI. F. 222.

EX brevi caudice craſſiuſculo plures profert ramos inæquales, horſum vorſus ſuper humum ſparſos, (proprie non repentes, quantum adhuc obſervavi) ſubſtantia carnoſo-lignoſa conſtantes, cortice tectos glabro, coloris e fuſco luteſcentis, e quibus hinc inde alii minores contrario ſitu naſcuntur, ſimpliciter, i. e. nullis geniculorum veſtigiis apparentibus, prodeuntes, qui ſimiliter inæquales & tortuoſi fiunt, ad quorum genicula folia vel præterierunt, vel quæ remanſerunt, ſemiarida ſunt & per vetuſtatem in mera reticula reſolvuntur. Quin & folia, quæ in ſurculorum extremitatibus naſcuntur, flaccida plerumque obſervantur.

Solent autem folia hæc in extremitatibus præcipue ſurculorum juniorum naſci pinguia, plura juxta ſe contrario ſitu orientia & faſciculatim congeſta, ad baſim contracta, in medio latiora, extremitatem verſus mucronata, parte interiore leniter in medio excavata, exteriore producta & tumida, neque glauca, neque argentea, ſed ſimpliciter e luteo virentia, Sempervivi vulgaris foliis quadantenus ſimilia, ſed minus plana, & utrinque magis anguſtata, porro per margines fimbria piloſa non cincta, in ſuperficie autem crebris minutis punctis, æqualiter per lineas diſpoſitis, notata, ſucculenta & ſapore aquoſo prædita.

Flos, quam ſequentis, nonnihil minor & candidior eſt, & petala anguſtiora habet, ſuntque florum pediculi breviores, & non raro flores & pediculi vix e foliorum faſciculis prominent. Ceterum flores filamentoſi ſunt & argenteo nitore, qua parte candidi ſunt, ad ſolem reſplendent, media enim parte, qua ſtamina oriuntur, levi flavedine tincti ſunt & minus reſplendent. Inodori ſunt, interdiu explicati, noctu contracti, ad baſim connexi & in annulum contracti, qui toti, quamvis non ſine difficultate, extrahi poſſunt. Singuli flores ſecunda & tertia vice explicantur, dein fatiſcunt.

Calyces in quinque latiuſcula plana ſegmenta inæqualia dividuntur; duo enim majora, tria minora, & ex his unum valde parvum plerumque eſt. Aliquandiu ſupra fructum reſtant hi calyces & eum veluti mitratum efficiunt. Fructus autem oblongo-rotundus eſt, circa calycem in collum contractus, tuberculis minutis argenteis, ad ſolem reſplendentibus (multo tamen, quam in præcedenti ſpecie, languidius) in ſuperficie præditus, intus vero in quatuor tantum loculamenta, ſemina minuta continentia, diviſus. Figura marginali ſecunda fructus hic ſeorſum diſſectus, prima flos extractus, tertia planta junior deſignatur. Æſtate floret.

Huic quidem ſpeciei melius, quam ſequenti, reſpondere videtur figura Ficus aizoidis procumbentis, Portulacæ Africanæ ſempervirentis foliis, flore argenteo, ex Hort. Med. J. G. Volckameri *Floræ Nor. Heſp. Nor. J. C. Volck. ſubnexa p.* 221. *n.* 1. *p.* 224. *fig.* 3. *non* 1. Figura eſt nimis brevis, nec, ſiquidem vel hujus, vel ſequentis ſpeciei ſit, ſatis accurata, deſcriptio nimis ſuccincta. Melior eſt, quam dedit *Figurator Plant. Succ. Dec. II. p.* 7. *Tab.* 16. ubi *p.* 7. dicitur, Ficoides Capenſis procumbens, Oleæ folio, flore albo, medio croceo. Verum folia nec Portulacæ Africanæ, multo minus Oleæ, bene reſpondent, quamvis illi melius. Huc refero :

Ficoides

Ficoides Africanum Sedi majoris folio, aliquantulum cavo punctato, magis acuminato, floribus parvis candidiſſimis *Pluk. Amalth. p.* 90. Sed flores parvi dici non merentur. *Schwerin. in Cat. App. Mſc.* Ficoides Africanum erectum perfoliatum, folio anguſtiore ſplendente, flore albido, ſed perperam erectum, cum humile ſit & procumbens, dici ſignificavit J. H. de Sprekelſen J. U. L. Illius autem Appendicis nomina ideo cito, ut, ſi quando typis exprimatur, vel ſi alii ſimile nomen proferant, noſcatur quænam planta indigitetur.

Equidem non credo Plantas Capenſes, præſertim maritimas, naſci in Nova Hiſpania, nec dixerim eandem, ſed quoniam magna eſt inter hanc Meſembryanthemi ſpeciem, & plantam, quæ Mexicanis vocatur Nonochto, ſimilitudo, Lectores ſaltem monitos volo, ut in figuram illius, quæ extat in *Hiſt. Mex. p.* 392: oculos conjiciant, & ipſi ſtatuant, quod viſum fuerit.

MESEMBRYANTHEMUM TORTUOSUM, FOLIIS SEMPERVIVI EXPANSIS T. CLXXXII. F. 223.

CAULICULI & rami hujus ſpeciei, præcedentis inſtar, natura ſua inæquales & diſtorti ſunt, eſtque priori adeo ſimilis, ut negligentius intuenti eadem videri queat planta; differt autem caulibus ramoſioribus, aliquanto altius ſurgentibus, cum prioris a primo ortu procumbant, ramis ſibi invicem implexis, minus lignoſis, ſed mollioribus & magis carnoſis, cortice glabriore & dilutius luteſcente veſtitis, foliis viridioribus, nonnihil latioribus & tenuioribus, coſta parte exteriore evidentiore, interiore autem ſulco magis conſpicuo, licet minus, ac illius, concava ſint, donatis, punctis non tam rotundis, quam in oblongum potius tendentibus, quæ ad Solem argenteo colore reſpondent, quamvis minus lucide, ac aliæ teretifoliæ, multo minus autem, quam cryſtallina ſpecies. Præcipua autem in foliis differentia eſt, quæ non faſciculatim congeſta ſunt, ſed laxius digeſta, cruciato ſitu ſibi ex adverſo reſpondentia. Folia licet præcedenti nonnihil latiora ſint, juniorum tamen plantarum (vid. figuram 5.) folia potius anguſtiora viſa ſunt. Ea Sempervivi vulgaris foliis non prorſus abſimilia ſunt, præſertim quoad conſiſtentiam, figura autem melius reſpondent Gentianæ Alpinæ magno flore *J. B.* foliis, quamvis texturam habeant diverſam. Ceterum per ſiccitatem ea, illius inſtar, in reticulatam ſubſtantiam abeunt. Guſtu ſunt ab initio aquoſo, dein ſubacri.

Porro flores nonnihil majores & pallidiores, petalis aliquanto latioribus, pallidioribus & per vetuſtatem magis luteolis, calyx & vaſcula majora & toroſiora, non in quatuor, ſed in quinque loculamenta diviſa.

Ceterum flores humi incumbunt, ſatis ampli, prioris inſtar, filamentoſi, petalis anguſtis, cuſpidatis, in medio brevioribus & anguſtioribus, quibus apices pertenues albicantes inhærent, ipſa vero petala interiora luteola, exteriora & majora albida ſunt, dilutiſſima flavedine aſperſa, ad Solem nitentia. Calyx in quinque latiuſcula plana ſegmenta, tria majora & duo breviora (ſubinde tria minora, duo majora) dividitur, fructui inhærens ad floris jam conſpectum turbinato, tuberculis e viridi & argenteo micantibus reſperſo & velut reticulato. Calycis hæc folia aliquandiu ſupra fructum viridia manent, & eum velut mitratum efficiunt, dein areſcunt & in reticulatas ſubfuſcas membranas abeunt. Quæ calycis folia medio,

F. 223.

Mesembryanthemum tortuosum, foliis Sempervivi expansis.



F. 224.

Mesembryanthemum folio scalprato.

medio, ceu in aliis, fructui connaſcuntur, majora autem a fructu extant, minora vaſculum protegunt globoſum, quinque ſulcis ſuperficialibus & totidem in ſummo radiis (a ſtylo reſiduis) diſtinctum. Vaſculum autem, ut ſupra demonſtratum, in quinque loculamenta dividitur, in quibus ſemina latent arenacea. Loculamenta hæc ſuperiorem fructus partem, quæ calycis ſegmentis protegitur, occupant, inferior ſubter calycem pars, ceu in aliis, carnoſa & ſucculenta eſt, ad quam ſemina non pertingunt, quæ per vetuſtatem, ceu in reliquis, fungoſa fit.

Figura marginali prima fructus cum calyce naturali modo ſe habens, figura ſecunda idem fructus, explicatis calycis minoribus foliis, tertia vaſculum diſſectum, quarta ſemina ob oculos ponuntur.

Hujus ſpeciei ſynonyma certiora ſequentem in modum ſe habent: Ficoides Africanum, Sedi majoris folio, flore ampliore candido *Pluk. Amalth. p.* 90. Ficoides Capenſis, folio lato acuto, flore albo, intus luteo *Petiv. Gazoph. Tab.* 78. *f.* 10. *Cat. Vol. II. num.* 478. Ficoides Africana procumbens, foliis planis, conjugatis, lucidis, floribus amplis filamentoſis, ex albo flaveſcentibus *Bradl. Dec. III. p.* 7. *Tab.* 25. Ficoides Africana erecta perfoliata, folio latiore ſplendente, flore intus luteolo, in margine pallido *Schwer. Cat. App. Manuſcr.* ſed male, præcedentis inſtar, dicitur erecta.

Ex dubiis ſunt: Ficoides Africana repens, folio oblongo *Pein. Hort. Bos. Ann.* 1705. Ficoides Africana repens, folio oblongo, flore luteo *Eid. Ibid. Ann.* 1712. & 1713. Noſtra planta proprie non repit, nec flores lutei dici poſſunt. Non occurrit tamen alia ſpecies, cui nomen iſtud appropriari magis poſſit. Oramus Clar. Boerhaave, ut nos certiores reddat, an hæc ſit, Ficoides Afra humifuſa, folio Plantaginis latæ, flore aureo magno, ad Solem aperto Ind. Alt. p. 291. n. 2?

MESEMBRYANTHEMUM FOLIO SCALPRATO
T. CLXXXIII. F. 224.

MESEMBRYANTHEMI, cujus folia ſe non decuſſant, ſed in eodem plano obliquo jacent, tres vel quatuor ſpecies obſervavi. Prima folia reliquis habet ampliora & circa margines magis compreſſa, flores nonnihil ampliores, e petalis obtuſioribus, magis ſparſis & minus numeroſis, conflatos, nullis pæne pediculis inſidentes. Radix, reliquarum inſtar, craſſa & carnoſa eſt, pallide fuſca, ſub humo oblique poſita, multis circulis tranſverſis, qui foliorum veſtigia videntur, inſcripta, e qua fibræ dependent, nonnihil ramoſæ. Plures autem hujuſmodi radices craſſæ ad eandem plantam pertinent, & e ſingularum capite folia naſcuntur conferta, conjugatim in eodem plano, velut in Aloës quibuſdam ſpeciebus ſeſſilibus, quibus folia linguiformia ſunt, diſpoſita, marginibus tamen non horizontaliter, ſed oblique locatis, altero nempe margine cælum, altero terram reſpiciente. Tres quatuorve foliorum conjugationes plerumque comparent, quæ lata craſſaque ſunt, ſuperne plana, inferne pulvinata, læte virentia, lævia & ſplendentia, extremitatibus nunc obtuſis, nunc & plerumque nonnihil mucronatis, figura in pleriſque ſcalprum ſutorium referente, ſubſtantia ſuccoſſa, ſapore ſubauſtero, in receſſu ſubacri. Ceterum id peculiare habent hujus & ſequentium juniora folia,

quod complicata ſint & ſibi mutuo oblique inſerta, ſingula e ſingulis prodeuntia, quod figura marginali prima & ſecunda demonſtratur: figura ſeptima folium grandius facie ſupina, octava prona, idque reſectum, ut craſſities & ſubſtantia interior carnoſo-celluloſa appareat, ſeorſum exhibetur.

Flores Auguſto & Septembri menſibus e foliorum alis, incipiendo ab imis, ſucceſſive prodeunt, nullis omnino pediculis conſpicuis inſidentes, ampli, flavi, quam ſequentis nonnihil pallidiores, ad Solem reſplendentes, petalis, quam in ſequenti, nonnihil obtuſioribus, integris, ſubinde obiter inciſis, in quorum medio ſtamina numeroſa hærent, apices oblongos flavos gerentia, ſub quibus ſtylus locatur, modo ex novem, modo ex undecim corniculis villoſis conſtructus, quibus totidem reſpondent vaſculi cellulæ, ſemina arenoſa, ex rotundo mucronata continentes, quæ figura ſexta deſignata ſunt. Calyx e quatuor ſegmentis inæqualibus, duobus nempe longioribus & totidem brevioribus, componitur, cujuſmodi calycem nondum explicatum figura tertia monſtrat. Vaſcula per maturitatem ſubrotunda ſunt, corona in ſummitate e novem vel undecim radiis, a ſtylo reſiduis, cincta, quibus totidem reſpondent loculamenta, ut paullo ante dictum, quæ quomodo aperiantur, apud ſequentem ſpeciem demonſtrabitur, utriuſque enim eadem ratio eſt. Figura marginali quarta fructus integer, quinta diſſectus exhibetur.

Hujus loci exiſtimo, Ficoides Meſembryanthemum procumbens maximum, foliis craſſis, Lobi alicujus grandioris effigie Prom. Bon. Spei *Pluk. Amalth. p.* 90. Nec dubito quin ſit, Ficoides vel Ficus aizoides Africana humilis, folio craſſo ſplendente viridi Aloëformi, flore luteo magno *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 25. (quamvis ſub iis, quæ folia teretia habent, locetur.) Ficoides Afra acaulos, foliis Aloës, latiſſimis craſſiſſimis lucidis, flore aureo amplo, ſine pedunculo *Ejuſd. Ind. Alt. p.* 292. *n.* 10. ubi ſeorſum *num.* 5. Ficoides Afra acaulos, foliis latiſſimis craſſis lucidis conjugatis, flore aureo ampliſſimo *Tourn. Comm. Ac. Reg. Sc. Ann.* 1705. *p.* 239. *n.* 2. recenſetur, quam noſtræ eandem exiſtimabam ſpeciem; nondum enim alia, quæ nomini iſti reſpondeat, mihi adhuc innotuit.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIO LINGUIFORMI LATIORE T. CLXXXIV. F. 225.

RADIX ſecundæ ſpeciei primæ inſtar rugoſa, craſſa & carnoſa eſt, e qua folia naſcuntur craſſa linguiformia, parte ſuperiore plana, inferiore convexa, marginibus craſſioribus & minus, ac in illa, ſurrectis, glabra & ſplendentia, dilute virentia, præſertim baſim verſus, quæ luci obverſa ex innumeris veſiculis aquoſis conſtare deprehenduntur & ſucco aquoſo adſtringente ſcatent, quo ſapore radix etiam gaudet.

Foliorum horum tria quatuorve paria in eodem plano inclinato ſitu jacent, in extremitate nunc planiora & obtuſa, nunc circa margines, qua olim ſibi inſerta erant, veluti exciſa, (illa vetuſtiora, hæc juniora) e quorum conjugatione inferiore primum, dein altera pediculus enaſcitur brevis, obtuſe triquetrus, florem gerens ſatis amplum, aureum ſplendentem, ſtaminibus plurimis, apices oblongos aureos gerentibus, donatum, in cujus centro ſtylus brevis multiplex, in novem decemve cornicula cirroſa diviſus, ſedet. Flos, prioris inſtar, embryoni firmiter circumnaſci-

tur,

F. 225.

Mesembryanthemum folio linguæformi latiore.

F. 226.

Mesembryanthemum folio linguæformi angustiore.



tur, & totus integerque extrahi non poteſt. Calyx in quatuor, ſubinde in quinque ſegmenta diviſus eſt.

Floribus, quos æſtate & auctumno profert, evanidis vaſcula ſubnaſcuntur ſubrotunda, in novem decemve loculamenta diviſa. Quæ vaſcula per omnem hiemem reſtant, & ſub ver ſequens maturitatem adipiſcuntur, ubi obtuſe pyramidata fiunt, ſubfuſca, in decem, ſubinde in novem & octo ſegmenta craſſa fungoſa a faſtigio dehiſcentia (vid. figura prima) quæ tempore humido radiatim (vid. figura ſecunda & tertia) expanduntur, in quorum centro conus ſedet brevis (vid. lit. a. a. a.) a quo veſiculoſa loculamenta novem decemve in orbem digeſta ſunt, in quibus ſemina plurima (vid. b. b. b. & ſemina ſeorſum figura quarta & quinta) ſubrufa, arenoſa, apiculata, obtuſe triquetra continentur, oram vero cujuſque veſiculæ munit corpuſculum globoſum (c. c. c.) fungoſum, flaveſcens, & inter ſingula hæc corpuſcula laciniæ cartilagineæ ſubfuſcæ (d. d.) bigeminæ, in ſummitate, ſi curatius advertas, rugoſæ, decurrunt, ſegmentis fungoſis externis connatæ. Quæ omnes partes cum radiatim diſpoſitæ ſint, fit, ut fructus expanſus ſtellæ multiplicis figuram non illepide exprimat.

Dubius hæreo, an ad hanc vel ad ſequentium aliquam ſpeciem pertineat, Ficoides Afra acaulos, foliis latiſſimis craſſiſſimis lucidis conjugatis, flore aureo amplo, pedunculo brevi *Boerh. Ind. Alt. p.* 292. *n.* 7. Quod ſi ulli ex ſequentibus accenſenda ſit, hujus loci videri poteſt, Ficoides Afra acaulos, foliis latiſſimis craſſiſſimis lucidis conjugatis, flore aureo amplo, ſine pedunculo *Ejuſd. Ibid. n.* 6. Doceat, ſi placet, Cl. Auctor. Inter *Plantas Succul. Dec. III. p.* 6. *Tab.* 24. ſub nomine priore hæc ſpecies figuratur, in cujus figura folia verſus extremitatem nimis anguſtata, forte ad plantam loco calidiore & clauſo repoſitam facta, ibi enim, ut Auctor ipſe obſervat, longius excreſcere ſolent. Ceterum cur in deſcriptione Anglica pediculos deneget, in figura autem, nomine & deſcriptione latina pediculum tribuat, non immerito quis miretur.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIO LINGUIFORMI ANGUSTIORE T. CLXXXIV. F. 226.

TERTIA valde ſimilis eſt ſecundæ ſpeciei, flos idem, niſi quod petala exteriori parte levi rubedine tincta ſint, pediculus idem & folia pæne eadem, in eo autem differunt, quod vetuſtiora folia magis reflexa ſint, juniora vero folia, quæ & confertius & magis luxurianter, quam illius, naſcuntur, nonnihil intorta ſint & excavata, colore ſaturatius virente prædita. In fructu maxime obſervabilis differentia; hic enim minor eſt & mollior, non elevatus, ſed magis depreſſus, ſubrotundus, undecim plerumque angulis ſtriatus.

Ceterum fructus in undecim plerumque loculamenta dividitur, tot nempe, quot ſunt ſtyli cornicula, quæ depreſſa in fundo floris ſub ſtaminibus latent, criſpa & rugoſa, figura marginali prima ſeorſum repræſentata: figura altera fructus integer, tertia diſſectus ob oculos ponitur.

Flos, qui ſupra fructum, aliorum inſtar, marceſcit, & non facile extrahi poteſt, duplicem triplicemque petalorum obtuſiorum, ejuſdem fere longitudinis, ordinem habet, coloris lutei ſplendentis, cujus ſinu ſtamina numeroſa tenuia continentur,

apices

apices parvos luteos gerentia. Calyx in pluribus, quas examinavi, plantis in quatuor tantum æqualia ſegmenta diviſus erat. Pediculus uncialis, quam præcedentis, nonnihil longior videbatur, parte altera planus, altera in angulum elevatus, ex compreſſo triquetrus, pallide virens.

Sapor foliorum aquoſus, ſubauſterus, in receſſu pungens. Ceterum folia, priorum inſtar, aſpectu pinguia, lævia & nonnihil ſplendentia, circa margines & verſus ſummitatem veluti oblique reſecta, quod ab articulatione, qua ab initio juncta fuere, contingere videtur. Flores Auguſto & Septembri menſibus profert.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIO LINGUIFORMI LONGIORE T. CLXXXV. F. 227.

FOLIORUM figura, colore & conſiſtentia plane ſimilis eſt quarta tertiæ & ſecundæ ſpeciei, nec ab iis diſtingui poteſt, niſi quod folia habeat aliquanto longiora & magis erecta. Flores ſimiles & ſimili modo e foliorum exteriorum baſi naſcuntur; pediculi autem, quam utriuſque, longiores ſunt. Vaſcula minus, ac penultimæ ſpeciei, globoſa ſunt, in novem plerumque loculamenta diviſa, in quibus ſemina continentur plura, prioribus ſimilia. Calyx in quatuor tantum ſegmenta, tria longiora & anguſtiora, & unum brevius & latius, margine membranaceo cinctum, dividitur. Ceterum flores e duplici & triplici petalorum, aureo fulgore ad Solem reſplendentium, ſerie conſtant. Stamina numeroſa apices oblongos croceos gerunt.

Eodem cum præcedentibus tempore floret, & radicem illis ſimilem habet. Figura noſtra aliquot plantas juxta ſe naſcentes repræſentat.

Ex foliorum ſitu magis, quam in prioribus, erecto ad hanc ſpeciem referenda videtur, Ficoides ſeu Ficus humilis, folio triangulari lucido obtuſo, flore aureo magno *J. G. Volckam. Flor. Nor. p.* 165. cujus nomen & deſcriptionem in ſuæ *Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 6. intulit Rajus. Obſervandum autem figuram in Flora Noribergenſi exhibitam, minus eſſe accuratam, præſertim quoad folia, quæ nimis anguſta, incurva & in extremitate retuſa & ſubrotunda pinguntur: floris etiam pediculus juſto brevior eſt. Porro folia perperam dicuntur eſſe triangularia, minus bene etiam enſiformia vocat *Tournefortius*, qui Volckameriano nomini ſuum præpoſuit & Ficoidem Africanam folio enſiformi dilute virenti, flore aureo brevi pediculo inſidente, vocavit *Com. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 239. *n.* 7. quamvis pediculi hujus, quam præcedentium, longiores ſint. Volckamerianæ porro denominationis normam ſequuntur: Ficoides Africana humilis, folio triangulari lucido obtuſo, flore aureo magno *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713. & *Wehm. Hort. C. Boſ.* Sempervivum humile, flore aureo magno, fructu orbiculari, variis concamerationibus diviſo, foliis craſſis ſucculentis, longiuſculis triangularibus, obtuſis & lucidis *Heuch. Prov. Nov. Ann.* 1713. *p.* 47.

Atque hæ ſunt Meſembryanthemi ſpecies, foliis latis & planis præditæ, in Horto Elthamenſi nobis obſervatæ. Quæ folia habent a Planis diverſa, vel in caules non aſſurgunt, & Seſſiles ideo nobis dicuntur, vel cauleſcunt, de quibus in ſequentibus.

F. 227.

Mesembryanthemum folio linguæformi longiore.



F. 228.

Mesembryanthemum calamiforme.

F. 229.

Mesembryanthemum rostrum Ardeæ referens.

MESEMBRYANTHEMUM CALAMIFORME
T. CLXXXVI. F. 228.

INTER Seſſilia, quæ folia plana non habent, Meſembryanthema primum hoc eſto, quod licet ſurculos aliquot plures per ætatem proferat, caule tamen proprie dicto deſtituitur; quod enim in medio caulis vel trunci locum obtinet, in terra ſolet latere, & radici potius accenſeri debet. Plura autem huic ſpeciei non tantum in ſurculis, ſed & juxta hæc folia naſcuntur, contrario ſitu decuſſatim confertim & denſe prodeuntia, nunc ſurrecta, nunc modice incurvata, rigida, craſſa & carnoſa, digitum circiter longa, quæ licet exacte teretia non ſint, faciem tamen habent teretium foliorum, & ideo calamiformis nobis dicta fuit hæc ſpecies, eo quod vulgo in Anglia, nec admodum inepte, vocetur *The Quill-leaved Ficoides.* Sunt autem folia parte interiore, præcipue baſim verſus, leniter complanata, exteriori in dorſum ſubrotundum elevata. Quæ differentia in junioribus magis conſpicua eſt foliis, ceu quæ interiori parte tota magis adhuc plana ſunt, in exteriori vero convexa, & ideo proprie obtuſe triquetra ſunt; ſed, ut ſupra demonſtratum, quoniam rotunda magis, quam triquetra apparent, teretia dicuntur & calamiformia. Ceterum folia ſaturanter viridia ſunt, nebula glauca tam evidenter obducta, ut digitis etiam abſtergi queat. Porro punctis innumeris parvis viridibus notantur, & ſubinde lineis quibuſdam tranſverſis, præſertim inferiora ſeu annoſiora, diſtinguuntur. In faſtigio obtuſe mucronata ſunt, mucrone nunc purpureo, nunc virente. Sapor auſterus, adſtringens.

Flores in ſurculis brevibus naſcuntur, pediculis curtis inſidentes, ampli ſatis, e plurimis oblongis anguſtis petalis candidis, ad Solem argenteo nitore reſplendentibus, conflati, quæ petala verſus medium breviora & anguſtiora, tandemque filamentoſa fiunt, filamentis ſtaminum munia obeuntibus, & apices parvos ſubrotundos gerentibus, quibus æque ac filamentis color eſt pallide flaveſcens. Embryoni medio & calyci firmiter adnaſcuntur flores, nec inde ſine laceratione extrahi poſſunt: Inodori ſunt, ſingulique aliquoties circa meridiem aperiuntur. Solent autem plerumque ſerius, Julio nempe, Auguſto & Septembri menſibus, comparere. Stylus in octo craſſiuſcula cuſpidata ſegmenta diviſus intra ſtamina & apices latet, cui reſpondet fructus in octo loculamenta diviſus, quæ partes ſeorſum figura marginali ſecunda & tertia, prima vero flos plenius explicatus, exhibentur, in quo filamenta & ſtamina magis ſparguntur, quam ab initio, ubi in conum, laxiorem tamen, congeſta ſunt.

Figura ejus ſatis laudabilis proſtat inter *Plantas Succul. Dec. II. Tab.* 19. ubi *p.* 10. Ficoides Capenſis humilis, Cepæ folio, flore ſtramineo vocatur. Verum flores plane candidi ſunt, præterquam in medio, ubi dilutiſſime flaveſcunt, nec folia Cepaceis adeo bene comparantur. In floris figura id ſaltem noto, quod petala ſubito in minima definant, nec intermedia pedetentim tenuiora exprimat figura illa.

Silentium eſt de hac ſpecie apud Herbariæ rei Scriptores, niſi ſit Ficoides Africana, folio rotundo majore *Heuch. Hort. Vitemb. p.* 22. Ficoides Africana, folio longo tereti, majore *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713. *& Wehm. Hort. Caſp. Boſ.*

MESEMBRYANTHEMUM ROSTRUM ARDEÆ REFERENS T. CLXXXVI. F. 229.

SESSILE & hoc Meſembryanthemum eſt, ex meris foliis conſtans, cujus flores adhuc videre non licuit, luteos autem eſſe ſuſpicor. Folia latiuſcula craſſa ſunt, parte interiori plana, exteriori convexa, (unde proprie triangularia dici nequeunt) dorſo lato, in quo puncta latiuſcula albida, non valde crebra, obſervantur, parte vero interna ea minus conſpicua ſunt, niſi Soli obvertantur, & tum non valde evidenter. Color ipſis ex albido glaucus eſt: ſapor aquoſus, nonnihil pungens. Summitates plerumque obtuſæ, nonnunquam aliquantum aculeatæ ſunt. Verſus baſim aliquouſque conjuncta manent folia hæc & corpus teres, bulbi oblongi ſpecie, efficiunt, quod folia aliquot exarida aliquouſque cingunt, quod non facile obſervatur in aliis ſpeciebus, inde ſurſum vergunt ab initio, dein a ſe invicem recedunt & exteriora verſus plerumque reflectuntur, ſubinde vero nonnihil incurva, & per margines inæqualia ac denticulata vel aſperata ſunt, juniora præſertim folia, quæ non raro altius, ac figura noſtra monſtrat, inciſa ſunt. Quod hanc ſpeciem ab aliis potiſſimum diſtinguit, ſunt folia in corde poſita, quæ ſibi appreſſa ſurgunt, roſtrum Ardeæ non male exprimentia, a qua differentia nomen formatum eſt, & quibus placet, Anglice *The Heron's Bill* vocare poterunt.

Hujus loci videtur, Ficoides Africana folio enſiformi obſcure virenti, flore longo pediculo inſidente *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 239. *n.* 8. Schwerino in Cat. dicta videtur hæc ſpecies, Ficoides Africana humilis, folio oblongo, externa parte rotunda, interna plana: & forte *Boerhaavio Ind. Alt. p.* 290. *n.* 9. Ficoides Afra folio triangulari, dorſo lato, parum excavato, craſſo glauco, in aculeum breviſſimum abeunte.

Conferatur Aloë Africana glabro folio, minutiſſimis cavitatibus notato *Comm. Plant. Rar. p.* 76. *Fig.* 25.

MESEMBRYANTHEMUM RICTUM FELINUM REPRÆSENTANS T. CLXXXVII. F. 230.

QUONIAM Auctor Plantarum Succulentarum alteram huic ſimilem ſpeciem, quæ ſequenti Capite deſcribitur, Anglice *Dogs-Chaps* vocavit, hanc *Cats-Chaps*, ob dentes magis incurvos, vocare libuit. Tota ſeſſilis eſt, ex albido glauca, foliis ad baſim pallidioribus, in medio & extremitatem verſus ſaturatiore colore glauceſcente præditis, crebris maculis rotundis albidis, quæ luci obverſæ pori apparent, præſertim verſus extremitatem, reſperſis. Folia autem ex adverſo denſe ſibi impoſita cruciatim naſcuntur, & juniora folia hinc inde per faſciculos emittunt, per quos planta propagatur. Craſſa ſunt & valde ſucculenta, unde planta, ne putreſcat, per hiemem parciſſime irriganda. Breviora ſunt quam ſequentis, magis reſupinata, minus triquetra, ſed dorſo rotundiore prædita, aculeis crebrioribus longioribus incurvis, ſpinulis tenuibus mitibus terminatis, prædita. Quæ ſpinulæ nunc albeſcunt, nunc leviter rubent, aculei etiam ad margines albeſcunt, & folia porro in extremitate lineam albicantem habent, quæ verſus folii dorſum continuatur.

Flos

F. 230.

Mesembryanthemum rictum felinum repræsentans.

Flos primum in medio ſedet, poſtea plures ad latera ſucceſſive erumpunt, omni prorſus pediculo deſtituti, capitulo ſeu embryoni inſidentes ſubrotundo, unde calyx porrigitur, in quinque oblonga (duo latiora & tria anguſtiora) ſegmenta diviſus, ſegmentis in dorſo elevatis & calycem pentagonum efficientibus. Ceterum flos ſatis ſimilis eſt ſequentis flori, & eodem tempore, nempe circa pomeridianam tertiam, ſe aperit, & ſub noctem denuo clauditur, coloris intus aurei, (nulla rubedinis tinctura tranſparente) extus e luteo pallide rubentis, e triplici quadruplicive petalorum integrorum cuſpidatorum, interius nonnihil minorum, ordine conſtructus. Stamina numeroſa, magis, quam ſequentis, ſparſa, apices oblongo-rotundos, flori concolores, gerunt. Stylus in quinque tenuia fila diviſus vaſculum quinquecapſulare indicat.

Vaſcula autem rotunda ſunt, ſeſſilia, nullis omnino pediculis prædita, in ſummitate circulo ſubfuſco, a calyce marcido formato, coronata, in cujus centro ſtyli quintuplicis veſtigia, in ambitu vero quinque eminentiæ virentes extant, quæ & ipſæ cum ſtylo totidem loculamentis diviſum vaſculum indicant. Vaſcula hæc in medio Tabulæ num. 1. & 3. integra, 2. diſſectum, exhibentur. Ceterum figura ſuperior plantam cum flore inaperto, ut calyx appareat, inferior plantam cum flore aperto repræſentat. Obſervandum autem figuram utramque ad plantam juniorem factam, ubi & flores & folia pauciora; annoſiores foliis & floribus magis abundant.

Serius apud nos plerumque, Auguſto nempe & Septembri menſibus, floret elegans hæc Meſembryanthemi ſpecies, quæ antehac aliquoties Horto Elthamenſi illata per hiemem ob putredinem interiit, tandem vero a Jo. Henr. de Sprekelſen recuperata floruit, & ſiccius ſervata duravit, floreſque ſingulis fere annis libere profert.

A *Schwerino in Cat. Hamb.* vocatur, Ficoides Africana humilis, Aloës facie, foliis triangularibus ſpinoſis, rictum exprimentibus, flore aureo, ut ſignificavit laudatus modo Amicus, qui opera Schwerini in re hortenſi uſus fuit. Et hujus procul dubio loci eſt, Ficoides Afra, folio triangulari enſiformi craſſo, brevi, ad margines laterales multis majoribuſque ſpinis aculeato, flore aureo ex calyce longiſſimo *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 12. Ceterum videtur etiam hujus loci eſſe, Ficoides Africana, folio triangulari craſſiore, ſpinulis inermibus ad marginem inſtructo *Wehm. Hort. C. Boſ.*

MESEMBRYANTHEMUM RICTUM CANINUM
REFERENS T. CLXXXVIII. F. 231.

FOLIA habet craſſa, obtuſe triquetra, parte ſuperiore plana, inferiore in obtuſum dorſum deſinentia, conjugatim tranſverſo ſitu poſita, verſus extremitatem latiora, baſim verſus contracta, pallide glauca, aculeis dentiformibus in marginibus ſuperioribus, quam in præcedenti ſpecie, brevioribus, paucioribus & rigidioribus (innoxiis tamen) verſus faſtigium ſaltem armata; qui dentes mucrones plerumque purpuraſcentes habent & nunc ſurſum nunc deorſum ſpectant, in junioribus (in quibus rictum præcipue exprimunt) & mediis foliis magis conſpicui, nam in inferioribus & natu majoribus foliis ſenſim obliterantur.

E foliorum medio, Julio & Auguſto menſibus, unus alterve prodit ſurculus, foliorum

liorum aliquot minorum conjugationibus cinctus, e quibus pediculus nunc ſolitarius, nunc gemini, nunc terni naſcuntur, teretes, inferius tenuiores, ſuperius verſus calycem craſſiores, longitudine biunciali & quadrantali, in quibus flores naſcuntur ſatis ampli, aureo colore ad Solem reſplendentes, extremitatibus punicantibus, parte exteriori ex flavo rubeſcentes, e numeroſis petalis cuſpidatis, ſibi incumbentibus, conflati, quorum extremi margines ab inſectis plerumque arroſi ſunt. Flos id peculiare habet, quod nonniſi pomeridiano tempore, circa tertiam nempe & quartam horam, expandatur, noctu rurſus contrahatur; ita perſtat, per aliquot dies ſe aperiens & claudens, dein marceſcit. Stamina plurima medio flori inhærent, valde gracilia, non multum ſparſa, ſed circa ſtylum ſurrecta, in quibus apices plurimi lutei hærent. Stylus e quinque tenuibus corniculis cirroſis conſtat, cui reſpondet embryo quinquelocularis; vaſcula autem raro perfecit, ſed plerumque ea vel emarceſcunt, vel putreſcunt, ubi vero ea maturantur, parva ſunt, quinque tuberculis in ſuperiori parte prædita, quibus totidem ſubſunt loculamenta, ſemina plura arenoſa continentia, cujuſmodi vaſculum ſeorſum eſt appictum. Calyx in quinque ſegmenta pæne æqualia (duo reliquis tantillum longiora videntur) dividitur.

Eſt Ficoides Capenſis humilis, folio triangulari prope ſummitatem dentato, flore luteo *Bradl. Plant. Succ. Dec. II. p.* 8. *fig.* 17. in qua figura petala omnia eadem magnitudine minus accurate deſignata, nec ſtamina rite expreſſa, nam in umbonem nimis latum diffuſa ſunt. Ficoides Africana folio craſſo trilaterali cruciato, apice obtuſo, & interiori parte canellato *Schwer. Cat.* Quid canellato? an potius cancellato? Ficoides Africana triangulari majori glauco & denticulato folio *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713. *& Wehm. Hort. C. Boſ.*

Hujus etiam loci ſuſpicor, Ficoides Africanum foliis ad ſummitatem dentatis, qua parte bina foliola ad denticulos arcte copulantur *Pluk. Amalth. p.* 88. Ubi in junioribus, inquit, foliis ſerræ ita inter ſe mutuo aptantur, ut bina illorum folia ſibi invicem articulatione quadam conjungi videantur. Et ſane aculei in hac & præcedenti ſpecie in junioribus foliis ita mutuo committuntur, ut ipſa folia proxime ſe tangant, ſed quoniam folia ad ſummitatem dentata dicit Plukenetius, hanc potius, quam illam, ab eo indigitari exiſtimo. Hujus porro loci videtur, Ficoides Africana humilis, folio triangulari glauco, dorſo aculeato, flore luteo *Tourn. Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 28. (In junioribus foliis dorſum nonnihil, in ceteris margines præcipue, aculeati ſunt) Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana humilis, folio viridi craſſo longo, ad ſuperiora ſpinoſo, conjugato *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 14. Ficoides Afra folio triangulari enſiformi, glauco craſſo, ad margines laterales paucis inermibus ſpinis aculeato, flore in longo pedunculo aureo *Ejuſd. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 11.

Relatum habeo, a Botanicis Pariſienſibus hanc ſpeciem nunc oſtendi pro Ficoide Africana folio triangulari lanceolato & aculeato *Tourn.* quo nomine Meſembryanthemum uncinatum ſcabrum, petalis purpureis circumarctis, deſignari ſuſpicatus ſum. Verum ſi hoc ſynonymon hujus loci ſit, velim intelligere, quænam ſpecies ſit, Ficoides Africana humilis, folio triangulari glauco, dorſo aculeato, flore luteo *Tourn.*

MESEM-

F. 231.

Mesembryanthemum rictum caninum referens.



MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS ROBUSTIS ALBICANTIBUS T. CLXXXIX. F. 232.

FOLIA inferiora oblique jacent, reliqua magis ſurrecta ſunt, non, aut parum ſaltem, inflexa vel falcata: intima ſeu juniora, aliorum inſtar, appreſſa prodeunt. Ceterum folia longa, craſſa rigidaque ſunt, lævia & ſplendentia, interne vel ſuperne plana, ſubtus in dorſum ſubacutum producta, quod dorſum parte inferiore obtuſius & rotundius, ſummitatem folii verſus acutius eſt & magis extat, quamvis omnia folii latera inter ſe proxime æqualia ſint. Colore gaudent ubivis eodem, ex albo nempe eleganter glauco, niſi quod baſim verſus magis flaveſcant & lineis tenuibus tranſverſis exarata ſint, cum reliqua parte ubique æquabilia ſint.

Floruit olim Elthami Auguſto menſe, ſed mihi peregre abſenti flores videre & deſignare non licuit; Patronus autem Horti amplos luteos fuiſſe referebat, pediculo longo craſſo inſidentes.

In Horto Chelſejano frequentius hieme floret, unde ſtolonem ſemimarcidum nactus figuræ meæ adpinxi, ex quo mihi conſtitit, vaſcula in plurimos (decem undecimque) loculos diſtingui, & multicapſularia ea eſſe.

Figuram exhiberi exiſtimo inter *Plantas Succul. Dec. V. Tab.* 43. *ubi p.* 20. vocatur, Ficoides Africana folio triangulari enſiformi, glauco craſſo, flore amplo aureo. Folia videntur ſpatio Tabulæ accommodata eſſe, nam non tantopere incurva ſeu falcata me adhuc obſervaſſe memini, licet plurimas ejus plantas viderim: Florum pediculus juſto longior videtur factus.

Ficoides Africanum triangulari robuſtiſſimo folio *Hermannus Parad. Bat. p.* 172, „ Foliis, inquit, eſt inter omnes, quæ hactenus innotuerunt, Ficoidis ſpecies „ robuſtiſſimis glaucis, trigonis rigidis, digitum longis, pollicem craſſis, multis, ut „ prior (Ficoides Africanum erectum ſpinoſum *Herm.*) in ſuperficie foraminulis „ non perviis inſignitis; ceterum tardiſſime germinat, nam triennii ſpatio vix di„ giti longitudinem aſſequuta eſt. Utriuſque fructus quinquecapſularis erat." Hæc deſcriptio noſtræ ſpeciei reſpondet, niſi quod folia foraminulis imperviis inſignita dicantur, quæ me nondum obſervaſſe memini, & quod noſtræ fructus plura, quam quinque, loculamenta obtineat. Eandem deſcriptionem & nomen *Hiſtor. ſuæ Plant. Tom. III. p.* 366. *n.* 16. inſeruit *Rajus.*

In *Flora Norib. p.* 166. ni fallor, vocatur Ficoides Africana humilis, folio triangulari, longo glauco: & *a Schwer. in Cat.* Ficoides Africana, folio triangulari longiſſimo, flore amplo ſulphureo: a *Peinio* vero in *Hort. Bos. Ann.* 1712. 1713. Ficoides Africana triangulari folio longiſſimo, flore aurantio, ſi concedamus Hortulanos floris colorem non bene diſtinxiſſe.

Demum videtur eſſe, Ficoides Afra, folio triangulari longo glauco, marginibus obtuſis *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 10.

MESEMBRYANTHEMUM BELLIDIFLORUM
T. CLXXXIX. F. 233.

EX meris foliis, ex adverſo decuſſatim naſcentibus & confertim poſitis, conſtat, uncialibus & biuncialibus, ſaturanter glaucis, ſuperne planis, inferne in dorſum ſubacutum productis verſus ſummitates tam ſuperne, quam inferne, ſeu in omnibus lateribus denticulis, acutis rigidiuſculis armatis, lævibus, non punctatis, niſi luci obvertantur folia, ſed rugis aliquot tranſverſis, in plantis præcipue junioribus & foliis natu majoribus vel & flacceſcentibus, inſcriptis. Folia nunc humi jacent, nunc modice erecta ſunt, e quorum mediis alis, Auguſto & Septembri menſibus, quin & ſerius, pediculi naſcuntur unciales, ſeſqui & biunciales, teneri, teretes, aphylli, (ſubinde foliorum conjugatione præditi) quorum faſtigio flores innaſcuntur, Bellidis quadantenus figura & magnitudine, ab initio candidi, ſplendentes, dein pallidiores, ex obſoletiore purpureo colore albicantes, petalis ſecundum longitudinem linea purpurea tam extus, quam intus, ſtriatis. Singuli flores aliquoties circa meridiem explicantur, & petala habent regulariter in orbem expanſa, duplici triplicique ſerie diſpoſita, in extremitate nunc integra, nunc obiter inciſa. Stamina candida in capitulum collecta apices albidos geſtant.

Calyx in quinque æqualia glauca ſegmenta dividitur, & velut in ceteris vaſculo connaſcitur, quod depreſſum eſt & quinque prominentiis ſtellatis terminatur, quibus totidem reſpondent loculi ſemina continentes. Quod vaſculum figura marginali prima & ſecunda integrum, tertia tranſverſim ſectum exhibetur.

Deſignatur inter *Plant. Succul. Dec. II. Tab.* 18. & *p.* 9. vocatur, Ficoides Capenſis humilis, folio triangulari, in ſummitatem dentato, flore minore purpuraſcente. Figura ad plantam juniorem, in qua folia majora & rugoſiora, facta videtur: Flores juſto minores ſunt, nam & in junioribus plantis majores eſſe ſolent, nec, ut nec calyx, bene deſignati ſunt. Noſtra figura ad plantam mediæ ætatis facta, quæ terra lætiore repoſita erat, & floribus ideo magis, quam alias ſolet, luxuriabat.

Hujus porro ſpeciei ſynonyma mihi cenſentur: Ficoides Africana humilis, folio triangulari breviori, nonnihil ſpinoſo ſeu denticulato *Flor. Norib. p.* 166. Ficoides Africanum Meſembryanthemum triquetro folio, flore albo parvo, polyanthos *Pluk. Mant. p.* 77. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 364. *n.* 2. Ficoides Africana folio triangulari incurvo & dentato *Tourn. Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 20. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana humilis, folio craſſo viridi, ad extrema ſpinoſo, flore violaceo *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 12. Ficoides Africana humilis, folio viridi triangulari, in apice dentato *Schwer. Cat.* Ficoides Afra folio triangulari longo, marginis inferioris ſupremo aculeato, flore violaceo *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 15. Forte Ficoides Africana triangulari folio glauco, flore albo ſtriato *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713. Ficoides Africana erecta, folio triangulari glauco, cauliculis albentibus, flore albo ſtriato *Wehm. Hort. C. Boſ.* Sed male dicitur erecta; aliam vero cui flores albi ſtriati & folia triangularia ſint, non novi ſpeciem, ut huc neceſſario referenda videatur.

Tantum de Seſſilibus Meſembryanthemis, quæ Cauleſcunt, folia habent vel Radio piloſo terminata, vel Eo deſtituta. De illis primum.

MESEM-

F. 233.

Mesembryanthemum Bellidiflorum.

F. 232

Mesembryanthemum foliis robustis albicantibus.



Mesembryanthemum radiatum, ramulis prolixis, recumbentibus.

F. 235.

Mesembryanthemum radiatum humile, foliis minoribus.

F. 236.

Mesembryanthemum radiatum humile foliis majoribus.

MESEMBRYANTHEMUM RADIATUM, RAMULIS PROLIXIS, RECUMBENTIBUS T. CXC. F. 234.

QUÆ cauleſcunt Meſembryanthemi ſpecies, paſſim a Rei Herbariæ Scriptoribus erectæ & fruteſcentes appellantur, licet multæ ſpecies proprie non fruteſcant, nec ſibi relictæ erectæ naſcantur. Talis eſt hæc ſpecies, cujus cauliculi ſublignoſi quidem fiunt, graciliores tamen ſunt, & ramuli, ni ſuſtententur, procumbunt, immo licet ſuſtententur, naturam tamen ſuam ſervant & penduli extra ligaturam hærent. Crebri autem huic ſunt ramuli, ſibi invicem incumbentes, molliores & fragiles ubi virent, per ſiccitatem vero lenti & flexiles, teretes, ſubcinerei aſpectus, ſicci & velut aridi, quorum geniculis brevibus intervallis folia hærent tumida, in obtuſum mucronem deſinentia, tuberculoſa, cutis Serpentinæ inſtar reticulata, luci obverſa punctata, in extremitate ſpinulis (quinque, ſex ſeptemve ſtellatim diſpoſitis) radiata, ab initio viridiuſculis, dein ſubfuſcis, tandem nigris, in quorum centro punctum ſedet nigrum. Quæ folia proprie teretia non ſunt, ſed veluti triquetra, parte ſuperiore ſubplana, inferiore convexa, magis tamen teretia, quam triquetra, dici merentur. Color iis e glauco ſaturatius virens.

In ramulorum ſummitatibus Julio & Auguſto menſibus flores naſcuntur pauciores, ſolitarii plerumque, mediæ magnitudinis, e petalis cuſpidatis integris (ſubinde leviter in apice inciſis) minus numeroſis & ſimplici plerumque ſerie diſpoſitis conflati, coloris e purpureo in vivide violaceum tendentis, ſuperficie ſerici inſtar reſplendente, qui color ſplendori mixtus tam eminens eſt, ut nullo pigmento exprimi queat. Petala hæc omnia ejuſdem plerumque magnitudinis ſunt, præter pauca aliquot e capitulo medio exeuntia, quæ reliquis multo anguſtiora & pallidiora ſunt, & ex hujuſmodi petalis peranguſtis capitulum floris, ſtamina & apices continens, componitur, ut flores filamentoſi inde fiant, ſed minus, quam in aliis, conſpicue, quoniam petala ſubito in minora illa filamentoſa deſinunt, quæ ab initio in capitulum collecta ſunt, quamvis procedente tempore filamenta ab invicem magis abſcedant & florem tandem vere filamentoſum efficiant. In horum filamentorum medio ſtamina hærent pertenuia, apicibus exiguis luteis terminata. Stylus quinquefidus & vaſculum quinquecapſulare eſt. Calyx in quinque teretia plerumque æqualia ſegmenta dividitur, quæ & ipſa, foliorum inſtar, in apice piloſa ſunt. Ceterum flores lucente Sole a ſeptima & octava matutina ad meridiem uſque expanduntur, mox vero poſt meridiem, lucente licet Sole, contrahuntur. Singuli autem flores multis diebus perſtant & pluries explicantur, plani ab initio & regulariter, Aſteris inſtar, extenſi, dein petala reflectuntur, Sole præſertim urente. Floribus odor quidam ineſt, ſed pertenuis & vix obſervabilis, ad Oxyacanthæ florum odorem accedens. Cum vero odoris hic mentio inciderit, lectores monitos velim, ſi nulla odoris mentio facta fuerit in hoc genere, tum flores inodoros eſſe.

Dabimus more noſtro ſynonyma ex ſerie Auctorum, nempe enumerando primo eos, qui vel deſcriptione vel icone illuſtrarunt plantam, dein eos ſecundum annum, quo ſcripſerunt, qui ſolum plantæ nomen dederunt.

Prima igitur hujus deſcriptio & figura exhibita fuit in *Fl. Nor. Heſper. Norib.*

J. C.

J. C. Volck. ſubnexa *p.* 222. *num.* 4. *figura autem eſt ſub num.* 6. de qua notandum, quod flos naturali magnitudine nonnihil minor factus ſit, petala vero nimis obtuſa exhibeantur. Vocatur ibi Ficus aizoides folio tereti, in villos radiatos abeunte, flore rubro. Sed flos ruber non eſt, nec, ut in deſcriptione habetur, ex rubro purpureus, verum, ut ſupra demonſtratum, e purpureo violaceus. Altera extat inter *Plantas Succul. Dec. I. Tab.* 5. ubi *p.* 6. vocatur, Ficoides Capenſis frutescens, folio tumido, extremitate ſtellata, flore purpureo. Figura ſatis bona eſt, niſi quod calyx juſto tumidior ſit, & quod in ejus ſegmentis omiſſi ſint pili. Tertiam habet *Petiverus Gazoph. Tab.* 77. *f.* 9. cui in *Catalogo* dicti *Gazophylacii* audit, Ficoides Capenſis tereti folio, apicibus hirtis. Figura eſt vitioſa, in qua nec flos, nec calyx, nec folia pilique ſtellati recte exprimuntur.

Sola nomina ſunt: FicoidesAfricana erecta teretifolia, nonnihil glauca, ſummitatibus foliorum ſpinoſis, ſpinulis in ſtellam diſpoſitis *Volck. Flor. Nor. p.* 165. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 10. Ficoides Meſembryanthemum teretifolium, foliis ſaturate viridibus glabris, ſpinulis rarioribus coronatum, flore purpureo *Pluk. Amalth. p.* 89. qui glabrum & viride dicit, reſpectu duarum ſequentium ſpecierum, quarum folia magis hirta & pallida ſunt, proprie enim glabra non ſunt. Ficoides Africana folio tereti, in villos radiatos abeunte *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 241. *n.* 34. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio variegato aſpero, ad apicem ſtella ſpinoſa ornato, erecta *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 21. Ficoides Africana foliis glaucis, ramulorum extremitatibus in ſpinas abeuntibus *Schwer. Catal.* Meſembryanthemum Africanum rectum, teretifolium, nonnihil glaucum, ſummitatibus foliorum ſpinoſis, ſpinulis in ſtellam diſpoſitis *Heuch. Nov. Prov. p.* 47. Ficoides Africana erecta teretifolia, nonnihil glauca, ſummitatibus foliorum ſpinoſis, ſpinulis in ſtellam diſpoſitis *Pein. Hort. Boſ.* 1712. & 1713. Ficoides Africana Sedi minoris folio, in ſummitate ſpinulis in ſtellam diſpoſitis, flore purpureo *Hort. Maur. p.* 74. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio variegato aſpero, ad apicem ſtella ſpinoſa ornato, flore violaceo *Boerh. Ind. Pr. p.* 124. *n.* 19. *Alt. p.* 291. *n.* 11. Meſembryanthemum Africanum rectum teretifolium, in apice ſtellatum *Vater. Cat. H. Vit. p.* 26. Ficoides Africana erecta teretifolia, ſummitatibus foliorum quodammodo ſpinoſis, ſpinulis in ſtellæ modum diſpoſitis, flore rubro *Whem. Hort. Caſp. Boſ.* ubi aliam ſpeciem (vel an varietatem?) recenſet, flore albo præditam, quæ ipſi dicitur, Ficoides Africana erecta teretifolia, nonnihil glauca, ſummitatibus foliorum quodammodo ſpinoſis, ſpinulis in ſtellæ modum diſpoſitis, flore albo. Hæc mihi nondum viſa, illa vero perperam flore rubro dicitur.

MESEMBRYANTHEMUM RADIATUM HUMILE, FOLIIS MINORIBUS T. CXC. F. 235.

PLANTÆ hujus Meſembryanthemi primo ſecundoque anno ſeſſiles ſunt, ſequentibus vero cauliculos acquirunt humiles & ramos reſupinatos (ut tota planta quadrantalem & trientalem altitudinem raro ſuperet) craſſiuſculos, lentos ſublignoſos, cortice cinereo veſtitos, in plures breves ramulos ſubdiviſos, in quibus folia ex adverſo tam denſe congeſta naſcuntur, ut ſuis glomeribus totam ollam

lam repleant. Sunt autem folia in annoſioribus plantis minora, quam in junioribus, cujuſmodi eſt figura num. primo locata, ſecunda autem plantam biennem deſignat, in qua folia majora ſunt, & ſurculi, quibus folia inſident, tum ſpinis tenuibus obſiti apparent, quæ in ramis annoſioribus dein evaneſcunt.

Ceterum folia omnia tumida ſunt, ſuperiore vel interna parte ex plano leniter elevata, inferiore ſeu exteriore rotundata ſeu in dorſum convexa, unde teretia proprie non ſunt, ſed ex tereti triquetra. Subhirſuta ſunt, pilis brevibus, retis elongati in modum diſpoſitis, denſiſſime obſita, in extremitate vero ſpinulis albicantibus, radiatim e centro luteſcente orientibus, terminata. Color iis e glauco cinereus.

Flores ſerius, Septembri nempe & Octobri menſibus, erumpunt, quam præcedentis ſpeciei nonnihil minores & pallidiores, colore ex purpureo in dilute violaceum deſinente, vivido & ad Solem reſplendente, e petalis anguſtis cuſpidatis integris, ejuſdem pæne magnitudinis, conflati, in quorum medio capitulum ſedet albicans, e filamentis & ſtaminibus, apices parvos ex albo flavicantes gerentibus, conflatum; quæ filamenta in capitulo diutine collecta perſtant, nec niſi per vetuſtatem ab eo recedunt. Intra ſtamina octo latent cornicula perbrevia, denticulorum ſpecie, coloris e flavo vireſcentis, embryoni inſidentia (ſtyli nempe ſunt) & circa ea alii denticuli nonnihil craſſiores & viridiores, ceu in multicapſularibus plerumque fit, ſedent, quibus embryone diſſecto totidem, octo nempe, reſpondent loculamenta. Unde apparet a loculamentorum numero non bene dividi poſſe hoc genus vel in genera ſubalterna, vel in ſpecies, quoniam præcedens ſpecies longe ab hac, cui ſimilis, removenda foret. Calyces in quinque, tria longiora, craſſiora teretia, foliis ſimilia, & duo breviora, & tenuiora concava ſegmenta dividuntur: illa in apice piloſa, hæc ſubter apicem piloſa ſunt: ſubinde ſex ſegmenta obſervantur. Pediculi unciam plerumque longi ſunt, e flavo virentes, piloſi, præſertim verſus vaſcula, quæ pilis abundant longioribus, & lanuginoſa ab his efficiuntur, quod me in nulla alia ſpecie adhuc obſervaſſe memini.

Figura tertia eſt planta junior, e ſurculo depacto nata, quæ eodem anno floruit, in qua folia, quam alias ſolent, craſſiora ſunt. Num. quarto calyx, ſtamina & denticuli remotis petalis, quinto embryo per tranſverſum ſectus exhibentur.

Figurator *Plantarum Succul. Dec. II. Tab.* 15. figuram ſuam ad plantam juniorem effigiaſſe videtur. Petala juſto obtuſiora videntur, lanuginem vero fructui ſeu calycis baſi addidit nimis parcam, & radium piloſum in calycis ſegmentis plane omiſit. Figura ceteroquin ſatis bona eſt. Nomen figuræ tribuitur p. 6. ſequens, Ficoides Capenſis humilis, folio tereti, pilis in extremitate ſtellatis, flore purpureo.

Plukenetio Amalth. p. 89. dicitur, Ficoides Meſembryanthemum teretifolium viride, villis roridis ſplendens, ſummo vertice ſpinulis coronatum, flore purpureo: *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 20. Ficoides ſeu Ficus azoides Africana, folio variegato aſpero, ad apicem ſtella ſpinoſa ornato, minori: *Schw. in Cat.* Ficoides Africana humilis teretifolia, foliis in ſummitate ſtellatis, ſtellulis brevioribus: *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 12. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio variegata aſpero, ad apicem ſtella ſpinoſa. *Vater. in Cat. H. Vit. p.* 26. Meſembryanthemum Africanum procumbens teretifolium, ſummitatibus foliorum ſpinoſis, ſpinulis in ſtellam diſpoſitis.

MESEMBRYANTHEMUM RADIATUM HUMILE, FOLIIS MAJORIBUS T. CXC. F. 236.

HOc tam ſimile eſt præcedenti, ut, ni curatius obſerves, differentiæ vix appareant. Viſum mihi ſæpe idem & ſaltem illius junior planta eſſe, cum conſtet in hujus generis plantis junioribus omnia majora eſſe, verum accuratiore obſervatione diverſum plane apparuit. Illius ſurculi depacti nunquam tam craſſa & longa folia protrudunt, quod & in annuis & bimis trimiſque utriuſque ſpeciei plantis comparatione inſtituta conſtitit. Porro hujus ſpinulæ longiores, craſſiores & rigidiores magiſque incanæ ſunt, & plantæ annoſiores minus cauleſcunt, ramos breviores paucioreſque emittunt. Color foliorum idem, ni paulo magis in hac ſpecie ad ſaturatius glaucum tendat. Utriuſque ſapor aquoſus ſubacidus, in receſſu acris. Figura noſtra ad plantam bimam facta.

Apud nos, quod ſciam, nondum floruit, licet vulgaris ſit hæc ſpecies, nec quiſquam Auctorum adhuc diſtinxit, præter

Schwerinum, cui in *Cat. Hamb.* dicitur, Ficoides Africana humilis teretifolia, foliis in ſummitate ſtellatis, ſtellulis productioribus.

Atque hæ ſunt Meſembryanthemi ſpecies, quarum folia Radio piloſo terminantur. Quæ nunc ſequuntur radio dicto carent, & folii margines habent vel Interruptos, vel Non interruptos ſeu æquales. Ex illis primum ſit, cujus folia in Dorſo proceſſum habent extantem, quod nobis ob foliorum peculiarem figuram dicitur

MESEMBRYANTHEMUM FOLIO DOLABRIFORMI T. CXCI. F. 237.

AB initio humile eſt, ſurrectum, per ætatem vero majus fit & robuſtius, non multum tamen aſſurgit, ſed totum humilius manet, ita ut ſexennales plantæ dodrantalem altitudinem non multum ſuperent. Caudex ejus tum ſatis craſſus, lignoſus, e quo alterna ſerie plures in latera vergentes rami reclinati tortuoſi naſcuntur, cortice veſtiti obſolete rufeſcente, glabro quidem, ſed tranſverſim rimoſo & inæquali, quorum extremitatibus plura juxta ſe adverſa cruciatim diſpoſita folia innaſcuntur craſſiuſcula, ſuperne obtuſe plana, inferne dorſo ſubrotundo prædita, verſus extremitatem magis compreſſa & in proceſſum inferiori parte exſtantem terminata, dolabræ minoris, qua ligna cæduntur, quodammodo figura. Colore ſunt e glauco ſaturanter virente, (niſi vetuſtiora fuerint, quæ luteſcunt & tandem arida facta fuſca fiunt) tota punctis crebris viridibus (quæ luci objecta pellucida apparent) notata, quæ puncta in extremitatibus foliorum protuberant & folia hac parte ſubaſpera reddunt.

Flores Julio, Auguſto & Septembri menſibus plures profert, pediculis ſeſqui & biuncialibus inſidentes, foliorum aliquot, a reliquis diverſorum, conjugationibus cinctis; ea enim dolabelli-formia non ſunt, ſed abſque appendice brevia, craſſiuſcula, cuſpidata. Sub veſperum, inſtar Meſembryanthemi rictum caninum referentis, explicantur flores, &, illius inſtar, plures ex eodem pediculo non raro naſcuntur, ſed

Mesembryanthemum folio dolabræ-formi

F. 238.

Mesembryanthemum serratum, flore acetabuliformi luteo.

ſed longe minores & colore nonnihil pallidiore, dilutius nempe flaveſcente, præditi. Licet autem veſperi, nempe circa quartam pomeridianam, explicentur, id tamen non facile, niſi Sol luceat, in hac & ſuperius memoratis ſpeciebus contingit. Ceterum flores e pluribus anguſtis petalis cuſpidatis, exterioribus magis explicatis, interioribus magis ſurrectis, conflati ſunt, ab initio in ſe ſpectantibus & concavos flores efformantibus, poſtea magis planis & ſparſis, coloris extus dilute rubentis, intus, ut ſupra dictum, pallide flavi, in quorum centro ſtamina ſurrecta ſtant, apices craſſiuſculos teretes gerentia, & intra hæc filamenta quinque, ſtyli munia obeuntia. Calyx in quinque æqualia ſegmenta dividitur, quæ, ubi flos explicatur, deorſum flectuntur, ab initio vero & poſt floris contractionem erecta ſunt. Ceterum flores diutius, quam Meſembryanthemi rictum caninum & felinum referentis, nempe per pleramque, ni totam noctem, aperti manent.

Vaſcula ſubnaſcuntur parva, ex rotundo quinquangularia, ſingulis angulis ſubrotundis, ſtria per medium impreſſa notatis, in quinque loculamenta, ſemina parva arenoſa continentia, diviſa. Tale vaſculum figura marginali prima & ſecunda integrum & tranſverſim ſectum, tertia ſemina ſeorſum exhibentur.

Figura ſatis laudabilis, ad juniorem plantam, in qua folia majora effigiata, proſtat inter *Plant. Succul. Dec. I. Tab.* 10. *& p.* 11. vocatur Ficoides Capenſis humilis, foliis Cornua cervina referentibus, petalis luteis, noctiflora. Verum folia cornua cervina non referunt, quadantenus autem Damæ cornua, quibus in deſcriptione Anglica comparantur.

Cetera ſynonyma videntur: Ficoides Africanum folio ſubrotundo, ſumma parte bifido *Pluken. Amalth. p.* 88. Ficoides Africana folio enſiformi varie inciſo, aureo flore pediculo inſidente *Tourn. Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 239. *n.* 9. Ficoides Africana erecta, folio in ſummitate lato, bovini dentis inſtar, flore aurantio *Schwer. Cat.* Ficoides Afra folio triangulari ſecuris forma, flore aureo ſtellato *Boerh. Ind. Alt p.* 290. *n.* 14.

MESEMBRYANTHEMUM SERRATUM FLORE ACETABULI-FORMI LUTEO T. CXCII. F. 238.

ELEGANTIS hujus ſpeciei ramum exſiccatum, &, cum in Anglia hodienum non coli ſignificaſſem, ipſam plantam virentem miſit Amicus ſingularis Jo: Henr. de Sprekelſen J. U. L. Erat autem ſeſquicubitalis planta, caulibus lignoſis, digito minori tenuioribus, parum ramoſis, (pedamento alligatis, abſque quo ſe ſuſtentare nequeunt, quin plane procumbunt) cortice cinereo veſtitis, in cujus ramis ſuperioribus flores Junio Julioque menſibus naſcebantur ſat ampli, eleganter lutei, e duplici triplicique petalorum ordine conſtructi, petalis obtuſis integris, ſubinde obiter laciniatis, exterioribus longioribus planis, interioribus ſubito brevioribus, magis ſurrectis, concavis, ad quorum baſim corolla eſt apicum croceorum, breviſſimis ſtaminibus hærentium, fundus autem floris liber eſt, lævis, acetabuli inſtar concavus, quod ſingulare eſt in hoc genere, nec in alia adhuc ſpecie obſervatum. Stylum in medio flore nullum obſervare potui, præter tuberculum globoſum in centro hujus acetabuli ſeſſile, a quo quinque eminentiæ breves decurrunt, farina apicum reſperſæ, quæ pro ſtylo ideo habendæ; ab his vero eminentiis

tiis quinque lineæ per fundum floris ductæ ſunt, unde vaſculum quinquecapſulare eſſe colligitur. Singuli flores pluries explicantur, ſolent vero, ſi Sol ferveat, tantum explicari ab octava matutina ad tertiam & quartam uſque pomeridianam. Leviter odorati ſunt, odore ad certum genus non reducendo.

Calyx in quinque ſatis longa mucronata ſegmenta, in dorſo obiter ſerrata, dividitur, quorum tria longiora, duo breviora ſunt, verſus baſim membrana pellucida, maculis rubentibus diſtincta, cincta; illa vero membranis iſtis carent. Ceterum calyx & ejus ſegmenta punctis majuſculis albentibus Soli obverſa notata apparent, & folia etiam, ſed circa margines tantum, ſimilia puncta obtinent. Folia autem, præter ea quæ in ramis floridis naſcuntur, plura juxta ſe proveniunt, longa ſatis & mucronata, triquetra, in dorſo tantum, raro per margines, quod huic peculiare, & ſat profunde ſerrata, coloris e viridi glauci. Rami, præſertim floridi, ex tereti leniter circa margines compreſſi ſunt, inferius cinerei, ſuperius verſus flores nunc dilute virentes, nunc eleganter purpuraſcentes.

Vaſcula ſubnaſcuntur ſatis grandia, ſuperius depreſſa, purpuraſcentia, quinque angulis obtuſis prædita, in quorum centro ſtella hæret quinquefida, a ſtylo reſidua, inferius ſubter calycem e pallide virente colore glauceſcentia, utrinque leniter compreſſa & veluti alata, quæ alæ, ut ſupra demonſtratum, per florum pediculos ad ramos uſque ſenſim imminutæ protenduntur. Ceterum vaſcula in quinque ſatis ampla loculamenta diviſa ſunt, in quibus continentur ſemina grandiuſcula, ex rotundo compreſſa. Figura prima embryo diſſectus, ſecunda vaſculum integrum, tertia tranſverſim ſectum, quarta ſemina ſeorſum appicta ſunt.

Liberrime naſcitur & floret hæc ſpecies, ſed ſtudioſe propaganda eſt ſurculis depactis, annoſior enim facta facile perit.

A *Petivero in Catal. Gazoph.* dicitur, Ficoides Capenſis triangulari folio, longo crenato & figura ejus *Tab.* 78. *n.* 2. exhibetur, qua flos, præter conſuetudinem, ſatis bene exprimitur, folia autem non æque bene deſignata ſunt.

Plukenetio audit, Ficoides Meſembrianthemum procumbens luteum, folio triquetro longiore viridi, ad unicum angulum per longitudinem minutiſſime denticulato *Amalth. p.* 89. Synonyma ejus dubia alio refero. Tournefortio dicta videtur hæc ſpecies, Ficoides Africana folio longo triangulari incurvo, caule purpureo *Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 28. *Schwerinus in Cat. Hamb.* vocavit Aſterem Africanum, folio triangulari, flore luteo calicis forma, &, ut videtur, *Wehmannus in Hort. C. Boſ.* Ficoides Africanum, folio triangulari glauco, cauliculis rubentibus.

MESEMBRYANTHEMUM PERFOLIATUM,
FOLIIS MINORIBUS DIACANTHIS T. CXCIII. F. 239.

EQUIDEM, ſi accurate examinentur, plerorumque hujus generis folia ad baſim ita conjuguntur, ut a caule perforentur, ſed quoniam in nulla, ac hac & ſequenti ſpecie fit, id tam evidenter contingit, ideo perfoliatæ inde a Rei Herbariæ Scriptoribus non immerito dictæ fuerunt.

Cauliculi hujus ſpeciei graciles tereteſque ſunt ad ramorum uſque ortum, quos palmari & bipalmari ab ima parte diſtantia frequentiores, quam ſequens ſpecies, acquirit,

F. 240.

Mesembryanthemum perfoliatum, foliis minoribus diacanthis.

Mesembryanthemum perfoliatum, foliis majoribus triacanthis.

acquirit, magis reclinatos, foliis longe minoribus & magis recurvis, una tantum ſpinula breviore in dorſo armatis, cinctos. Ceterum & folii apex in ſpinulam, ſequentis more, definit, ſed breviorem & albicantem, cum illius ſpinulæ plerumque purpuraſcant. Caules & rami licet rigidi ſint, ni tamen pedamento alligentur, procumbere ſolent. Et folia & intergenicula, quæ foliorum cauliculos inveſtientium elongationes ſunt, punctata ſunt, punctis, quam in ſequenti, nonnihil minoribus, colore foliorum & intergeniculorum, illius inſtar, eodem, ſed ſaturatius e glauco virente & minus albicante, caules autem corticem habent minus candidum, nempe ex flavo ſubfuſcoque in albidum obſoletum deſinentem. Intergenicula parte ſuperiore craſſiora, inferiore anguſtiora ſunt. Flores in pediculis foliatis e foliorum alis naſcuntur ſequenti ſimiles, ſed minores, quos rarius quidem profert, non æque tamen raro, ac ſequens ſpecies. Calyces in quinque æqualia glauca ſegmenta dividuntur. Vaſcula quinquecapſularia ſunt.

Icon extat ſatis laudabilis inter *Plant. Succul. Dec. III. fig.* 27. ubi nomen *Boerhavii Ind. Alt. p.* 290. *n.* 17. nempe Ficoides Afra, folio triangulari glauco, perfoliato breviſſimo, apice ſpinoſo.

A *Volckamero in Flora Nor. p.* 164. & ex Volckamero a *Rajo Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 9. dici videtur, Ficoides Africana minor procumbens, folio triangulari nonnihil denticulato ſeu ſpinoſo: a *Tournefortio in Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 26. Ficoides Africana erecta, folio triangulari glauco, punctis obſcurioribus notato: a *Boerhaavio Ind. I. p.* 123. *n.* 7. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana arboreſcens, lignoſa, perfoliata, folio glauco brevi, ad ſuprema averſa parte ſpina unica armato: a *Peinio*, Ficoides Africana fruteſcens, flore purpuraſcente, folio triangulari brevi glauco, quodammodo ſpinoſo *Hort. Bos. Ann* 1712. & 1713.

MESEMBRYANTHEMUM PERFOLIATUM, FOLIIS MAJORIBUS TRIACANTHIS T. CXCIII. F. 240.

CAULES graciles culmum non multum ſuperant, ſublignoſi, rigidi, ima parte teretes, cuticula tenui candida veſtiti, inde mox compreſſi, inferius ſurrecti, parum ramoſi, dein, ubi ramulos & folia plura, quamvis natura ramis non valde ab imo luxuriet, acquirit, ni ſuſtententur, procidui fiunt rami. Palmari & pedali ab imo diſtantia cauliculi & ramuli ex viridi glauceſcunt & herbacea intergenicula (de foliorum natura participantia) habent, ex tereti compreſſa, parte ſuperiore, qua folia ab invicem abſcedunt, craſſiore, inferiore tenuiore, cortice craſſo carnoſo, nervum tenuiorem lignoſum continente, prædita. Folia autem a caule perforantur, triquetra, angulis inæqualibus prædita, dorſo productiore & acutiore, parte foliorum ſuperiore anguſtiore, non plana ſed leniter elevata, angulis lateralibus obtuſioribus, quam inferiore. Folii extremitas & dorſum aculeata ſunt, in junioribus nempe plantis & foliis dorſum uno tantum, in adultioribus plerumque duobus, & tribus ſubinde, ea armata ſunt aculeis, colore plerumque obſcure purpureo tincta. Folia autem & intergenicula glauca ſunt & punctata, punctis nempe viridibus diſtincta, quæ glaucedo firma eſt, nec digitis abſtergi poteſt.

Non quibuſque, ſed calidioribus tantum annis floret, floribus dilute purpureis, ſub meridiem explicatis, e petalis anguſtis, interius ſenſim minoribus & filamentoſis, conflati, filamentis intimis in capitulum collectis & in ſtamina tandem abeuntibus, quibus apices parvi flavi inſident. Calyces in quinque, duo nempe majora, ſpinoſa, & tria minora, non ſpinoſa ſegmenta dividuntur. Vaſcula quinquecapſularia ſunt, quinque tuberculis acutis purpureis terminata, quæ ſeorſum in margine num. 1. integra, & num. 2. tranſverſim ſecta deſignata ſunt.

Figura ſub nomine *Boerhaaviano* proſtat inter *Plant. Succul. Dec. V. Tab.* 46. Dicitur autem *p.* 13. Ficoides Africana fruteſcens perfoliata, folio triangulari glauco punctato, cortice lignoſo tenui candido, quod nomen debetur *Tournefortio in Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 25. Quod ſi hæc ſpecies diſtincta ſit, ut vult Auctor Dec. V. p. 13. ab illa, cujus icon exhibetur *Dec. III. fig.* 26. cur idem illi nomen adſcribit? Mihi quidem illius figura ad juniorem tantum plantam effigiata videtur, vel ſi diverſa ſit, incognita eſt.

Huc refero, Ficoides Meſembryanthemum majus erectum, folio triquetro viridi, verſus apicem tuberculoſum *Pluk. Amalth. p.* 88. Et huc pertinet, Ficoides Africana erecta, foliis longiſſimis, perfoliatorum inſtar pullulantibus, unica ſpinula in dorſi ſummitate *Schwer. Cat.* quamvis unicam tantum ſpinam tribuat & perperam folia longiſſima dicat.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS DIFFORMIBUS, FLORE LUTEO T. CXCIV. F. 241. 242.

HORTI Elthamenſis olim per plures annos alumna fuit hæc ſpecies, cujus figuram ad vivam plantam deſignare neglexeram, & opportunitas inde, quod hiemis injuria perierit, eam conficiendi erepta fuit, quare icone ex Hermannianis Delineationibus mutuata eam Fig. 241. illuſtrare neceſſe habui; poſtea eam ex Horto Chelſejano recuperavimus, & occaſio hinc data fuit ſupplendi defectus figuræ illius, quæ habitum plantæ & modum naſcendi bene quidem repræſentat, verum flores ejus, folia & reliquæ partes juſta magnitudine, quæ in hoc genere neceſſaria, deſignatæ non ſunt, cujus differentiam Fig. noſtra 242. demonſtrat.

Ceterum media hæc ſpecies eſt inter Cauleſcentia & Seſſilia Meſembryanthema, proprie autem ad procumbentia pertinet, & ramulos ea quidem per ætatem provectiorem lignoſos acquirit, ſed curtos & humi appreſſos, e quibus brevi diſtantia in pediculis tenuibus brevibus, ſublignoſis, obſolete & pallide fuſcis folia confertim enaſcuntur craſſa & ſucculenta, læte virentia & ſplendentia, e triquetra ad teretem figuram inclinantia, verſus baſim latiora & parte ſuperiore aliquouſque nonnihil complanata, inferiore rotundata, quibus verſus mediam partem, qua complanatio deſinit, proceſſus quidam breves utrinque (ſubinde ex altero tantum latere, & aliquando plane deſunt) protuberant; inde vero verſus mucronem diverſam folia figuram aſſumunt, nempe e tereti compreſſa latera habent. Lata autem & plana folia non ſunt, ſed, ut modo demonſtratum, ex triquetro teretia. Porro id peculiare habent hæc folia, quod alterutrum ex contraria parte altero ſemper ſit multo brevius, quæ cauſſa eſt, ut difformia folia dicantur. Folia crebris punctis majuſculis inſcripta ſunt, quæ non tantum luci objecta, ſed & inde remota,

pallida

Mesembryanthemum foliis difformibus, flore luteo.

F. 242.

pallida & pellucida apparent, ſubinde obſcurius virent, nigricantia vero nondum obſervaſſe memini, plerumque vero nonnihil protuberant hæc puncta & folii ſuperficiem veluti inæqualem efficiunt.

Flores per æſtatem & ſerius e foliorum faſciculis naſcuntur mediocriter magni, Meſembryanthemis linguiformibus ſimiles, ſed aliquanto minores, & colore ſaturatiore luteo tincti; interne nempe ex aureo ſplendent, externe e croceo rubeſcunt, per vetuſtatem autem interne etiam croceum colorem induunt. Petala oblonga ſunt, per extremitates obtuſa, integra, minus numeroſa, ſimplici & duplici ſerie in orbem diſpoſita. Stamina in medio flore plurima ſunt flava, apicibus oblongis flavis terminata, quorum ſinu conditur ſtylus, e pluribus (octo) corniculis brevibus cirroſis (e luteo vireſcentibus) compoſitus, quibus vaſculum (figura marginali prima) ſuccedit in octo loculamenta diviſum, ſemina (figura ſecunda) triquetra, per maturitatem fuſca rugoſa continens. Florum pediculi ſatis craſſi, herbacei, ſucculenti, obtuſe triquetri, modo breviores, modo longiores ſunt, a ſemunciali ad uncialem & ſeſquiuncialem longitudinem protenſi. Calyces in quinque ſegmenta dividuntur.

Icon ejus extat non mala in *Plukenetii Phytogr. Tab.* 325. *f.* 4. *& Alm. p.* 148. dicitur, Ficoides Meſembryanthemum craſſiſſimo & valde ſucculento folio, nigris punctulis notato. Non abſimili nomine ejus mentio facta erat in *Horto Beaum. p.* 17. nempe dicitur, Ficus azoides Africana, folio triangulari craſſiſſimo & nigris punctulis notato. Ab *Hermanno* in *Cat. ad Calc. Par. Bat. p.* 7. vocatur, Ficoides Africanum folio triangulari brevi, craſſo, glauco, quod, ni figura in Delineationibus docuiſſet, hariolari nequiviſſem; nam nec glauca, nec, niſi alterutrum, brevia ſunt folia. Et huc forte referri debet, Ficoides Africana humilis, folio triangulari glauco bullato, flore luteo *Tournef. Comm. Acad. Reg. Scient. A.* 1705. *p.* 240. *n.* 27. Olim in Horto Elthamenſi ſervabatur ſub nomine ſequenti: Ficoides Afra foliis latiſſimis, craſſiſſimis, lucidis, difformibus *Boerh. Ind. Alt. p.* 292. *n.* 9.

MESEMBRYANTHEMUM DELTOIDES, NON DORSO, SED LATERIBUS MURICATIS T. CXCV. F. 243. *F.* 244.

PECULIARIS huic & duabus ſequentibus ſpeciebus foliorum ſtructura eſt, figuram literæ Græcæ Δ non male, præſertim in illis, referens. Differt autem ab illis hæc ſpecies foliis præcipue, quæ nonnihil longiora ſunt & dorſum læve ſeu non dentatum habent, lateribus, quæ dorſum ſpectant, non æque planis, parte interiore vero magis incurvata & aliquanto magis excavata. Denticuli etiam, qui ad margines foliorum bini utrinque locantur, minus extant, minuſque ſpinoſi ſunt; ſupremus ceteroquin apex folii in ſpinulam purpuraſcentem plerumque abit. Porro flores nonnihil ſaturatiore & magis ad violaceum vergente colore tincti videntur, magis ſparſi ſeu minus crebri juxta ſe poſiti, quorum ſtamina excuſſo apicum pulvere ab invicem abſcedunt & florem veluti filamentoſum efficiunt, quin & petala quædam tenuiora ſeu proprie filamentoſa habent, ſecus ac in ſequentibus ſpeciebus fit. Caulis cortex magis rimoſus & aſper eſt.

Ceterum tam illorum, quam hujus, folia ſuperficiem habent lævem: luci obverſa poroſa,

porosa apparent, succosa, gustu adstringente, subaspero & nonnihil in recessu pungente. Vascula tam in hoc, quam in sequentibus, turbinata sunt, in quinque loculamenta divisa.

Majo mense plerumque floret, & in Junium usque durant flores, odore præditi cum sequentibus eodem.

Plantæ juniores folia habent annosioribus majora, cujusmodi est ramus cum floribus tantum Figura 243. designatus: qui vero una vascula habet Figura 244. decerptus fuit ab annosiore planta. Ad hanc speciem mihi referenda videtur:

Ficoides Africana, folio triangulo crasso, canescens, flore persicino *Hort. Mauroc.* & Ficoides Afra, folio triangulari glauco brevissimo, crassissimo, margine non spinoso *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 22.

MESEMBRYANTHEMUM DELTOIDES, ET DORSO ET LATERIBUS MURICATIS, MAJUS T. CXCV. F. 245. T. CXCVI. F. 247.

Si sibi relinquantur præcedens, hæc & sequens species, procumbunt, quin si pedamento alligentur, tamen adeo naturalem nascendi morem affectant, ut rami earum non nisi anguino flexu assurgant, & a pedamento liberi dependeant, quare immerito has aliasque species, quas fruteſcentes dicere præstabat, erectas dixere Auctores quidam. Ceterum nascendi modum & reliqua, quæ huic cum sequenti specie communia sunt, apud illam recensebimus, differentiam, quæ inter utramque intercedit, hic enumerasse contenti.

Differt autem hæc species a minori, foliis majoribus & pallidioribus, denticulis eodem cum foliis colore præditis, floribus nonnihil amplioribus & pallidioribus, serius, (tribus quatuorve septimanis) post illius minoris flores apparentibus, colore, parce licet, ad violaceum magis vergente. Planta in reliquis minori adeo similis est, ut, ni hæ differentiæ observentur, vix distingui queat. Maji fine & Junio mense floret, habentque flores eundem cum minori specie odorem sat fragrantem.

Hujus olim ramum ad juniorem plantam pinxi, qui æri incisus est Tab. CXCV. Fig. 245. in quo flores rariores & majores erant, ramuli vero purpureo colore tincti; dein ad annosiorem feci figuram, Tabulæ CXCVI. conspiciendam, in qua flores æque, ac in minori specie, frequentes erant, nonnihil minores, ramuli vero annosiores & lignosi ex cinereo obsolete lutescebant, juniores, in quibus folia præcipue nascuntur, nunc ex glauco albicabant, nunc ex glauco purpurascebant: similiter florum pediculi.

Cum Auctores non distinxerint hanc speciem, synonyma post sequentem, cui magis, dempto Peteveriano, respondere videntur, conjunctim enumerabo. Habet autem *Petiverus Musæ. n.* 642. Ficoides Africanum, folio crasso muricato, quod hanc melius, quam sequentem, exprimit speciem.

MESEM-

F.246. *Mesembryanthemum deltoides, & dorso, & lateribus muricatis, minus.*

F.244. *Mesembryanthemum deltoides non dorso, sed lateribus muricatis.*

F.243.

F.245.

Mesembryanthemum deltoides, & dorso & lateribus muricatis, majus.



MESEMBRYANTHEMUM DELTOIDES, ET DORSO ET LATERIBUS MURICATIS, MINUS T. CXCV. F. 246.

AD bipedalem & amplius longitudinem excreſcit, caule tereti, digitali, inferius tortuoſo, cinereo obſoleto cortice obducto, exſucco veluti & arido, unde plures ex oppoſito longiuſculis (biuncialibus) intervallis enaſcuntur ramuli in latera ſparſi, cortice inferiori parte ſubfuſco, ſuperiore luteſcente, in plantis & ramulis junioribus purpuraſcente, tecti, creberrimis foliis brevibus craſſis triquetris toti fere obducti, quorum anguli omnes invicem æquales ſunt, margines vero nunc duobus, nunc & plerumque tribus dentibus tuberculoſis, in ſpinulam purpuraſcentem (in majori ejuſdem cum foliis coloris) deſinentibus aculeati ſunt, coloris, quam illius, magis glauci; viridia nempe ipſa quidem folia ſunt, ſed ſuperinducta cærulea nebula, quæ tactu abſtergi poteſt, glaucum ipſis colorem conciliat. Folia, ut ſolet in hoc genere, ad ſingula genicula bina ſunt, e quorum alis utrinque alia pediculis brevibus faſciculatim, tria nempe vel quatuor paria, innaſcuntur; qui pediculi proceſſu temporis elongantur & in novos ramos abeunt. Ceterum folia, ceu in aliis, ad baſim coëunt & a ramulis tranſadiguntur, a baſi anguſtiore verſus extremitatem undique dilatata, ita ut figuram literæ Δ, ut ſupra dictum, æmulentur.

Flores Majo menſe in extremis ramis plures veluti umbellatim digeſti naſcuntur, odoris florum Oxyacanthæ, coloris dilute purpuraſcentis, e ſimplici petalorum, admodum regulariter, Aſteris inſtar, expanſorum ordine compoſiti. Quæ petala integra plerumque & obtuſa, ſubinde leviter in extremitate inciſa ſunt, ſtaminibus ad baſim connexa & cum his ſpatio, quod inter calycem & embryonem intercedit, connata, unde ſine divulſione extrahi non poſſunt, & polypetali ideo habendi ſunt, præſertim quod ſupra fructum, aliorum inſtar, marceſcant. Stamina villoſa albicantia invicem connaſcuntur, coni obtuſi figura, apicibus terminata plurimis parvis flavis, e quorum medio ſtylus in quinque cornicula ad embryonem uſque diviſus prominet. Calyx in quinque ſegmenta brevia non aculeata dividitur. Satis diu floret, aliis aliis ſuccedentibus floribus, & iidem flores ſæpius explicantur, quin tempore calido per omnem diem noctemve aperti manent flores.

Ramuli pars, ſed non valde exacte, figuratur in *Flor. Norib.* ſubnexa *Heſper. Norib. J. C. Volck. p.* 224. *fig.* 5. *& p.* 223. *n.* 5. vocatur, Ficus aizoides Africana erecta, folio triangulari breviuſculo fimbriato, floribus roſeis odoratis, breviterque dicto loco deſcribitur. Cetera ejus Synonyma ſequentia mihi cenſentur :

Meſembryanthemum Africanum fruteſcens procumbens, triangulari folio glauco minimo, veluti tuberculis exaſperato, flore ſuave purpuraſcente ſeu carneo minore *Breyn. Prodr. II. p.* 68. Ficoides Africana erecta, folio triangulari breviuſculo fimbriato, glauco *Volck. Flor. Nor. p.* 165. Ficoides Africana erecta ramoſa, folio triangulari glauco & brevi, flore carneo *Tcurn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 24. Ficoides, ſeu Ficus aizoides Africana, folio triangulari craſſo, brevi glauco, ad tres margines aculeato *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 10. *II. p.* 290. *n.* 21. Ficoides Africana, folio triangulo glauco & fimbriato, flore roſeo odorato *Schwer. Cat.* Ficoides Africana repens, folio brevi triangulari glauco cre-

nato, flore purpuraſcente *Pein. Hort. Boſ.* 1712. & 1713. Ficoides Africana, folio brevi triangulari, glauco, crenato, flore pallide cæruleo *Wehm. Hort. C. Boſ.* Sic videmus eandem plantam alios erectam, alios procumbentem, pro diverſa nempe ejus ætate & cultura, vocaſſe. Apparet etiam alienum ipſi colorem a Wehmanno adſcriptum, quo fit ut credam, huc referri debere, Ficoides Meſembryanthemum Africanum, folio triangulato brevi, ſerris tuberculoſis cum ſpinulis mitioribus ad angulos marginaliter aſperato, flore phœniceo *Pluken. Amalth. p.* 89. licet phœniceus color plane diverſus ſit a purpuraſcente. In ſicca floris color obſoletus fit, a qua fortaſſe floris colorem divinavit Plukenetius.

Pertractatis Meſembryanthemis, quorum foliorum margines Inæquales & interrupti ſunt, ſequuntur nunc quibus Æquales aut evidenter interrupti non ſunt, quæ vel Triquetra, vel Teretia folia habent. Triquetra primum, dein Teretia tractabimus. Inter illa agmen ducant, quibus folia ſcabra ſunt, tanquam prioribus ex foliorum ſtructura proxime affinia; nam ob margines aſperatos, inter illa & his ſuccedentia læviora, quaſi media ſunt. Ex his primum eſto

MESEMBRYANTHEMUM SCABRUM, FLORE SULPHUREO CONVEXO T. CXCVI. F. 248.

CAULES habet cubitales & altiores, lignoſos, crebris geniculis nodoſos, cortice inferius cinereo rimoſoque veſtitos, ſuperius ex cinereo ſpadiceos & magis glabros, ſtolones autem, qui e ramis ſatis longi enaſcuntur & flores geſtant, ex cinereo ſpadiceoque luteſcunt. Ceterum caulis in plures ramos tortuoſos dividitur inferius & in medio, ſuperius autem in ramos & ſtolones rectos, parum diviſos, abit, quibus in faſtigio pediculis ſeſqui & biuncialibus flores inſident ſatis ampli, utrinque pallide flavi, ſubinde levi rubedine exterius tincti, e pluribus oblongis anguſtis cuſpidatis petalis, quibus hinc inde nonnulla minora interſperſa ſunt, conſtructi. Qui flores id peculiare habent, quod non, niſi per aliquot horas, expanſi ſint, nam Sole meridianum attingente, mox contrahuntur & petala ejus globi ſpecie in ſe coëunt. Ceteroquin ſinguli flores aliquoties aperiuntur & ſatis diu æſtivis menſibus durant, novis floribus emarcidis ſuccedentibus. Stamina in medio flore plurima ſparſa hærent, apicibus parvis terminata, ad baſim floris annulo connexa, quicum, licet non ſine difficultate, integer flos extrahi poteſt. Stylus e quinque craſſiuſculis corniculis villoſis, embryoni incumbentibus, conſtat; qui ſtylus, ſtamina & apices eodem cum petalis ſunt colore. Calyces in quinque ſegmenta, quorum oræ membranaceæ & exſuccæ ſunt, dividuntur. Vaſcula ſub emarcidis floribus latent minora, obtuſe turbinata, quinquecapſularia, quæ, ubi matura facta ſunt, per ſiccitatem contracta manent, humiditate vero ſtellatim dehiſcunt, in quorum centro ſub ſtella membranacea ſemina latent parva, arenoſa, obſcure flaventia. Qui per humiditatem dehiſcendi modus & in reliquis hujus generis ſpeciebus ſimiliter ſe habet.

Folia ad genicula hærent triquetra, glauca, ſubaſpera & rugoſa, crebris nempe tuberculis undique obſita, quæ tubercula luci objecta totidem puncta pellucida apparent. Sapor iis adſtringens: Hermannus in Hort. Lugd. Bat. p. 248. nunc „ ſalſum, nunc aquinſipidum dicit, prout fert ingenium ſoli, in quo naſcitur. Loco nempe natali ad mare ſalſus foliis ſapor eſſe debet.

Hanc

P. 256.

T. CXCVI.

F. 248.

F. 247.

Mesembryanthemum deltoides, & dorso & lateribus muricatis, majus.

Mesembryanthemum scabrum, flore sulphureo convexo.

Hanc ſpeciem primo ſubobſcure ex figura a ten Rhyne tranſmiſſa deſcripſit *Jac. Breynius Cent. Rar. Plant. p.* 165. ubi Chryſanthemum aizoides Africanum, triangulari folio, minus, flore flavo, nominavit, quod nomen dein in *Prodr. I. p.* 26. ita correxit: Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana media, triangulari folio, flore flavo: in *Prodr.* vero *II. p.* 68. poſtquam ipſam plantam vidiſſet, ſequentem in modum emendavit: Meſembryanthemum Africanum fruteſcens medium erectum, triangulari folio craſſo glauco, fructu turbinato parvo, quinquangulari lignoſo, flore luteo majore. Deſcriptionem Breynii recitavit *Rajus* & Chryſanthemi aizoidis Africani tertii, ſive triangulari folio Breynii ſpeciem quartam minorem flore flavo, vocavit *Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 693. Poſtea clarius deſcripſit & figuram addidit *Hermannus in Hort. Lugd. Bat. p.* 247. ſub nomine ſequenti: Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana minor erecta, folio triangulari glauco, flore luteo. Figura autem in eo minus placet, quod contracta & naturali magnitudine longe minor ſit, in cujuſmodi figuris fieri nequit, ut plantarum partes recte exprimi queant; quam deſcriptionem & nomen recitavit etiam *Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1879. *n.* 2. & in *Tom. III.* denuo idem nomen ſine deſcriptione recenſuit *p.* 366. *n.* 18. Alteram, eamque paullo meliorem, figuram dedit *Bobartus Hiſt. Oxon. Part. III. Sect. XII. Tab.* 6. *ſer.* 2. *fig.* 3. ubi Ficoides Africana fruteſcens, folio triangulari breviore glauco; *pag. vero* 507. *num.* 3. Ficoides Africana minor erecta, folio triangulari glauco, flore luteo *Herm.* dicitur. Figura in eo melior eſt Hermanniana, quod folia melius exprimat, in eo autem vitium habet, quod foliis magnitudine naturali deſignatis flos juſto minor non reſpondeat. Porro petalorum ſitus & forma non bene obſervatur, pro longitudine ſunt nimis lata, & omnia ejuſdem magnitudinis facta. Tertiam, utraque meliorem, magnitudinis naturalis exhibuit *Figurator Plant. Succul. Dec. IV. Tab.* 37. ubi *p.* 15. nomen Boerhavii, nempe, Ficoides Afra caule lignoſo, erecta, folio triangulari enſiformi ſcabro, flore luteo magno *Boerh. Ind. Alt. p.* 289. *n.* 7. Ceterum in figura illa flos fatiſcens cum petalis reflexis & nimis denſis, omiſſis minoribus, exhibetur, in quo umbo nimis latus, nec ſtamina, nec ſtylus exacte deſignata ſunt, in foliis autem tubercula omiſſa, quæ & deſiderantur in figura Bobarti.

Reliqua Synonyma ex ſerie Auctorum ſunt: Kali Africanum azoides minus erectum, folio triangulari glauco, flore luteo *Amm. Hort. Boſ. p.* 18. Ficoides Africana flore luteo, folio triangulari *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. *& ſeqq.* Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides fruteſcens media erecta, triangulari folio craſſo glauco, fructu turbinato parvo quinquangulari lignoſo, flore luteo majore *Pluk. Alm. p.* 148. quod nomen, adjectis quibuſdam ſuperfluis, eſt Breynii ſupra recitatum. After Promontorii Bonæ Spei, folio triangulari, flore luteo *Schwer. Cat.* Ficoides Africana minor, flore luteo, folio triangulari *Heuch. Hort. Vitemb. p.* 22. Meſembryanthemum Africanum erectum minus, flore luteolo, folio triangulari glauco *Ejuſd. Prov. Alt. p.* 44. Ficoides Africana fruteſcens Kali folio, flore amplo luteo-albicante *Hort. Maur. p.* 74.

MESEM-

MESEMBRYANTHEMUM UNCINATUM SCABRUM, PETALIS PURPUREIS CIRCUMACTIS

T. CXCVII. F. 249.

AD ſeſquipedalem & bipedalem altitudinem excreſcit, non multum fruticoſum, caulibus non valde craſſis, e quibus rami naſcuntur lignoſi, culmum craſſi, procumbentes, ni ſuſtentati fuerint, & ſibi invicem impliciti, teretes, cortice veſtiti cinereo, ſuperiores autem ſurculi e ſpadiceo luteſcunt, & tandem pallido herbaceo colore tincti obſervantur, proxime ſubter flores latiuſculi, hinc ſenſim inferiora verſus graciliores, leniter compreſſi etiam & linea utrinque extante, a foliorum dorſo procurrente, velut alati.

Flores pediculis innaſcuntur uncialibus & biuncialibus, alterna ſerie e foliorum alis egredientibus, minores, dilutius purpurei, e petalis contortis & circumactis, cujuſmodi in nulla alia ſpecie adhuc obſervavi, conflati, verſus baſim anguſtioribus, verſus extremitatem latioribus, integris, ſimplici ſerie locatis, qui flores non pedetentim, ſed derepente circa umbilicum filamentoſi fiunt, ea quidem ratione, ut umbo floris non niſi congeries ſit petalorum brevium cuſpidatorum, Bardanæ capituli junioris ſpecie, quorum extima purpuraſcunt, intima e viridi luteſcunt, totum umbilicum occupantia, apices parvos luteolos geſtantia, ſub quibus ſtylus latet, in quinque cornicula brevia diviſus. Flores odorem ſpirant Oxyacanthæ florum, & non tantum interdiu, ſed & noctu, aperti manent, ſatiſque libere ii proveniunt & diu durant; nam a Julio & Auguſto menſibus in Septembrem & Octobrem uſque ſucceſſio florum obſervatur, novis floribus emarcidis ſuccedentibus; ii vero, qui in ſummitate ramorum locantur, reliquis maturius aperiri ſolent. Calyces in quinque ſegmenta brevia, craſſa, triangula, aſpera dividuntur, quorum ſinu continentur vaſcula parva, in quinque loculamenta, ſeminibus parvis repleta, diviſa.

Folia habet difformia; nam quæ florum pediculis adnaſcuntur, brevia ſunt & craſſa, quæ vero pediculorum baſi adhærent & ramulis floribus carentibus adnaſcuntur, longiora ſunt & minus craſſa, e quorum ala alterutra folia quædam minora enaſcuntur. Omnia vero uncinata ſunt, ſeu in mucrones exteriora verſus reflexos deſinunt, ſubglauca, crebris tuberculis ejuſdem coloris exaſperata, quæ luci objecta totidem puncta poroſa obſervantur. Ceterum triquetra ſunt folia, ſuperne plana, inferne in dorſum ſubacutum producta.

Hæc ſpecies, quantum mihi conſtat, nec depicta, nec deſcripta, immo (niſi ſit, Ficoides Africana folio triangulari lanceolato & aculeato *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 19. quam tamen ſpeciem in Horto Reg. Pariſienſi ad Meſembryanthemum rictum caninum referens referri relatum habeo) ne nominata quidem a quoquam eſt, & ſane non ita diu eſt, quod ex Batavia in Hortum Elthamenſem illata fuerit, nec memini me eam in aliorum hortis adhuc obſervaſſe, unde conjicere licet, novam eſſe, & ex hujus generis Promo condo, Promontorio Bonæ Spei, non ita diu advectam fuiſſe.

MESEM-

MESEMBRYANTHEMUM PURPUREUM SCABRUM, STAMINIBUS EXPANSIS T. CXCVII. F. 250.

FRUTICESCIT quidem, ni tamen ſuſtentetur, procumbit hæc ſpecies, immo licet pedamento alligetur, ramos tamen inæquales & tortuoſos ſemper habet, extra ligaturam pendulos, quibus genium ſuum & procumbendi ſtudium declarat. Ceterum rami tenuiores ſunt, verſus faſtigium teretes, e ſpadiceo luteſcentes, inferius quadrangulares. Folia tenera, mucronata, incurva, plura juxta ſe per faſciculos naſcuntur, acute triangularia, ex glauco ſaturanter viridia, ſubſcabra, punctis & tuberculis, ſed minoribus, veluti criſpata.

Flores in ſummis ramulis, pediculis tenuibus oblongis hærentes, profert plures, Hieracii figura, mediocri magnitudine prædítos, tenuem quendam & vix percetibilem odorem ſpirantes, e petalis plurimis ſibi impoſitis conſtructos, quorum exteriora majora ſunt, per extremitates bifida & trifida, interiora ſenſim minora, integra, a quibus tamen minoribus petalis proprie filamentoſi non efficiuntur flores in hac ſpecie. Flores ſegnius, nec niſi ſub meridiem urente Sole, explicat, colore e purpureo vividiſſime violaceo (qui nullo pigmento exprimi poteſt) fulgentes, in quorum medio ſtamina non tam numeroſa, ac in aliis ſpeciebus, brevia, nec valde ſparſa, nec proprie collecta, ſed tamen expanſa, apicibus luteolis terminata. Sole autem in Cancro & Leone verſante floret, floreſque ſatis diu retinet, iidemque flores multis vicibus ſe aperiunt, ſi Sol faveat. Stylus craſſiuſculus quinquefidus embryoni inſidet, qui dein in fructum abit parvum, quinquecapſularem & quinque angulis, in ſummitate tuberculorum inſtar prominulis, præditum. Calyx in quinque ſegmenta dividitur, quorum aliqua a tergo nunc uncinata ſunt, nunc unculis deſtituta.

Similis eſt ſequenti ſpeciei, a qua ramorum frequentia & tortuoſitate, foliis anguſtioribus minus aſperis, ſaturatius e glauco virentibus, floribus nonnihil minoribus, e numeroſioribus petalis, coloris ſaturatioris fulgentis, compoſitis, differt. Porro ſequentis flores liberius explicantur & diutius aperti manent, etiamſi tempeſtas non valde calida ſit. Sed præcipua differentia in ſtaminibus eſt, quæ in ſequenti in capitulum, corona filamentoſa cinctum, colliguntur, ſecus ac in hac ſpecie contingit. Ceteras differentias habet ſequens ſpecies.

Figura ejus qualiſcunque eſt in *Petiv. Gazoph. Tab.* 77. *n.* 3: cujus nomen, Ficoides Capenſis triangulari folio acuto, flore purpureo *Cat. n.* 481.

Schwerino in Cat. dicitur, Aſter Promontorii Bonæ Spei, flore purpureo: Ficoides Afra fruticans, folio triangulari ſcabro tenui, flore violaceo *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 23.

Hujus porro ſpeciei ſynonymon mihi videtur : Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana minor, triangulari folio, flore purpureo *Breyn. Prodr. I. p.* 26. Meſembryanthemum Africanum fruteſcens minus, partim procumbens, partim erectum, triangulari folio glauco tenuiore, flore purpureo amaranthino majore *Ejuſd. Prodr. II. p.* 68. Ubi huic eadem dicitur, Ficus aizoides Africana folio tereti procumbens, flore purpureo *Herm. Hort. Lugd. Bat.* quod ſi ita ſe habeat, nec bene

 deſcripſit,

deſcripſit, nec bene icone expreſſit Hermannus. Folia enim tantum abeſt, ut digito, ut ipſe dicit, longiora ſint, ut potius multo breviora obſerventur, figura autem non tam hanc ſpeciem, quam Ficum aizoidem Africanam minorem, folio tereti, procumbentem, flore coccineo *Herm.* refert, quæ ſpecies eſt longe a noſtra diverſa. Quod foliorum attinet ſtructuram, nec hujus, nec illius folia teretia ſunt, verum hujus quidem acute, illius obtuſe triquetra obſervantur.

MESEMBRYANTHEMUM PURPUREUM SCABRUM, STAMINIBUS COLLECTIS T. CXCVII. F. 251.

CAULES habet lignoſos, inferius ſpadiceos, ſuperius in ramis, quibus minus, ac præcedens, luxuriat, ex fuſco luteſcentes, ni ſuſtententur, procumbentes, parte inferiori, qua ſpadicei, teretes, ſuperiori, qua luteſcunt, nonnihil anguloſos, pediculi autem flores ſuſtinentes teretes rurſus ſunt. Quæ ſpatia anguloſa, quam in priori ſpecie, breviora obſervantur.

Flores Majo Junioque menſibus modo ſolitarii, modo plures, ſed non æque, ac in præcedenti, numeroſi juxta ſe naſcuntur, e violaceo purpurei & ſplendentes ab initio, dein, ubi aliquandiu explicati fuerint, palleſcentes, de meridie horis ante & pomeridianis aperti, hinc clauſi, unum alterumve diem durantes & bis terve ſe aperientes, quorum petala pleraque omnia ejuſdem magnitudinis ſunt, in extremitate nunc integra, nunc leviter fiſſa, ad baſim, præcedentis inſtar, firmiter connexa, ut toti ſeu integri flores extrahi nequeant. Quæ petala ſubito in filamenta definunt, eaque non ſparſa, ſed, coronæ inſtar, circa ſtamina in capitulum cum his collecta, quibus ſtaminibus apices luteoli inſident, in quorum medio ſtylus eminet in quinque tenuia criſpa cornicula diviſus. Vaſcula (cujuſmodi ſeorſum tam in hac, quam in præcedenti ſpecie appoſitum eſt) ſubnaſcuntur, quam præcedentis, craſſiora, rotundiora & minus in faſtigio anguloſa, in quinque, illius inſtar, loculamenta diviſa. Calyces in quinque ſegmenta non uncinata diviſi colore gaudent, præſertim antequam flores aperiuntur, obſcuriore, nempe e viridi & purpureo nigricante.

Folia ad genicula naſcuntur acute triquetra, glauca, minus cito, ac illius, marceſcentia, e quorum alis alia faſciculatim prodeunt, quam præcedentis, nonnihil breviora & craſſiora, aſperiora & rigidiora, tuberculis crebris, quam in priori, majoribus & magis, præſertim in dorſo, candicantibus (pellucidis & quaſi glacialibus) obſita, unde tota folia magis, quam illius, pallida, ex glauco nempe albicantia ſunt & luci objecta poris grandioribus notata apparent.

Nec figuram, nec deſcriptionem hujus ſpeciei apud Herbariæ Rei Scriptores reperio. Dicta autem mihi videtur :

Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana arboreſcens, folio viridi longo, triangulari aſpero *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 9. Ficoides Afra folio triangulari viridi longo aſpero, flore violaceo *Eid. Ind. II. p.* 290. *n.* 24.

Hæ ſunt, quæ e Triquetris ſcabris mihi innotuerunt, ſpecies. Sequuntur lævia Meſembryanthema, & primo, quibus anguli obtuſiores ſunt, inter quæ agmen ducat

F. 249.

F. 250.

F. 251.

Mesembr: purpureū scabrum, staminibus expansis

Mesembryanthemum uncinatum scabrum petalis purpureis circumactis.

Mesembryanthemum purpureum scabrum, staminibus collectis.



F. 252.

Mesembryanthemum foliis corniculatis brevioribus.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS CORNICULATIS BREVIORIBUS T. CXCVIII. F. 252.

MULTOS ex eadem radice undique ſpargit ramulos, humi procumbentes, (nunquam aſſurgentes) parte inferiori lentos, (non tamen proprie lignoſos) ſuperiori teneriores & herbaceos, longitudinis plerumque trientalis, teretes, aut ex tereti leniter anguloſos, brevibus intervallis geniculatos, & foliis ad genicula cinctos obtuſe triangularibus, ad baſim commiſſis & a caule perforatis, e quorum ala alterutra alia folia faſciculatim congeſta naſcuntur, ejuſdem cum reliquis figuræ, ſed breviora (uncialis plerumque & ſeſcuncialis longitudinis) at quæ ad radicem & ramulorum baſim naſcuntur, his multo longiora obſervantur, qua nota ſpecies hæc ab aliis prompte diſcernitur. Obſervandum autem, non ab his, quæ pauciora, quam a reliquis, quæ plura & potiora ſunt, foliis denominationem & a ſequenti diſtinctionem deſumptam eſſe. Tam quæ ad radicem, quam quæ ad genicula naſcuntur folia, cornuum taurinorum inſtar inflexa ſunt, ſuperne plana, inferne in dorſum ſubrotundum producta, quo figura obtuſe triquetra efficitur. Porro folia humore deficiente mox mollecula & veluti flaccida fiunt, & licet multis punctis lineisve inæqualibus (quæ in inferioribus præcipue & flaccidis foliis obſervabiles ſunt) exarentur & fere rugoſa folia fiant, ſuperficies tamen eorum lævis manet. Ceterum quoniam flaccida ſunt folia, minus etiam, quam in aliis ſpeciebus, ſucculenta eſſe ſolent. Color iis e viridi ſubglaucus, ſapor adſtringens.

Rami læves ſunt, frequenter brevibus intervallis, ut ſupra dictum, geniculati, verſus quorum extremitates e faſciculis illis folioſis in ſextantalibus aut paullo brevioribus pediculis nudis flores naſcuntur ſatis ampli, magnitudine & fere figura florum Taraxaci, ſed pallidiores, ſulphurei nempe ſeu dilute flaveſcentis coloris, e numeroſis petalis, exterioribus longioribus, interioribus brevioribus, conflati, ſtria e puniceo purpuraſcente, mediam eorum partem exterius decurrente, inſignitis, cujus tinctura extremam petalorum oram tranſit & in inferiori petalorum parte, ſed brevi ſpatio, tranſlucet. Stamina numeroſa apices flaventes gerunt, quorum ſinu ſtylus continetur villoſus multiplex, embryoni inhærens, qui, una cum calyce, in quinque ſegmenta ſat profunde diviſo, in fructum vel vaſculum abit compreſſum, caſeoli figura, in plurima intus loculamenta, ſemina parva continentia, diviſum, cujus figura ad ſequentem ſpeciem, quæ ſimile habet vaſculum, videatur

Rarius, ut aliæ repentes & foliis luxuriantes ſpecies, floret. Floruit autem nobiſcum Septembri menſe anno 1726. Sole meridianum tenente. Verum obſervandum eſt, omnes hujus generis flores nullum definitum anni tempus ſequi, ſed pro culturæ & tempeſtatis ratione admodum diverſis temporibus comparere, & memini etiam Junio menſe hujus flores in aliis Hortis vidiſſe.

Hujus, ni fallor, ſpeciei figura extat inter *Plant. Succul. Dec. IV. Tab.* 40. in qua flores ſatis bene non expreſſi, & folia illa ad baſim longiſſima omiſſa, quamvis & ipſe obſervaſſe recorder, folia ſubinde breviora, quam figura noſtra monſtrat. Pagina 18. dicitur, Ficoides Africana reptans, folio triangulari craſſo longiſſimo, flore intus luteo, extus aurantiaco. Sed folia non multum craſſa ſunt,

&

& pleraque, quam ſequentis, longe breviora ſunt: flos externe ſtriatus, ex flavo nempe & rubro variegatus, non aurantiacus eſt. Cetera ſynonyma ejus mihi videntur:

Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana procumbens minor, foliis teretibus longioribus glaucis *Volck. Flor. Norr. p.* 161. (quamvis noſtræ ſpeciei folia obtuſe triquetra ſint:) Ficoides Africana humifuſa, folio triangulari longiore glauco, flore flaveſcente *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 241. *n.* 30. Ficoides Africana flore luteſcente *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713.

Qui in his aliiſque errorem monſtrarit & meliora docuerit, gratum faciet.

MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS CORNICULATIS LONGIORIBUS T. CXCIX. F. 253. 254.

PRÆCEDENTI ſimilis eſt hæc ſpecies, verum caules longiores, minus humi appreſſos, folia omnia ad genicula, tam ima, quam ſuperiora, habet prælonga, magis craſſa & glauca, florum pediculos non nudos, ſed foliorum brevium conjugatione cinctos, ipſe autem flos ſaturatiore tantum colore luteo gaudet, cujus averſa pars linea phœnicea per petala decurrente diſtinguitur, cum in illa ſtria illa ad purpureum magis inclinet colorem & per petalorum apices pelluceat, quod in hac non obſervatur. Calyx, ut in illa, in quinque ſegmenta diviſus eſt. Stamina numeroſa ſunt, nec collecta, nec multum ſparſa, flavicantia, apicibus albidis capitata, inter quæ, corniculorum ſpecie, plurimi emergunt ſtyli rubeſcentes, tenues, villoſi. Vaſcula ſubnaſcuntur rotunda, depreſſa, caſeoli figura, in quindecim & ſedecim loculamenta diviſa, in quorum ſummitate corona ſedet, e totidem, quot ſunt loculamenta, radiis minutis, a ſtylo reſiduis, conflata:

Porro folia, quæ ad genicula e majorum alis naſcuntur, minus crebra ſunt, minuſque inflexa, quam in præcedenti ſpecie. Ceterum juniora hæc folia angulos habent magis acutos, magiſque glauca ſunt, quam longiora illa ad genicula folia, quæ quo radici ſunt propiora, eo dilutiore viridi colore tinguntur & magis flaccida obſervantur, cetera autem rigidiora ſunt & magis ſucculenta (ſaporis ſubadſtringentis) non rugoſa & vix punctata, inferiora vero ſuperne ſeu ſuperficie plana lineis tranſverſis exarata, quodammodo rugoſa, (lævia tamen) ſubtus & qua lux tranſparet, multis punctis, ceu poris, notata.

Flos per aliquot dies perſtat, &, ut in præcedenti, circa meridiem explicatur, planus, magnitudine & facie Taraxaci, petalis cuſpidatis, quorum ea, quæ interius locantur, reliquis nonnihil breviora, ſed non æque multa obſervantur. Accidit ſubinde, ut calycis ſegmenta membrana albida ad margines cingantur, plerumque vero ea carent.

Caules ſemi-erecti vel reclinati, ſparſi, teretes ſuperne, inferius ſtriati & nonnihil anguloſi, ſublignoſi, folia tranſadigentes, longitudine palmari & dodrantali, non multum ramoſi, nec ad genicula, quantum adhuc obſervavi, radices agentes.

Martii initio nobiſcum olim floruit; & quoniam planta tota hieme in Hibernaculo repoſita erat, videbantur & caules, & folia, & florum pediculi longius producta, quam æſtivo tempore extra Hibernaculum eſſe ſolent. Poſtea non amplius floruit, nec enim libere flores profert hæc ſpecies.

A *P. Her-*

F. 253.

F. 254.

Mesembryanthemum foliis corniculatis longioribus. Ficoides Afr. folio longissimo, nonnunquam denticulato, flore luteo Herm.

A *P. Hermanno*, quantum ego judico, in *Par. Bat. p.* 168. & ex Hermanno a *Rajo Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 12. deſcribitur, titulo Ficoidis Africani lutei procumbentis, longiſſimis foliis. „Hujus, inquit, ſemen terræ injectum, „ poſtquam intumuerit, in duo craſſiuſcula orbiculata folia laxatur, e quorum ſi„ nu alia atque alia ſemper ſibi invicem oppoſita egrediuntur. Hæc, ubi adole„ ſcunt, longitudinem & craſſitiem digiti nonnunquam excedunt. Rigida vero & „ glauca non ſunt, ut in præcedenti ſpecie (Ficoide Africana erecta teretifolia, „ floribus albis umbellatis) ſed mollecula, flaccida, viridia, repentia, teretia, ali„ quando trigona & in obtuſum depreſſum quaſique enſiformem mucronem abeunt, „ brevibus quibuſdam eminentiis, quaſi dentibus, nunc ex horum medio, nunc „ prope exortum, nunc ad ipſas extremitates protuberantibus. Caules ex unica ra„ dice, quæ parva, albida & fibroſa eſt, profert ut plurimum tres quatuorve, ſed „ perbreves & denſa foliorum conjugatorum ſerie circumdatos. Ex horum alis pro„ dit flos pediolo ſemidigitali innixus, magnitudine floris Taraxaci, inter initia totus „ luteus, &, ubi flacceſcere incipit, ruber aut coccineus. Multis conſtat anguſtis „ petalis & intermediis aliquot tenuiſſimis filamentis, velut diſco. Hæc ad Solis „ acceſſum in orbem expanduntur, ad receſſum vero contrahuntur. Fructus con„ generibus ſimilis eſt, multicapſularis & orbiculatus, magnitudine ceraſum æquans, „ continens ſemina parva ſpadicea, dura. Solum amat laxum, ſiccum & areno„ ſum; udum, compactum & pingue aſpernatur.

Quæ deſcriptio noſtræ plantæ bene reſpondet, niſi quod folia tam craſſa non ſint, & quod denticulis deſtituantur: mihi quidem tales nondum obſervati, & forte vel tam exigui ſunt, ut facile non conſpiciantur, vel nonnunquam tantum adſunt, vel in juniore tantum planta obſervabiles ſunt. Nec vero, præter tuberculoſi quid foliis inſperſum, conſpicuas eminentias figura ejus monſtrat, quam, quoniam junioris plantæ naſcendi modum exhibet, ex Delineationibus Hermannianis hic addere lubet, juxta quam vaſculum noſtræ plantæ ſeorſum expreſſum eſt. Vocatur autem ibi, Ficoides Africanum folio longiſſimo, nonnunquam denticulato, flore luteo, prout & ad *Calcem Par. Bat. in Catal. Plant. nondum æri inciſarum* habetur, & ſimile pæne nomen, ab Hermanno procul dubio profectum, in *Hort. Beaum.* octo annis ante Paradiſum Bat. impreſſo legitur, nempe Ficus aizoides Africana, folio triangulari longiſſimo, & aliquo modo denticulato.

A *Petivero Gazoph. Tab.* 77. *fig.* 10. rami pars ſuperior exhibetur, in qua figura petala nimis anguſta nimiſque reflexa ſunt. In *Cat. n.* 482. vocatur, Ficoides Capenſis folio triangulari, flore luteo, intus pallido. Sola nomina ſunt:

Ficoides Africana flore luteo procumbens *Pein. Hort. Boſ. Amſt.* 1699. & 1705. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana procumbens major, foliis teretibus, longioribus glaucis *Volck. Flor. Nor. p.* 165. After Africanus corniculatus *Schwer. Cat.* Ficoides Afra folio triangulari longiſſimo, marginibus obtuſioribus, flore amplo, intus pallide luteo, extus linea rubra longa picto *Boerh. Ind. Alt. p.* 289. *n.* 6.

MESEMBRYANTHEMUM LOREUM
T. CC. F. 255.

PER plurimos annos in Horto Elthamenſi culta, tam in olla, quam in ſolo libero, (ut ſolent repentes & foliis luxuriantes plantæ) flores adhuc denegavit hæc ſpecies, nec eam me aliis in Hortis flores dediſſe recordor. Ea vero Meſembryanthemo foliis corniculatis brevioribus proxime accedit, & procul dubio ſimiles flores obtinet; foliorum enim textura & figura fere eadem, & ſimili modo faſciculatim per intervalla ea naſcuntur; in eo autem differt, quod folia non tam, quam illius, obtuſe triquetra ſint, quod foliis binis illis longiſſimis careat, & quod lora ſint teretiora, glabriora, crebriora, longiora & tenuiora, magis obſequioſa & magis lenta.

Humi autem repunt in ſolo libero lora illa & denuo radices agunt, ſolentque ſoboles illæ non raro folia plura prælonga (potiſſimum verno tempore) producere, in fictili vero extra ollam deorſum pendent lora, longitudine dodrantali, pedali & ſeſquipedali, teretia, coloris cinerei, vel ex cinereo in ſubfuſcum vergentis, in quibus per intervalla brevia quaterni & plures foliorum varie inflexorum glomi naſcuntur, glomere extremo reliquis craſſiore & graviore, folia magis recurva longioraque obtinente. Plures iſtiuſmodi funiculi ex eadem radice egrediuntur, unde fit, ut totam ollam cæſpitis inſtar folia illa conglomerata occupent. Ceterum folia in olla rectiora ſunt & longiora, in loris extra ollam pendulis breviora & magis reflexa, longitudine unciali, ſeſqui & biunciali. Figura illis triquetra; media quidem & interiora acutius triquetra, exteriora autem obtuſum dorſum habent, & obtuſius triquetra obſervantur. Color pleriſque glaucus; vetuſtiora ex luteo rubeſcunt, & tandem arida facta obſolete cinerea fiunt: ſapor auſterus, adſtringens: conſiſtentia, humore deficiente, ſubflaccida, illius ſpeciei inſtar: ſuperficies nec glabra, nec hirſuta, ſed medio modo ſe habens, in inferioribus & flacceſcentibus foliis exiguis rugis exarata, in junioribus & mediis foliis crebris minutis punctis notata, quæ luci obverſa totidem pori apparent.

An Ficoides Afra folio triangulari longo glauco, marginibus obtuſis *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 10? vel an hoc nomen rectius ad Meſembryanthemum foliis corniculatis brevioribus refertur?

MESEMBRYANTHEMUM TENUIFOLIUM PROCUMBENS, FLORE COCCINEO T. CCI. F. 256.

PLURES ex eadem radice ſpargit cauliculos, qui licet per ætatem ligneſcant & cinerei fiant, nunquam tamen aſſurgunt, ſed ſemper procidui jacent, graciles & teretes, cortice luteſcente veſtiti, foliis lævibus gracilibus adverſis, parte interna planis, externa convexis, cincti, e quorum alis ſurculi eriguntur folioſi, ſimilibus foliis ſat longis, coloris læte virentis & nonnihil ad cæſium vergentis, propius ſibi admotis veſtiti, ob gracilitatem ſuam ſæpe reflexis & pendulis, quæ luci obverſa punctata ſeu poroſa apparent, ſapore adſtringente.

In ramulorum extremitatibus flores pediculis oblongis gracilibus innaſcuntur, ampli

F. 255.

Mesembryanthemum loreum.

ampli ſatis, (præcipue in plantis junioribus) coloris dilute coccinei, ſuperficie lucida & ſerici inſtar ſplendente, cui Sole illucente aurati quid inſperſum videtur, ex innumeris petalis, exterioribus majoribus, interioribus pedetentim minoribus, quorum extremitates integræ & cuſpidatæ, ſubinde leviter bifidæ ſunt, conflati, in fundo ſuo cohærentes & facili negotio toti extrahendi, ita tamen, ut aliorum hujus generis inſtar, qui extrahi poſſunt, in medio, qua embryoni & calyci cohærent, foramine ſat amplo, annuli inſtar, donentur. Flores profert ſatis copioſe, qui fugaces non ſunt, ſed iidem pluribus diebus denuo circa meridiem explicantur. Junio autem præcipue menſe eos profert. Stamina innumera habet, inter florem & embryonem, qua florem perforat, locata, ad baſim lanuginoſa, in ſummitate vero apicibus parvis flaventibus capitata. Quæ ſtamina partim floris baſi adhærent, partim e ſpatio illo, quod inter florem & embryonem intercedit, oriuntur, nec omnia, immo pauca ſaltem, cum flore extrahi poſſunt, unde conjicere licet, in hoc aliiſque annulatis floribus ſemper aliquid abrumpi nec totos omnino flores extrahi poſſe. Stylus medio embryoni inſidet quinquefidus villoſus, embryo autem in vaſculum abit grandiuſculum carnoſum, ex rotundo in quinque obtuſos angulos diviſum, ſtria a centro ſtellato per ſingulos angulos decurrente; quod vaſculum in quinque loculamenta, ſemina papaverina continentia, diviſum, figura prima integrum, ſecunda tranſverſim ſectum, ſeparatim deſignatum eſt. Calyx in quinque ſegmenta dividitur, quorum vel duo, vel tria interiora in membranam tenuem exſuccam ſpadiceam, flores ab initio protegentem, deſinunt.

Ab hac ſpecie florem & characterem generis deſignaſſe videtur *Tournefortius in Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 238. *Tab.* 4. Vaſculum autem ad lit. F. & H. alius ſpeciei eſt, nempe Meſembryanthemi folio pugioniformi, flore amplo ſtramineo.

A Ficoide ſeu Ficu aizoide Africana minore, folio tereti procumbente, flore purpureo, cujus iconem & deſcriptionem brevem dedit *Hermannus in Hort. Lugd. Bat.* diſtinguit idem Hermannus, qui primam ejus mentionem fecit, & cui Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana minor, folio tereti procumbens, flore coccineo dicitur in *Hort. Lugd. Bat. p.* 252. " foliis nonnihil longioribus & flori-
" bus elegantiſſimo coccineo colore comantibus:" plura non habet. Verum cum illi folia digito longiora, quæ in hac nunquam eam longitudinem acquirunt, tribuat, videtur mendum commiſſum, & in illius deſcriptione, pro longioribus, legendum brevioribus. Ceterum quænam illa ſpecies, ſi a Meſembryanthemo purpureo ſcabro, ſtaminibus expanſis, differat, ſit, me ignorare fateor. Poſſet alias illius icon pro hac demonſtranda inſervire. Minus bene autem & illa & hæc teretifolia dicitur. Nomen & deſcriptionem ex Hermanno recenſuit *Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1880.

In *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 507. *n.* 6. Ficoides Africana minor procumbens, folio tenuiori viridi, flore coccineo Hermanni, vocatur, & *Sect. XII. Tab.* 8. *Ser.* 1. *f.* 6. Ficoides Africana fruteſcens, folio triangulari minore, flore ſuave-rubente; verum perperam fruteſcens dicitur, contra nomen deſcriptioni præpoſitum & contra ipſam deſcriptionem, in qua flagella tenuia ipſi adſcribuntur. Nec figura eſt valde bona, quæ habitum plantæ parum exprimit & folia habet juſto breviora. Paullo melior eſt, quæ extat inter *Plant. Succul. Dec. I. Tab.* 9. *ubi p.* 10. vocatur,

tur, Ficoides Capenſis humilis teretifolia, flore coccineo; nam omni ex parte bona non eſt, quoniam petala interiora minora omiſſa ſunt, & quod folia pro longitudinis ratione juſto nonnihil craſſiora ſunt. Obſervandum autem figuram hanc magnitudine naturali nonnihil minorem eſſe, quod vel ex flore conſtare poterit.

Meſembryanthemum Africanum procumbens tereti folio viridi, flore intus aureo, extus phœniceo *Breyn. Prodr. II. p.* 69. an cum Hermanniano idem ſit, quærit ipſe Breynius. Verum ſi Breynius vel deſcriptionem vel figuram dediſſet, res poſſet facile determinari. Si per interiorem partem ſtamina, per exteriorem petala intelligat, res dubio omni caret. Poſſet etiam aureus color de metallico ſplendore interpretari, & ſic, per me licet, eadem habeatur cum præſenti ſpecie. Hujus porro ſpeciei ſynonyma ſunt:

Ficoides Africana, flore coccineo *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. 1705. 1712: 1713. *& Wehm. Hort. C. Boſ.* Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides minor, folio tereti, procumbens, flore coccineo Hort. Leyd. *Pluk Mant. p.* 77. Ficoides Africana procumbens, triangulari lucido longiori ac anguſtiori folio *Volck. Flor. Nor. p.* 164. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 8. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio longo tenui, flore rubro *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 23. *II. p.* 291. *n.* 7. Ficoides aizoides Africana Kali folio, flore eleganti coccineo *Tit. Hort. Maur. p.* 74.

MESEMBRYANTHEMUM CRASSIFOLIUM REPENS, FLORE PURPUREO T. CCI. F. 257.

PALMARES & dodrantales cauliculi reptantes & ad genicula radices fibroſas agentes, ab initio herbacei & molles, triquetri, virentes, & non raro purpureo colore, qua Sol illabitur, perfuſi, per vetuſtatem magis teretes, non lignoſi, ſed molles, lenti & fungoſi, cortice cinereo veſtiti.

Folia in eodem plerumque plano jacent, ſeu ſe invicem non decuſſant, hiantia, ſeu ſibi non æque ac aliorum multorum approximantia, craſſa, ſucculenta, obtuſius triquetra, glabra & nonnihil ſplendentia, nullis punctis notata, coloris ſimpliciter viridis.

Flores in pediculis brevibus, nunc nudis, nunc & plerumque foliorum conjugatione præditis, naſcuntur ſolitarii parvi, e purpureo in violaceum colorem vergentes, e petalis minus numeroſis conflati, & ſtaminibus donati pluribus brevibus, nec nimis ſparſis, nec in capitulum collectis, ſed ſurrectis, apices pallide flaventes gerentibus. Sole in Cancro & Leone verſante plerumque comparent flores, qui non diu durant, ſed cito tranſeunt. Rarius autem ob rependi libidinem comparent hi flores. Calyces quinquefidi ſegmenta duo tribus reliquis plerumque longiora habent: Vaſcula ſubnaſcuntur parva quinquecapſularia, quinque angulis obtuſis in ſummitate terminata.

Figura ejus ſatis bona proſtat inter *Plant. Succul. Dec. IV. Tab.* 38. cujus nomen *p.* 16. Ficoides Africana reptans, folio triangulari viridi, flore ſaturate purpureo.

Reliqua ſynonyma ſequentem in modum digero: Meſembryanthemum Africa-

num

F. 256.

Mesembryanthemum tenuifolium procumbens, flore coccineo.

F. 257.

Mesembryanthemum crassifolium repens, flore purpureo.



Mesembryanthemum tenuifolium
fruticescens, flore croceo.

num procumbens, tereti folio viridi breviore, insigniter repens, caulibus rubentibus *Breyn. Prodr. II. p.* 69. Ficoides Africanum Mesembryanthemum, seu Ficus azoides minor, maxime procumbens, tereti folio viridi breviore, caulibus punicantibus, flore purpureo *Pluk. Alm. p.* 149. Ficoides Africana folio triangulari repens, caule rubente *Pein. Hort. Bos. Ann.* 1699. 1705. 1712. 1713. *& Wehm. Hort. C. Bos.* Ficoides Africana repens & læte virens, flore purpureo *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 241. *n.* 36. Mesembryanthemum folio triangulari, caule rubente, repens *Heuch. Nov. Prov. p.* 48.

An sit Ficoides Afra folio triangulari crasso succulentissimo *Boerh. Ind. Alt. p.* 290. *n.* 25? vel an Ficoides Afra folio triangulari longo succulento, caulibus rubris *Ejusd. Ibid. n.* 26? dubius hæreo & doceri cupio ab ipso Auctore.

Nostræ speciei folia superne plana sunt, inferne tumida, non convexa, sed in dorsum obtusiorem producta, verbo, obtuse triquetra. Ceterum non refert, quod eandem speciem Auctores alii teretifoliam, alii triquetram dicant, cum de eorum incuria ex pluribus, quas ita dixerunt, speciebus constet.

MESEMBRYANTHEMUM TENUIFOLIUM FRUTICESCENS, FLORE CROCEO T. CCII. F. 258.

IN fruticulum pedalem, bipedalem & longiorem excrescit, tenuiorem & non admodum ramosum, in cujus ramulis extremis flores nascuntur plures, media inter majores & minores præditi magnitudine, intus aurei, extus rubescentes, e plurimis petalis angustis integris cuspidatis, eadem pene magnitudine præditis, compositi, quorum cuspides levi rubedine tinguntur, & croceum floribus colorem conciliant. Flores hi, præsertim marcescentes, toti extrahi possunt. Ceterum satis libere ii proveniunt, & Julio Augustoque mensibus, Sole lucente, a matutino tempore ad meridiem & ultra explicantur. Stamina in medio flore locantur plurima, ab initio minus sparsa, dein, ubi petala plene explicata fuerint, super ea expansa, apicibus eodem cum petalis colore tinctis. Stylus e quinque corniculis brevibus villosis constat. Calyx in quinque segmenta dividitur. Vascula Augusto & Septembri mensibus maturescunt, subrotunda, in quinque loculamenta, semina parva arenosa continentia, divisa, quæ vascula figura marginali prima integra, secunda transversim secta, tertia semina seorsum delineata sunt.

Folia gracilia oblonga, obtuse triquetra, viridia, (non glauca) tuberculis crebris viridibus obsita, & veluti subaspera ob hæc tubercula, licet tangenti lævia sentiantur, quæ tubercula luci obversa albida pellucida apparent & folia punctata efficiunt. Similia tubercula in fructus parte inferiori observantur. Sapor adstringens, non acris.

Hujus plantæ tres diversæ prostant figuræ, sed nulla satisfacit. Primam dedit *Hermannus* in *Hort. Lugd. Bat. p.* 249. 250. ubi Ficoides seu Ficus aizoides Africana minor erecta, triangulari folio viridi, flore intus aureo, foris purpureo, dicitur, & breviter, sed contra morem, negligenter describitur. „ Tota, inquit Her„ mannus, æstate floret, cum proxime descripta," (Mesembryanthemo scabro, flore sulphureo convexo) „ cujus situm & figuram omnino imitatur, sed videtur „ paullo minor & gracilior. Folia edit viridia, flores aureos intus, extus purpu„ rascentes, eminus colorem quodammodo incarnatum mentientes." Verum ab illa

 specie,

ſpecie foliis & floribus in tantum diſtat, ut comparari cum illa non mereatur. Figura in eo non placet, quod nimis contracta ſit, cetera vitioſa non eſt, niſi quod folia teretia repræſentet. Eadem ex Hermanno, cujus nomen ſervat, retulit *Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1879.

Alteram dedit *Bobartus Hiſt. Ox. Part. III. Sect. XII. Tab.* 6. *Ser.* 2. *fig.* 4. ubi Ficoides Africana folio triangulari viridi minore, flore croceo, *pag.* vero 507. *n.* 4. Ficoides Africana minor erecta triangulari folio viridi, flore intus aureo, foris purpureo Hermanni, dicitur, & breviter, partim ex propria, partim ex Hermanniana obſervatione deſcribitur. Figura in eo non laudanda, quod tubercula, quæ ſatis conſpicua, non exprimat, & quod ramo & foliis magnitudine naturali depictis, flores contracti & juſta magnitudine longe minores appingantur.

Tertiam exhibuit *Auctor Plant. Succul. Dec. I. Tab.* 7. cui *p.* 8. dicitur, Ficoides Capenſis fruteſcens, folio tereti punctato, petalis luteis. Folia perperam dicuntur teretia, ſed in figura recte triquetra exhibentur. Ceteroquin figura illa prioribus melior, ſed nec omni ex parte exacta, nec artificioſa eſt. Florum, velut umbellatim naſcentium, morem non exprimit: flos medius expanſus velut papyro agglutinatus flos apparet: ſtamina, ceu in pleriſque reliquis, quæ ea ſparſa habent, non bene deſignantur: foliis tuberculorum loco puncta appinguntur: fructus, ceu in pleriſque omnibus hujus generis ſpeciebus, omittitur, quoniam, ut queritur Auctor, in Anglia non matureſcant hujus generis fructus, cum iſtis nihil vulgatius ſit, & ubique abſque cura maturi fiant.

An Chryſanthemum aizoides Africanum, triangulari folio, flore carneo *Breyn. Cent. p.* 164? Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana major, triangulari folio, flore carneo *Ejuſd. Prodr. I. p.* 26? quærit Hermannus in Hort. Lugd. Bat. Verum ipſe Breynius in Prodr. II. p. 67. manifeſte diſtinguit, & videtur potius, Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana minor, triangulari folio, flore luteo *Breyn. Prodr. I. p.* 26. ubi deſcriptio brevis: Meſembryanthemum Africanum fruteſcens minus, flore luteo minore *Ejuſd. Prodr. II. p.* 68. Kali triangulare viridi folio, flore intus aureo, foris purpureo *Amm. Hort. Boſ. p.* 18. Ficoides folio viridi triangulari tenuiore, flore luteo, in extremitate rubente *Schwer. Cat.* Meſembryanthemum Africanum minus erectum, flore intus aureo, foris purpureo, folio triangulari viridi *Heuch. Prov. Alt. p.* 45.

An Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio longo tenui, flore auranti *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 247. *II. p.* 291. *n.* 5? An & Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana arboreſcens, folio tenuiſſimo triangulari aſpero, flore luteo *Ejuſd. Ind. I. p.* 123. *n.* 8?

MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS VERUCULI FORMIBUS, FLORIBUS MELINIS UMBELLATIS T. CCIII. F. 259.

CAULEM acquirit lignoſum, pedalem & bipedalem, pollicem & amplius craſſum, cortice cinereo, per vetuſtatem deformi, nempe inæqualibus & latis rimis fiſſo, veſtitum, nodoſum & geniculatum, qui in plures ramulos ex adverſo ſitos & hi in alios dividuntur, & ad ſingula genicula bina ex adverſo ſita habent folia craſſa & ſucculenta, adeo obtuſe triangula, ut obiter adſpicienti teretia appareant, longitudine ſeſqui & biunciali, craſſitie calami olorini, e quorum

alis

F. 259.

Mesembrianthemum foliis verruciformibus, floribus melinis umbellatis.

alis alia folia plura fasciculatim & dense congesta erumpunt, quorum ea, quæ mediam partem occupant, reliquis longiora observantur, stylos minores ligneos, quibus assanda transfiguntur, quodammodo referentia. Singuli autem fasciculi modo e binis, modo e ternis foliorum surrectorum conjugationibus componuntur, solentque fasciculi & folia, quæ extremos ramos occupant, ceteros magnitudine superare. Color foliis est glaucus, nempe dilutius viridibus foliis subcærulea nebula tam crasse inducta est, ut digitis etiam abstergi queat: flaccescentia (inferiora nempe) flavescunt & manifestius triquetra fiunt, exarida corrugantur plane & in rubiginosum atrumve tandem colorem abeunt. Superficie constant lævi & luci obversa porosa (poris tamen perexiguis) & pellucida apparent, quantumvis crassa sint. Apex foliorum plerumque purpurascit, quo colore etiam ramorum summitates gaudent. Rami foliaque brevibus intervallis nascuntur, & quoniam caules, rami & folia erectum situm affectant, fit, ut arbusculæ figuram induat hæc species, quamvis verear, ne, ni sustentetur, ob multitudinem & gravitatem ramorum & foliorum eorum oneri succumbat planta. Ceterum ramorum & caulium genicula & nodi versus inferiorem partem foliorum & ramorum, brevibus intervallis nascentium, vestigia sunt.

Flores in summis ramis e foliorum alis plures velut umbellatim digesti nascuntur, parvi, pallide lutei, e petalis latiusculis obtusis integris, ejusdem invicem magnitudinis, regulariter in orbem expansis, conflati, calyce in quinque segmenta diviso excepti. Qui flores Majo, Junio, Julioque mensibus comparent, & ab annosioribus præcipue plantis proferuntur.

Vascula subnascuntur succulenta, turbinata, in quinque ordinarie, quandoque in plura loculamenta divisa, in quibus semina continentur majuscula, triquetra, rufa. Ea vero sequentem in modum aperiuntur: quinque segmenta ab umbilico abscedunt & totidem cavitates in fundo vasculi relinquunt, membranulis binis per medium singulorum segmentorum ductis, ita ut loculamenta a medietate segmenti abscedentis ad vicini medietatem pertineant: in medio vero vasculo pentagona stellula membranacea candicans remanet, a membranulis mediis efformata; quem aperiendi modum & reliquis fruteſcentibus quinquecapsularibus Mesembryanthemis competere existimo. Hæc vascula dehiscentia seorsum in latere Tabulæ dextro & pone ea semina delineata sunt.

Variat foliis brevioribus & manifestius triquetris, floribus paucioribus, si nempe steriliori solo in olla servetur; tumque rami ejus tortuosi in latera nascuntur, & sine adminiculo semi-erecta nascitur planta. Quo pertinet ramulus minor in Tabula ad sinistram expressus.

Nullam nec figuram, nec descriptionem, hujus speciei datam invenio; pro synonymis vero ejus mihi habentur:

Ficoides Africana, folio triangulari, apice rubro, caule purpurascente *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 22. After Promontorii Bonæ Spei, folio longo crasso *Schwer. Cat.* Ficoides Africana tereti folio *Heuch. Hort. Vitemb. p.* 22. Ficoides Africana arborescens, folio rotundo *Pein. Hort. Bos. Ann.* 1713. Mesembryanthemum teretifolium, folio glauco crasso, flore aureo *Heuch. Nov. Prov.* 1711. *p.* 48. Ficoides Afra arborescens, folio tereti glauco, apice purpureo crasso *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 3.

MESEM-

MESEMBRYANTHEMUM FOLIIS CONFERTIS SPLENDENTIBUS, FLORE PALLIDO T. CCIV. F. 260.

AD pedalem & majorem excreſcit longitudinem, cauliculis lignoſis, ramis multis brevibus & foliis confertim naſcentibus præditis, ut ob ramorum & foliorum onus, ni fulciatur, ſe ſuſtentare nequeat planta. Folia autem ejus breviora ſunt, obtuſe triquetra, in exteriorem partem, præſertim apices juniorum foliorum, plerumque leniter flexa. Ceterum ea craſſa ſunt & ſucculenta, lævia & ſplendentia, coloris dilute viridis, glaucedine vel nulla, vel vix advertenda, obſita, punctis ſubinde quibuſdam raris, craſſis, viridibus temere hinc inde, præſertim ubi floret, reſperſa.

Flores in ramulorum ſumitatibus Julio & Auguſto menſibus comparent, pediculis perbrevibus inſidentes, horis ante & pomeridianis Sole lucente expanſi, ampli ſatis, albidi, aut dilutiſſime intus flaveſcentes, extus tenui rubedine, petalorum ſummitates ſubinde tranſeunte, perfuſi, e plurimis petalis anguſtis, interiora verſus ſenſim minoribus & filamentoſis, conflati, in quibus plurima ſtamina, quorum exteriora modice ſparſa, reliqua autem ſurrecta ſunt, apicibus pallide flavis terminata. Singuli flores aliquoties aperiuntur & clauduntur, dein ſupra fructum marceſcunt, calyptræ inſtar eum involventes. Fructus autem ſeu vaſculum ovatum eſt, quinque lineis, ceu angulis, nonnihil exſtantibus diſtinctum, in quinque loculamenta, duplicem ſeminum ſeriem continentia, diviſum. Calyces in quinque ſegmenta, invicem pæne æqualia, dividuntur.

Duplicem hujus figuram do, alteram cum floribus, alteram ſine floribus, olim, cum nondum flores mihi viſi, factam, cui vaſcula figura prima & ſecunda integra, tertia & quarta diſſecta, quinta idem exemptis ſeminibus appicta ſunt.

Figura hujus, ſed minus exacta, proſtat inter *Plantas Succul. Dec. I. Tab. 6.* ubi *p.* 7. dicitur, Ficoides Capenſis fruteſcens, foliis teretibus confertis glaucis, flore albo. Auctor in deſcriptione folia pallide viridia recte dicit, hinc Nomenclator ejus, quem Petiverum ſuſpicor, minus bene ea appellat glauca.

Hujus porro ſpeciei ſynonyma mihi videntur: Ficoides Meſembryanthemum Africanum procumbens, denſe fruticoſum, folio ſubtereti brevi viridi, flore albo *Pluk. Amalth. p.* 90. Ficoides Africana folio triangulari, flore flaveſcente *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 18. Ficoides Africana minus repens, triangulari folio viridi *Peiu. Hort. Boſ. Ann.* 1712. & 1713. Ficoides Africana Sedi minoribus foliis compactis, flore parvo luteo-palleſcente *Tit. Hort. Mauroc. p.* 74. Sed flores parvi non ſunt.

An Ficoides Afra folio triangulari craſſo, ſucculentiſſimo *Boerh. Ind. II. p.* 290. *n.* 25? de quo ſupra ad Tab. CCI. Vel an Ficoides Afra erecta, foliis parvis teretibus, & pluribus ſimul naſcentibus *Ejuſd. Ibid. p.* 291. *n.* 14?

MESEM-

F. 260.

Mesembryanthemum foliis confertis splendentibus, flore pallido.

MESEMBRYANTHEMUM CAPENSE GENICULIFLORUM, NEAPOLITANUM CREDITUM T. CCV. F. 261.

PROSPER Alpinus in Libro, quem de Plantis Ægypti ſcripſit An. 1592. p. 49. & ſeqq. tres exhibet plantas, e quarum cineribus, Venetias comportatis, vitra conflari docuit. Prima eſt Salicornia vulgaris perennis & fruticeſcens: ſecundam a nonnullis Kali album vocari ſcripſit, ſed perperam; tertia, quænam ſit, nondum clare conſtat. Hanc ſecundam & primam ſpeciem, quia pro vulgatioribus habuit, deſcribere neglexit Alpinus, figuras exhibuiſſe contentus.

Tribus circiter luſtris ab Alpino ſuum Kali floridum repens aizoides Neapolitanum accurate deſcripſit & depinxit *Fab. Columna Ecphr. Part. II. p.* 72. 73. quod licet ſimile tantum dixerit Alpini ſecundo, C. Bauhinus tamen, licet plantam, ut videtur, nunquam viderit, non immerito idem ſtatuit. Ab eo tempore non memini quenquam Herbariorum plantam hanc vel ſcriptis, vel icone illuſtraſſe, quæcunque enim de ea tradunt, vel ex Alpino, vel ex Columna deſumſerunt, niſi quod *Paulus Hermannus* eam ad ſuum genus retulerit, & Ficoides teretifolium Neapolitanum, flore candido, vocaverit, quem ſequutus eſt *Breynius*, qui in *Prodr. II. p.* 69. Meſembryanthemum teretifolium minimum Neapolitanum, flore albo, fructu ſubrotundo quinquecapſulari, nuncupavit. Nam quæ in *Iconibus Barrelieri Fig.* 888. *Obſ.* 507. pro hoc abſque deſcriptione proponitur, & Kali vermiculatum albo & amplo Sedi roſei flore vocatur planta, eam refero ad Sedum minimum arboreſcens vermiculatum *Lob. Icon.* 380. pro Vermiculari frutice perperam paſſim habitum, cui idem cenſeo, Sedum Siculum maritimum vermiculatum, flore Saxifragæ albæ, ſemine villoſo *Bocc. Rar. p.* 6. *fig.* 7.

Enimvero Meſembryanthemi ſpeciem, quæ in Hortis paſſim habetur & Neapolitana exiſtimatur, quamque deſcribere aggredior, ab illa differre, ſequentibus rationibus evinci poſſe arbitror. Primo, Neapolitana folia breviora alternatim ſita habet, quod tum ex figura Columnæ, tum e ſpeciminibus ſiccis, in Phytophylacio Sherardino aſſervatis, apparet: dein, Neapolitana annua, tota minor & flores minores gerere videtur, eoſque non raros & ſeſſiles in ramulorum divaricationibus, ſed crebros ſecundum longitudinem ramulorum e foliorum alis & in pediculis foliоſis alternatim adnatis: denique, Columna diſerte aſſerit, ſuæ vaſcula quinquecapſularia, flores medio præſertim die Sole lucente explicari, recedente vero & veſperi maneque claudi. Noſtra vero ſpecies noctiflora eſt, perennis & lignoſa, tota major & folia conjugata habet longiora, vaſcula vero quadricapſularia, quantum adhuc obſervavi.

Caudex quidem ejus plane ligneus eſt, & aliquot annorum ſpatio digitalem & ampliorem craſſitiem acquirit, cortice veſtitus e cinereo ſubfuſco, rami autem ejus, quos frequentes conjugata ſerie emittit, molliores ſunt & flexibiles, teretes, virides & ſucculenti, Viſci facie, æqualis fere ubique craſſitiei, ita ut ſuperiores ſeu juniores rami reliquis non ſint multo anguſtiores, licet breviores obſerventur. Ea tamen inter utroſque differentia intercedit, quod inferiores rami, quo caudici ſunt propiores, eo magis lignoſi fiant, licet cortice adhuc virente veſtiantur. Medius

enim nervus ſenſim craſſeſcit & ligneam naturam acquirit, cum ſupremi ramuli plane molles ſint & lignoſo nervo deſtituantur. Quamvis autem lignoſi fiant juniores rami, tamen ob eorum longitudinem & gravitatem, ni ſuſtententur, ſe ipſam vix ſuſtentat planta, ſed procumbit potius.

Folia habet ſucculenta, e viridi argenteo nitore conſpicua, ſuperne plana, leviter ſulcata, inferne rotundata, ita ut teretia proprie dici nequeant. Quæ folia cum caduca ſint, remanentibus, ubi ſederunt, geniculorum veſtigiis, iiſque non elevatis, ſed depreſſis, fit, ut Ephedræ faciem planta induat annoſior.

Flores in ſupremorum ramulorum ſedent divaricationibus, pallide ſtraminei, filamentoſi, e petalis nempe vel laciniis anguſtis reflexis conflati, quorum exteriores longiores, interiores vero ſenſim minores & plane filamentoſæ fiunt, ſtaminumque apices gerentium munia obeunt. Flores, ſi calyx ſeparetur, toti cum ſtaminibus (vid. figura marginalis prima) eximi poſſunt, annulo quodam in baſi connexi, e quo ſtamina & laciniæ una oriuntur. Sole Geminos & Cancrum percurrente comparent & ſinguli aliquot dies durant, immo toto die & noctu etiam aperti manent, ſolentque, ſi bene memini, ſub veſperum primum explicari.

Calyx a reliquis differt, quod ſit tetraphyllos natura, at non niſi diphyllos ad conſpectum; duo enim ſegmenta interiora clauſa latent, immo, poſtquam explicati fuerunt flores, mox emarceſcunt & plane diſparent, remanentibus ſaltem duobus exterioribus & longioribus foliis, corniculorum inſtar reflexis & ipſum florem longitudine ſuperantibus. Embryoni inſidet ſtylus parvus quadrifidus, intra florem plane latens, ad cujus normam ipſe embryo in quatuor, quotquot examinavi, loculamenta diviſus mihi obſervatus. Vaſcula turbinata pediculis breviſſimis nituntur, quorum cutis crebris tuberculis argenteis micat, quibus etiam conſpicui ſunt ramuli ſupremi; quo longius autem a ſummitate diſtant, eo minus obſervabiles ſunt glaciales micæ, ut tandem ita attenuentur, ut non niſi ſubtiliſſime reticulati appareant rami. Tale vaſculum figura tertia integrum, quarta tranſverſim ſectum, ſecunda vero ſemina, quæ parva anguloſa, per maturitatem rufa ſunt, ſeorſum exhibentur.

Ex *Petivero* conſtare poteſt, Africanæ originis eſſe hanc ſpeciem; nam in *Gazoph. Tab.* 78. *fig.* 3. inter Africanas plantas particulam ramuli exhibet, & *Catal. num.* 485. Ficoides Capenſe folio tereti, flore albido, vocat. Hujus autem generis ſpecierum figuræ, nec a ſpeciminibus ſiccis, in quibus flores evaneſcunt & folia aliam figuram acquirunt, nec a plantis vivis, cum *Tabula* 88. ſpecies aliquot ſingulares, in Europa nunquam viſæ, exhibeantur, deſumptæ ſunt, ſed ab imaginibus, credo, ex Batavia acceptis, & ad Promontorium Bonæ Spei primum depictis. Figuræ autem illæ licet rudiores ſint, ejuſmodi tamen ſunt, ut quarum plantarum ſint, cognoſci queat.

Petiveriana melior figura extat inter *Plant. Succul. Tab.* 34. in qua tamen figura deſiderantur micæ glaciales, & in foliis error is commiſſus, quod prorſus teretia exhibeantur. Obſervandum porro figuram illam male referri ad *Decad. IV. p.* 12. nempe ad Ficoides Africanum erectum teretifolium, floribus albis umbellatis *Par. Bat.* cum referenda ſit ad *Decad. V. p.* 17. ubi non tantum pro Ficoide Neapolitano flore candido *Hort. Lugd. Bat.* deſcribitur, ſed & in deſcriptione contra aliquos, qui Africanæ originis exiſtiment, aſſeritur eſſe Neapolitanam ſpeciem.

Mesembryanthemum Capense geniculiflorum, Neapolitanum creditum.



F. 262.

F. 263.

Mesembryanthem noctiflorum, flore intus candido, extus phœniceo odoratissimo.

Mesembryanthemum noctiflorum, flore intus candido, extus straminео, odoratissimo.

ciem. Sed condonandum eſt Auctori in plantarum notitia parum verſato. Ego quidem non credo fore, ut, animadverſis ſuperius allatis, ſint, qui veram Neapolitanam *Columnæ* ſpeciem poſthac eſſe exiſtiment hanc plantam.

Ficoides Africanum Meſembryanthemum, floribus ad genicula albis, teretibus foliis, ſucco glaciali turgidis *Pluk. Alm. p.* 149. hujus ſpeciei ſynonymum facio, cui Plukenetius Neapolitani ſynonyma perperam adſcribit. Et huc mihi refertur, Ficoides Africana flore albo, folio tereti anguſtiore *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. 1705. 1712. & 1713. Reliqua Synonyma ad Neopolitanam ſpeciem pertinere exiſtimo.

MESEMBRYANTHEMUM NOCTIFLORUM, FLORE INTUS CANDIDO, EXTUS PHOENICEO, ODORATISSIMO T. CCVI. F. 262.

CAUDEX ejus, qui digiti minoris craſſitiem in provectiori planta adipiſcitur, lævis eſt, cortice ſpadiceo tectus, frequentibus nodis adverſis, qui ramorum reliquiæ, tuberoſus. Rami autem adverſo ortu egrediuntur & inordinate quoquoverſum ſparguntur, &, ni ſuſtententur, tota planta, ob foliorum gravitatem, humi recubat, immo ſuapte natura tortuoſe naſcitur, ramis invicem implicitis, non erectis, unde ei arboreſcentis denominatio minus apte quadrat.

Folia, ut in aliis, contrario & cruciato ſitu adhærent ſummis ramulis e ſpadiceo cinereis, glabris, dilute virentia, levi quadam glaucedine perfuſa, figuræ, ſi attente inſpiciantur, inferiora præſertim, non teretis, ſed obtuſe triangulæ, lævia, opaca ſeu lucem non tranſmittentia, minutim crebroque punctata & ſubtiliſſime inde reticulata, ſucculenta, ſaporis ſubacidi & in receſſu ſubacris. Inferiora ſuperioribus ſunt longiora & alas nudas habent; ſuperiora vero, floribus & eorum pediculis ſubjecta, breviora craſſioraque ſunt, e quorum alis pediculi florum oriuntur, & ſubter hæc unum alterumve foliorum conjugatorum par ſubinde conſpicitur, plerumque vero deeſt.

Vaſcula aut fructus ſimul cum floribus oriuntur craſſiuſculi, quatuor eminentiis craſſis capitati, calycem dein conſtituentibus, quo flos continetur, e numeroſis petalis, pedetentim interiora verſus minoribus, conſtructus, interdiu clauſus & in figuram oblongam (petalis ſubinde intortis) contractus, ſub veſperum & per omnem noctem in orbicularem formam expanſus, odoris ſubtilis & perquam ſuavis, cum reliqua diei parte prorſus ſit odoris expers. Segmenta floris anguſta ſunt, exteriora quidem longiora, interiora vero breviora, ſuperficie interna candicante, externa vero e phœniceo purpuraſcente, qui color extremum petalorum marginem plerumque pervadit, ita ut apices petalorum vel laciniarum floris diluta purpura perfuſi appareant. Flos (vid. figura marginalis prima) totus extrahi poteſt; in baſi enim annuli inſtar cohæret, e cujus fundo ſtamina oriuntur plura, apices pallide flaventes gerentia. Ceterum floris fundum embryo pervadit, quatuor filis ſeu ſtylo quadrifido terminatus. Vaſculum vero (vid. figura ſecunda) in quatuor loculamenta (vid. figura tertia) diviſum eſt, de cujus figura & ſeminibus (figura quarta) ſub ſequenti ſpecie, quæ eadem habet, agam. Quadricapſulare vaſculum, quadrifidum ſemper ſtylum & calycem in quatuor ſegmenta diviſum

ſum obſervavi; notandum tamen duo calycis ſegmenta ad floris expanſionem imminui & fere membranacea fieri, ad fructus tandem maturitatem omnia diſparere.

Floret Sole Cancrum & Leonem percurrente, diuque ſatis floret, novis floribus veteribus, ſuper vaſcula marceſcentibus, ſuccedentibus, & ſinguli flores aliquoties expanduntur. Ceterum flores in ſummis ramulis in pediculis conjugatim progredientibus oriuntur, in quorum divarications alius medius hæret flos, pediculo nudo modice longo inſidens.

Nec figuram, nec deſcriptionem hujus & ſequentis ſpeciei a quoquam Herbariæ Rei Scriptorum datam memini. Synonyma vero ejus ſunt:

Ficoides Africana erecta, foliis longioribus rotundis & glabris *Schwer. Cat.* Ficoides ſeu ficus aizoides Africana erecta arboreſcens lignoſa, flore radiato, primo purpureo, dein argenteo, interdiu clauſo, noctu aperto *Boerh. Ind. I. p.* 124. *num.* 16. *II. p.* 290. *n.* 1. Ficoides Africana fruteſcens teretifolia, flore intus albo, extus rubro, caule alato *Tein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. *&* 1713. Caules autem proprie alati non ſunt, ſed teretes, & lineam tantum utrinque habent, a geniculis ad genicula decurrentem, eamque tenuem & vix obſervabilem.

MESEMBRYANTHEMUM NOCTIFLORUM, FLORE INTUS CANDIDO, EXTUS STRAMINEO, ODORATISSIMO T. CCVI. F. 263.

CAULE, ramis, foliis & floribus plane ſimile eſt præcedenti, nec ab eo aliter, quam floribus nonnihil majoribus & eorum colore, diſtinguitur. Nihilominus diverſa ſpecies eſt & differentiam conſtanter ſervat. Flores autem intus plane, magis omnino, quam præcedentis ſpeciei, candicant, extus dilutiſſime flaveſcunt, qui color extremam laciniarum floris partem tranſit, ita ut mucrones levi flavedine tincti appareant. Flos & folia in ſpecimine noſtro, unde figura noſtra facta, aliquanto longiora & majora erant, quam præcedentis, quoniam erat planta juvenis, in quibus in hoc genere omnia ſolent eſſe majora. Flores ceterum eodem cum præcedente tempore comparent, & ſinguli aliquoties explicantur, ſatiſque diu, novis veteribus ſuccedentibus, in eadem planta durant. Toto die contracti & inodori ſunt, ſub veſperam hiant & ſenſim explicantur, & prout expanduntur, eo odor eorum augetur ſuavis & ſubtilis, Heſperidi montanæ pallidæ odoratiſſimæ *C. B.* plane ſimilis, in qua planta odor etiam conſimili tempore ſolet percipi, Sole nempe horizonti appropinquante & ſub eo verſante. Qui odor matutino tempore aliquouſque durat, donec Solis radii intenſiores eum diſſipent, quod ubi fit, flores denuo contrahuntur.

Vaſcula (vid. figura marginalis prima) tam hujus, quam præcedentis, eodem formata modo ſunt, figura nempe ovali prædita, ab initio viridia, dein obſcure purpurea, glabra, annulo in medio, qua calyx ſedit, nunc extante, circuli inſtar, nunc impreſſo, ſulci tranſverſi inſtar, cincti: a ſummitate quatuor lineas contrarias habent, ſecundum longitudinem decurrentes, quæ totidem membranas monſtrant, vaſculum in quatuor (figura ſecunda) loculamenta dividentes, in quibus ſemina (figura tertia) latent plura craſſiuſcula, velut reniformia, minutim crenata & aſpera. Ceterum vaſcula ſuccoſa ſunt, ſaporis nonnihil pungentis.

Eſt

Mesembryanthemum fruticescens, radice ingenti tuberosa.

Eſt Ficoides Afra arboreſcens, folio tereti, flore candido, noctu aperto, interdiu clauſo *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 2. Meſembryanthemum erectum arboreſcens, caule lignoſo, folio tereti, flore candido, interdiu clauſo, noctu aperto *Vater. Cat. Hort. Vit. p.* 25.

Aſter Africanus flore intus luteo, extus albicante, odorato *Schwer. Cat.* ſi vertamus verba intus & extus, huic reſpondet. Schwerinus interrogatus ſe amiſiſſe plantam, nec recordari faſſus eſt.

MESEMBRYANTHEMUM FRUTICESCENS, RADICE INGENTI TUBEROSA T. CCVII. F. 264.

RADIX nempe tuber prægrande eſt, humanum caput non raro æquans, totam ollam proceſſu temporis implens, ut mirum omnino videatur, qui radix plantam, immo qui radix ipſa ſe, pauciſſima & nulla fere circa illam remanente terra, ſuſtentare queat. Ex pluribus autem partibus invicem contortis compactum eſt tuber, unde crebræ ſparguntur radices minores, lignoſæ, in fibras tenuiores deſinentes, coloris, quam tuber, pallidioris, obſolete luteſcentis, cum ipſum tuber ex rufo ſpadiceo colore præditum ſit.

Caudex e medio tubere naſcitur lignoſus, pollicem & amplius inferiori parte craſſus, cortice ſpadiceo tectus, cujus lignum, ſi tranſverſim ſecetur, ex laminis ſpiratim compactis conſtat. Qui caudex plurimos ramos incurvos, invicem implexos, emittit, cortice ſpadiceo tectos, e quibus alii plures prodeunt minus incurvi, ut fruticuli, ſine adminiculo ſtantis, humilioris tamen, pedalis & ſeſquipedalis, naturam induat planta, cortice extremorum ramulorum cinereo colore tincto. In quibus ramulis folia naſcuntur brevia obtuſe triquetra, dorſo convexo prædita, interiore ſeu ſuperiore ſuperficie ex plano nonnihil protuberante, coloris e viridi ſubglauci, minutis micis argenteis aſperſa, quæ tamen tam parvæ ſunt, ut non niſi lucente Sole conſpiciantur. Ceterum folia, quæ ad genicula conjugatim naſcuntur, reliquis majora & magis reflexa ſunt, cetera, quæ ex his per intervalla in contraria caulis parte faſciculatim (minus licet frequentia) egrediuntur, minora ſunt & minus reflexa, ſemper vero nonnihil incurva & veluti cornuta, demptis ſupremis, florum pediculis adnaſcentibus, quæ valde parva & non reflexa ſunt, Sedo minimo non acri, flore albo *Raj.* ſimilia.

Flores in extremis naſcuntur ramulis, pediculis hærentes gracilibus, nunc cinereis, nunc rubentibus, dichotomice, cum intermedio ſemper flore, diviſis, ut veluti umbellati flores fiant. Sunt vero flores parvi, e petalis minus numeroſis, latiuſculis obtuſis, eadem magnitudine gaudentibus, conflati, coloris helvoli, i. e: quale vinum rubrum dilutius habere ſolet, in quorum medio ſtamina congeſta utriculi inſtar ſurriguntur. Calyces in quinque brevia æqualia ſegmenta dividuntur. Vaſcula ſubnaſcuntur ſubrotunda quinquecapſularia, ab initio majora, per maturitatem vero valde parva, omnium, quotquot hujus generis vidi, minima, talia, qualia figura marginali prima & ſecunda delineata ſunt. Julio & Auguſto menſibus circa meridiem floret.

Obſervatur ſæpe in annoſioribus plantis, extremas ramificationes ſpinoſas fieri, cujuſmodi eſt ramus inferior emortuus in figura majore; quæ ſpinulæ nil niſi pedi-

culi florum præcedentium annorum ſunt. Fieri tamen ſolet, ut ramorum divaricationibus ſpinæ, loco florum, innaſcuntur, cujuſmodi eſt ramus ſeorſum appictus, in quo, ut fieri amat in annoſioribus hujus generis plantis, omnia minora ſunt.

Rara non eſt hæc Meſembryanthemi ſpecies, ut mirer a paucis annotatam, a nemine vero adhuc vel deſcriptam, vel depictam eſſe. Miror etiam radicem nulli ex iis, qui eam nominetenus tradidiſſe videntur, eſſe animadverſam, cum peculiaris ſit & admiranda in hoc genere. Exiſtimo autem ſequentibus nominibus denotari ab Auctoribus:

Ficoides Africana folio triangulari recurvo, floribus umbellatis obſoleti coloris, externe purpureis *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 17. Aſter Africanus flore magno aurantio, folio contorto *Schwer. Cat.* qui flores non vidit, ſignificante Jo. Henr. de Sprekelſen, a quo cum dicto nomine ſpecimen ſiccum hujus plantæ accepi, alias retuliſſem id ſynonymon ad Meſembryanthemum loreum.

An Ficoides Afra folio triangulari enſiformi breviſſimo, ad latera quaſi preſſu excavato *Boerh. Ind. II. p.* 290. *n.* 20?

MESEMBRYANTHEMUM FRUTICESCENS, RAMULIS TRIACANTHIS T. CCVIII. F. 265.

HABUIT olim Hortus Elthamenſis hujus fruticulos lignoſos, multum ramoſos, cubitales & ampliores, quos longa hiems anni 1729. peremit, cumque ejus figura mihi deſignanda, ſurculi depacti floribus ferendis idonei nondum erant, quare plantæ in floribus uſum conceſſit Petr. Collinſon, Rei plantariæ amantiſſimus. Ea vero mediæ ætatis erat, caulibus calamum olorinum ad baſim craſſis, ſpadiceis, unde rami aliquot bipedales, non multum ramoſi, naſcebantur, cortice cinereo glabro veſtiti, e quibus modicis intervallis, nempe unciali & ſeſquiunciali diſtantia, folia ex adverſo naſcebantur glauca, punctis crebris virentibus, ad lucem pellucidis, notata, ex tereti obtuſe triquetra, (dorſo ſubacuto, ſuperficie ſuperiore ex plano pulvinata) nonnihil nunc exteriora, nunc interiora verſus incurvata, e quorum alis alia minora faſciculatim enaſcuntur, ſuprema autem folia longe breviora ſunt, Sedo minori daſyphyllo ſimilia, obtuſe etiam triquetra, e quorum alis ſpinæ rigidæ ex adverſo, cum intermedia ſpina longiore, naſcuntur, quibus ab omnibus aliis facile diſtinguitur.

Porro juxta ſpinas e foliorum horum globulatim naſcentium alis flores in pediculis tenuibus aphyllis virentibus naſcuntur parvi, dilute e violaceo purpuraſcentes, e petalis obtuſis ejuſdem magnitudinis conflati, e quorum medio ſtamina ſurriguntur, ab initio ſibi admota, dein ſejuncta & magis ſparſa, apicibus e flavo albicantibus terminata, intra quæ ſtylus latet brevis, in quinque corpuſcula cirroſa diviſus, cui vaſculum reſpondet in quinque loculamenta diviſum. Calyx in quinque æquales lacinias dividitur, cujus baſis ſeu vaſculum viride eſt & punctatum. Serius, Auguſti nempe fine & Septembri menſe floret. Seorſum flores aliquot figura prima & ſecunda, tertia vero & quarta vaſcula tranſverſim ſecta appicta ſunt.

Non alia hujus figura adhuc proſtat, quam ea, quæ eſt inter *Plant. Succul. Dec. IV. Tab* 39. in qua folia primaria ad genicula nimis parva exhibentur, quod

ex

F. 265.

Mesembryanthemum frutiçescens, ramulis triacanthis.

F. 266.

Mesembryanthemum fruteſcens, floribus albis umbellatis.



ex ætate, cum fruticulum pedalem dicat, contingere nequivit. Multo vero altius, quam Auctor dicit, aſſurgit, nec folia pallide virent, ſed glauca ſunt, pallidius licet. Ea porro parum habent ſimilitudinis cum Thymi foliis, quibus in nomine Anglico ea comparat. Latinum ejus *p.* 17. nomen eſt Tournefortii ex Boerhaavio mutuatum, nempe: Ficoides Africana, aculeis longiſſimis & foliatis, naſcentibus ex foliorum alis *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 241: *n.* 35. *Boerh. Ind. Alt. P.* 290. *n.* 18. Cetera ſynonyma ex ſerie Auctorum, prout nempe eorum ſcripta prodierunt, ſequentem in modum ſe habent:

Ficoides Africanum erectum ſpinoſum *Herm. Par. Bat. p.* 171. ubi brevis junioris plantæ deſcriptio, quæ & idem nomen repetitur in *Raji Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 366. *n.* 15. Ficoides Africanum teretifolium ſpinoſum *Ejuſd. Cat. ad Fin. Par. Bat. p.* 8. Sed male dicitur teretifolium. Figuram junioris plantæ ex Delineationibus ineditis noſtræ addere libuit, ex qua ipſa contra Hermannum conſtare poterit, proprie teretia non eſſe folia. Ficoides Africanum triacanthon, Lycii modo aculeis grandioribus donatum *Pluk. Amalth. p.* 89. Ficoides Africana erecta, foliis glaucis, ramulorum extremitatibus in ſpinas abeuntibus *Schwer. Cat.* Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana arboreſcens lignoſa, ſpinis validis ligneis ad ramos armata, folio tenui & brevi *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 11. Ficoides Africana erecta, foliis glaucis, ramulorum extremitatibus in ſpinas abeuntibus *Schwer. Cat. & Wehm. Hort. C. Boſ.*

MESEMBRYANTHEMUM FRUTESCENS, FLORIBUS ALBIS UMBELLATIS T. CCVIII. F. 266.

FICOIDES Africana erecta teretifolia, floribus albis umbellatis *Herm. Par. Bat. p.* 166. (& *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 365. *n.* 11.) ubi elegans figura contracta, totam plantam & ejus naſcendi modum belle repræſentans, appictis in latere naturali magnitudine foliis & floribus. „ Locis, inquit Hermannus, mari-
„ timis arenoſis Promontorii Bonæ Spei ſponte oritur egregia hæc Ficoides.
„ Hortis noſtris familiarior eſt, quam ceteræ hujus generis ſpecies. Nam quan-
„ quam hibernis menſibus locis a gelu liberis aſſervari poſtulet, quaſvis æſtivi
„ aëris tempeſtates innoxie ſuſtinet & per ramulos cuivis ſolo commiſſos facillime
„ propagatur. Caules erigit pedales aut ſeſquipedales, lignoſos rotundos genicu-
„ latos ramoſos, duobus ramis ſemper ſibi oppoſitis. Qui adultiores ſunt, mem-
„ branaceo & in fuſco caſtaneo cortice induuntur: juniores in pallido vireſcunt.
„ Geniculis adhærent folia ex adverſo duo, propemodum trigona, ſuccoſa & car-
„ noſa, quorum inferiora craſſitie calamum ſcriptorium, longitudine dimidium di-
„ gitum implent, cetera ſenſim gracileſcunt. Ramuli ſparguntur in tres pedicel-
„ los, ſuſtinentes flores albos, Bellidis ſylveſtris minoris floribus paullo minores,
„ qui e numeroſis candidis anguſtis petalis & intermediis concoloribus apiculatis
„ ſtaminulis contexti ſunt. Hi ea ſerie & copia prodeunt, ut perpulchræ um-
„ bellæ ſpeciem exprimere videantur. Singulis ſubjicitur calyx craſſiuſculus viri-
„ dis quinquefidus, in quo emarcido flore conſpicitur fructus congeneribus ſimilis,
„ parte ſuperiore in quinque cellulas, ſeminibus cineraceis parvis duris arenæ in-
„ ſtar refertas, diviſus. Radix tenuis eſt, lignoſa candida, multis fibramentis
„ capillata. Ab exortu Vergiliarum ad Auctumnum uſque floret, eodemque
„ tempore,

„ tempore favente cœli mollitie ſemina ſua perfecit." Hæc laudatus Hermannus; ad cujus deſcriptionem obſervari debet; folia, ut nomen innuit, teretia non eſſe, ſed, ut in deſcriptione habetur, propemodum trigona, rugoſa (& quadantenus aſpera, minus ſaltem lævia) incurva plerumque, modo in hanc, modo in illam partem verſa, (unde cornibus taurinis camparavit J. Breynius) glauca, præter juniora, quæ virent & minus rugoſa ſunt, luci obverſa infinitis exiguis poris pertuſa, e quorum ala alterutra (ſubinde utraque) unum plerumque foliorum par prodit, quod dein ſurculus fit, e pluribus foliorum paribus compoſitus, ut in figura noſtra, quæ ramum abſque & cum floribus repræſentat, apparet: caules lignoſos eſſe & plantam in arbuſculam veram enaſci, ſtantem ſine adminiculo, caudice firmo, ramis multis, quoquoverſum ſparſis, ex tereti quadrangularibus, quatuor nempe lineis ſecundum longitudinem decurrentibus, præditis, altitudine bipedali, tripedali & in annoſioribus plantis majore ſubinde: flores (quos Julio menſe apud nos plerumque fert) in orbem Aſteris inſtar pandi, e numeroſis petalis ſibi impoſitis conflatos, integris, paullo, quam pingitur in Paradiſo Batavo, obtuſioribus, qui favente Sole a ſeptima & octava matutina ad ſecundam & tertiam uſque pomeridianam aperti manent & odorem ſpirant Oxyacanthæ: ſingulos vel tertia vice explicari & integros extrahi non poſſe, ſed in petala ſeparata dilabi: ſtamina in medio flore eſſe plurima, partim in capitulum collecta, partim ſparſa, apicibus pallide flaventibus terminata, quorum ſinu conditur ſtylus brevis cirroſus, in quinque cornicula diviſus: calycem quinquefidum eſſe; vaſcula (quæ Septembri matureſcunt) parva ſubrotunda eſſe, quinque (vid. figura marginalis prima) obtuſis coſtis nonnihil anguloſa, quinquecapſularia (vid. figura ſecunda) ſemina (figura tertia) parva ſubrufa continentia: ſaporem plantæ auſterum, adſtringentem.

Primam ſed ineptam hujus plantæ iconem exhibuit *Plukenetius Phyt. Tab.* 117. *f.* 1. ubi & in *Alm. p.* 149. dicitur, Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides fruteſcens, floribus albis parvis umbellatis. Eſt particula rami ſuperior, in qua nec flores nec folia bene repræſentantur, quoniam a ſpecimine ficco, in quo hujus generis flores & folia nativi parum retinent, facta eſt.

Altera figura eſt in Paradiſo Batavo, de qua ſupra.

Tertiam dedit *Figurator Plant. Succul. Dec. IV.* ubi *p.* 12. nomen eſt Hermanni, icon autem tranſpoſita quærenda eſt *Tabula* 44. quæ mala non eſt; id ſaltem vitii habet, quod foliorum rugas omittat, & ſtamina bene non exprimat, & quod manu minus libera deſignata ſit.

Ceterum reliqua Synonyma ſequentem in modum ſe habent: Meſembryanthemum Africanum fruteſcens minus, erectum, triangularibus foliis viridibus, cornuum taurinorum in modum reflexis, fructu turbinato parvo pentagono ligneſcente, flore albo *Breyn. Prodr. II. p.* 68. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana minor erecta, folio tereti, floribus albis *Par. Bat. Prodr.* & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 364. *n.* 1. Ficoides Africana erectior & fruticoſior, folio tereti ex viridi glauco, flore albo *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 507. *n.* 7. ubi deſcriptio brevis: Ficoides Africana flore albo, folio tereti *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. 1705. 1712. 1713. Meſembryanthemum Africanum erectum, floribus albis parvis umbellatis, folio triangulari *Heuch. Prov. Alt.* 1713. *p.* 44.

MESEM-

F. 268.

F. 267.

Mesembryanthemum fruteſcens, flore purpureo rariore.

MESEMBRYANTHEMUM FRUTESCENS, FLORE PURPUREO RARIORE T. CCIX. F. 267. 268.

IN fruticem verum, quin in arbuſculam progreſſu temporis, prioris inſtar, cui caule, foliis & modo naſcendi proxime accedit, adoleſcit, caudice firmo, recto & robuſto, lignoſo, digitum & pollicem pro ætatis ratione craſſo, tereti, cortice ſpadiceo tecto, maculis lineiſve latis albicantibus ſtriato, ramis mox ab imo pluribus enaſcentibus, oblique ſurrectis, non multum ſparſis, lignoſis, glabris, ſubfuſcis, ſuperioribus ramulis virentibus, quibus folia ad genicula adnaſcuntur oblonga, e quorum alis alia oriuntur faſciculatim congeſta, breviora, glauca omnia, ſeu ſubcærulea nebula obducta, non admodum acute triangularia, lævia, non rugoſa, luci objecta multis tenuibus punctis pellucidis notata. Folia in ſurculis junioribus reliquis obſervantur longiora & acutius triquetra, ſuperne plana, aut leniter ſaltem elevata, inferne in dorſum ſubacutum producta, pleraque vero nonnihil incurvata & corniculata, nempe nunc in hanc, nunc in illam partem flexa ſunt, apice tenui purpuraſcente terminata.

Flores pediculis oblongis innaſcuntur non tantum numero, ſed & tempore rariores, quam in præcedente ſpecie; unus enim alterve tantum in ſuperioribus ramulis mihi obſervatus, ſolentque hi flores non quibuſlibet annis, ſed rarius & vere tantum calido erumpere; qui flores cum primum, ſeptem retro annis, comparerent, in planta juniore ampli erant, hilare purpurei, e petalis oblongis latiuſculis cuſpidatis plurimis conſtructi, quæ in minora quædam centrum verſus abibant, in quorum medio ſtamina plurima breviora, non multum ſparſa, (forte quod flos primum explicaretur) apicibus flavis capitata: poſtea longo intervallo, hoc anno 1730. Maji initio, tempeſtate ſatis calida, denuo, ſed in planta annoſiore, eruperunt flores minores & magis filamentoſi, petalis anguſtioribus & pedetentim tenuioribus prædiți, ſtaminibus magis ſparſis, (purpuraſcentibus) apicibus oblongis tenuibus pallide flaveſcentibus terminata; quam differentiam duplici figura illuſtrare placuit, nempe Figura 267. ſtatum illum plantæ junioris, Figura 268. ſtatum plantæ annoſioris, in qua omnia minora. Ceterum calyx in quinque oblonga anguſta ſegmenta dividitur, quorum aliqua ſubinde breviora & marginibus tenuibus membranaceis ſubfuſcis prædita ſunt. Vaſculum quinqueloculare eſt, & ſtylum gerit tenuem virentem, in quinque cornicula lævia diviſum.

Huic ſpeciei reſpondet, Ficoides arboreſcens, flore purpureo *Heuch. Hort. Vitemb. p.* 22. Alia ſynonyma non novi, niſi ſit, Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana erecta arboreſcens, geniculato caule, folio viridi *Boerh. Ind. I. p.* 123. *n.* 15. *II. p.* 291. *n.* 4. Quod an ita ſe habeat, ut ſignificare velit Clar. Auctor, rogo. Simile pæne nomen eſt, Meſembryanthemum Africanum arboreſcens, geniculato caule, folio viridi craſſiore *Vater. Cat. Hort. Vit. p.* 26. Noſtri vero folia penitus glauca ſunt, nec caules magis, quam in aliis, geniculati.

Tantum de Meſembryanthemis, foliis Triquetris lævibus, angulis Obtuſioribus præditis. Quæ angulos Acutiores habent, latera foliorum habent in pleriſque invicem æqualia, & vel folia habent Majora, vel Minora. De illis primum, de ceteris poſtea agam. Agmen ducat

MESEMBRYANTHEMUM PUGIONIFORME,
FLORE AMPLO STRAMINEO T. CCX. F. 269.

HOc per ætatem in caudicem excreſcit, pollicem & amplius craſſum, duos treſve pedes altum, qui proprio robore, vel levi adminiculo accedente, erectus ſervatur, in cujus faſtigio corona foliorum confertorum prælongorum (dodrantalium) naſcitur, ad cujus baſim oriuntur rami pedales & longiores, ob foliorum multitudinem & eorum onus penduli. Quin & vidiſſe memini annoſiores, ſex ſeptemve annorum plantas, in quibus caules ad duos cubitos enati erant, ramis longis incurvis & tortuoſis in faſtigio brachiati. Rami hi & caules velut cortice nudati videntur, libro veſtiti rimoſo, fungoſo, coloris obſoleti & lutulenti. Rami autem ſuperiores, in quibus flores naſcuntur, virides ſunt, in quorum parte inferiori folia naſcuntur palmaria, alternatim, quod huic ſpeciei peculiare, ſita, in ſuperiori vero parte, ubi flores enaſcuntur, conferta & nonnihil breviora ea fiunt, ex brevibus intervallis conjugatim naſcentia, triquetra, angulis invicem æqualibus, ad latera, parte præcipue interna, leniter ſulcata, figura pugionis triangularis, quem longiore forma noſtris moribus gerere vulgo receptum eſt; ea tamen, quæ alternatim naſcuntur, folia partem internam potius planam habent. Folia hæc nullis punctis poriſve pertuſa ſunt, coloris ſaturi viridis, fere glauci, qualis in Tunicæ foliis obſervatur, nulla tamen nebula inducta, ad angulos baſim verſus levi purpura tincta, ſucculenta & fragilia ab initio, mox vero, ubi a caule depacta ſunt, flaccida, ſaporis acris pungentis, Arifere inſtar.

Inter ſumma folia ſurculi enaſcuntur aliquot, qui in pediculis palmaribus & dodrantalibus capitula gerunt craſſa, ab initio pendula, dein erecta, e quibus Sole favente flores explicantur ampli, coloris pallide flavi, ſeu ſtraminei reſplendentis ſuperne, inferne levi rubedine perfuſi, e petalis numeroſis tenuibus exſuccis cuſpidatis, ſenſim minoribus & tandem filamentoſis, conſtructi; quibus filamentis, nempe interioribus, quæ ſtamina fiunt, apices inhærent innumeri, embryonem & ſtylum, in plurima (decem) cornicula tenuia contorta diviſum, protegentes ab initio, dein vero, ad ſecundam nempe & tertiam floris expanſionem, ea a ſe invicem recedunt & ſtylum nudatum relinquunt, fructui plano lævi viridi innaſcentem. Qui fructus procedente tempore longius excreſcit & obtuſe conicus fit, Moſchatæ nucis magnitudine, ab initio carnoſus, per ſiccitatem fungoſus & magis depreſſus, quindecim lineis radiatim notatus, loculamenta vero ordinarie decem ſunt, in quibus plurima ſemina parva ſubrotunda apiculata latent, coloris per maturitatem rufi. Eo tempore, ſub maturitatem nempe, ſuperior vaſculi pars fungoſa in coronam dentatam dehiſcit, cujus radii vel denticuli foraminaque, quæ ex his abſcedentibus formantur, tot ſunt, quot lineæ antea obſervabantur in fructu, quindecim nempe. Antequam vero in coronam denticulatam reſolvatur fructus, lineæ in tot ſulcos, quot ſunt loculamenta, abeunt. Itaque lineæ & radiati denticuli ſeſquiduplicatam, ſtylus autem, ſulci & loculamenta duplicatam ad calycis ſegmenta habent proportionem. Calyx autem in baſi integer eſt & vaſculo connaſcitur: ſuperius in quinque ſegmenta, e lata baſi in lacinias oblongas, ex triquetro teretes, deſinit, inferius vero a ſingulis ſegmentorum latiorum inciſuris coſta ad pe-

diculum

Mesembryanthemum pugioniforme, flore amplo stramineo.

diculum uſque floris decurrit, ita ut calyces velut quinquanguli ſint, & pediculi, per quos coſtæ ducuntur, quinque lineas obtineant, quæ tamen adeo læves ſunt, ut teretes potius, quam anguloſi obſerventur florum pediculi. Ceterum florum pediculi verſus baſim uno ſaltem foliorum pari cinguntur. Flores Sole lucente ab octava & nona matutina ad quartam & quintam uſque pomeridianam expanſi manent, & ſinguli aliquot dies perſtant. Pro polypetalis habendi ſunt; nam ab embryone, quem annuli inſtar cingunt, & calyce, cui connaſcuntur, toti abſque laceratione ſeparari minime poſſunt. Sole in Geminis, Cancro & Leone verſante flores comparent.

Figura marginali prima fructus recens, ſecunda ſiccus, tertia dehiſcens, quarta per tranſverſum ſectus, ut loculamenta appareant, quinta ſemina ſeorſum deſignata ſunt.

Prima hujus abſque deſcriptione figura, ſed imperfecta & junioris plantæ, exhibita fuit a *Th. Bartholino in Act. Hafn. Vol. II. Ann.* 1673. *Obſ.* 24. *&* 131. *p.* 57. *& App. p.* 347. ubi Ficus Africana ſylveſtris, folio triquetro, dicitur.

Alteram cum deſcriptione dedit *Zanonus Hiſt. Bot. Cap.* 18. *Tab.* 13. *p.* 35. ſub Aſteris aizoidis Capitis Bonæ Spei titulo, quæ junioris etiam plantæ eſt abſque floribus, ſed cum radice, quæ deeſt in Act. Hafn.

Tertiam, reliquis meliorem, exhibuit *Auctor Plant. Succul. Dec. II. Tab.* 14. cui *p.* 5. Ficoides Capenſis Caryophylli folio, flore aureo ſpecioſo, dicitur. Ramus eſt plantæ cum flore & capitulis. Obſervandum tamen florem nimis filamentoſum cum petalis incurvis pingi, cujuſmodi marceſcens eſſe ſolet; ſtylum, ut pingitur, non eſſe quinquefidum, ſed in decem cornicula diviſum: juſtam proportionem inter plantæ partes non obſervari, nam figura dimidiam magnitudinis rationem quoad folia obtinet, verum flos nonnihil amplior pro foliorum ratione, capitula autem ſeu calyces naturali magnitudine figurantur. Ceterum folia cum Caryophylleis, præter aſpectum & faciem ſubglaucam, parum habent convenientiæ. Flores autem non tam aurei, quam pallide flavi ſunt.

Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana triangularifolia, flore luteo, major *Breyn. Prodr. I. p.* 25. „ Collegi, inquit, floribus & fructibus onuſtam in „ horto Nobiliſſimi & Magnifici Viri Domini a Beaumont. Chryſanthemo aizoidi „ Africano majori tertio, flore aureo, a me in Centuria deſcripto, ſimilis; flores „ autem altero tanto pæne majores, lutei & inſigniter ſplendentes, petalis latiori„ bus radiati, nec ullis circulis in umbone ornati erant. Fructus carnoſus viridis „ magnitudinem Ceraſi æquabat, & formam aliquo modo glandis, ſi inferior pars „ major (in latum marginem deſinens) pro calyce, & pro glande inſidens eidem „ pars ſuperior habeatur. Hæc figuram pileoli, lineis compluribus longitudi„ nem permeantibus, & cum maturitate ſubſtantiam lævem corticoſam, colorem„ que fuſcum obtinebat, ſeque undecim in longas capſulas anguſtas, nunc plures, „ nunc pauciores, inferiore intus loco membranulis duabus pertenuibus ſeu appen„ diculis comitatas, reſolvebat; cujus membranulæ commemoratæ extremis apici„ bus, intus cunctæ in fructu ita erant conjunctæ, ut perbelle coronulam clauſam, „ cancelliformem, parvo apice onuſtam, efficerent; in qua ſemen continebatur „ rotundum, Papavere non multo majus, læve cinereum, punctulis fuſcis guttatum." In *Prodr. II. p.* 70. huc refert Ficoidem ſeu Ficum aizoidem Africanam triangulari

triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo majore *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 254. & a Chryſanthemo aizoide Africano ſecundo, ſive teretifolio, in Cent. p. 161. deſcripto & depicto, quocum Hermannus (& cum Hermanno *Rajus Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1880. *n.* 4. *Volckamerus in Flora Norib. p.* 166 & *Tournefortius Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 239. *n.* 11.) idem fecerat, longe differre docet, ipſe autem dicto loco novum genericum nomen facit & Meſembryanthemum Africanum triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo, majus vocat. Sed flos luteus non eſt, ſed pallide flavus, fructus autem Ceraſum ſuperat. Hermannus dicto loco p. 255. „ pro ratione ſoli & „ ætatis plantam modo ampliorem & robuſtiorem, modo minorem & graciliorem „ eſſe demonſtrat, & fructum paullo clarius deſcribit : amplitudine nunc Cera- „ ſum, nunc Nucem juglandem (tantum nondum obſervavi) æquare, ſucculen- „ tum, ſubdulcem, in fungoſam membranaceam ſubſtantiam tranſientem, commu- „ niter ſeptendecim, pluribus vel paucioribus oblongis membranaceis loculis, fa- „ vis apum ſimilibus, partitum, ex cujus ſummo ambitu erigantur totidem radii „ fungoſi fuſci acuminati, duas treſve uncias longi, effigiem Coronulæ exprimen- „ tes." Verum radii nunquam eam longitudinem acquirunt, paucioreſque plerumque ſunt, ut & loculi, qui a veris ſeminum loculamentis diſtinguendi ſunt.

Plukenetio in Alm. Bot. p. 149. non neceſſarie dicitur, Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides Africana triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo majore.

Bobartus in Hiſt. Ox. Part. III. p. 507. *n.* 10. cum Hermanno vocat, Ficoidem Africanam triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo majore, cui iconem ex Breynii Centuria adaptat *Sect. XII. Tab.* 6. *Ser.* 1. *n.* 11. ſed ea pertinet ad ſequentem undecimam ſpeciem & recte eo refertur in Tabula dicta, modo ea ab hac, ut vult Breynius, vere diſtincta ſit. Ceterum deſcriptionem ſuam partim ex Breynio, partim ex Hermanno compoſuit, in qua, figura illius ſeductus, perperam in ramulos non aſſurgere aſſerit.

Schwerino in Cat. After aizoides Promontorii Bonæ Spei & Ficoides Africana folio triangulari longiſſimo, flore amplo ſulphureo, *Boerhaavio Ind. II. p.* 289. *n.* 1. Ficoides Afra arboreſcens erecta, folio triangulari longiſſimo, confertim nato purpuraſcente, flore luteo magno, vocatur.

MESEMBRYANTHEMUM ACINACIFORME, FLORE AMPLISSIMO PURPUREO T. CCXI. F. 270.

FOLIA hujus ſpeciei ei gladii, quem acinacem vocant, generi ſimilia ſunt, leniter incurvata, parte interiori, caulem ſpectante, plana, aut leviſſime in medio excavata, exteriori compreſſa & in dorſum acutum producta, margine exteriori, præſertim ſuperiori parte, tenuiter crenato, in apice plerumque purpuraſcentia, reliqua parte colore e viridi glauco prædita, lævia, non tamen ſplendentia, non poroſa.

Ceterum folia latiora ſunt, quam ſequentis ſpeciei, propius ſibi admota, pro latitudine breviora & magis incurva, angulis inæqualibus prædita; latus enim ſuperius ſeu interius caulem ſpectans, exterioribus multo eſt anguſtius, & ob

dicta

F. 270.

Mesembryanthemum acinaciforme, flore amplissimo purpureo.

dicta latera inæqualia & curvaturam, acinacis figuram acquirunt folia. Caules, illius inſtar craſſi longique, ſeſquicubitum, cubitos duos & amplius æquantes, ni ſuſtententur procumbentes, intus lignoſi, cortice carnoſo craſſo tecti, ex tereti quadrangulares.

Flores rariſſime omnium profert, nec ſpes erat eorum videndorum, quare factum eſt, ut ramus ſaltem folioſus Tab. CCXII. F. 271. inciſus fuerit; bene tamen Aprilis fine, quum hæc prælo parata eſſent, ex annoſiore planta, loco opportuno per aliquot annos ſervata, flores quidam eruperunt formoſi, ampli, diametro trientali, e numeroſis petalis, invicem pæne æqualibus, triplici & quadruplici ſerie ſibi impoſitis, colore vivaciſſimo purpureo reſplendente inſignitis (verſus umbilicum pallidioribus) compoſiti, ſtaminibus prædiți plurimis, in orbem diſpoſitis, candidis, apicibus oblongis albicantibus farinoſis terminatis, quorum centro ſtylus continebatur multifidus, e duodecim corniculis brevibus, craſſiuſculis, cirroſis, vireſcentibus conſtans, unde vaſculum multicapſulare eſſe colligitur. Calyx e quinque foliis craſſis triquetris (quorum tria in extremitate membranacea, reliqua ſolida erant) conſtabat, fructui adnatus ſatis grandi, carnoſo, turbinato, duabus utrinque nonnihil extantibus lineis angulato & veluti alato.

Ad hanc ſpeciem referri debet: Ficus Africana aizoides, folio triquetro enſiformi, inſtar clunaculi vel gladii, quem vulgo *Hirſchfænger, oder Rückenſtreicher* vocant *Amm. Hort. Boſ. p.* 13. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana major procumbens, folio triangulari enſiformi *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 247. ubi brevis deſcriptio, quæ recitatur etiam in *Raji Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1879. *n.* 2. & *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 507. *n.* 2. Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides Africana major procumbens, folio triangulari enſiformi *Pluk. Alm. Bot. p.* 148. Ficoides Meſembryanthemum procumbens, folio triquetro viridi & falcato, omnium maximo *Eid. Amalth. p.* 88. Ficoides Africana minor, folio triangulari enſiformi *Schwer. Cat.* Meſembryanthemum folio triangulari enſiformi, majus procumbens *Heuch. Nov. Prov. p.* 48. Meſembryanthemum folio triangulari enſiformi, in apice ſpinoſo, procumbens *Vater. Cat. Hort. Vitemb: p.* 26.

MESEMBRYANTHEMUM FALCATUM MAJUS, FLORE AMPLO LUTEO T. CCXII. F. 272.

EST hæc ſpecies, quæ Ficus Hottentottorum vulgo, & Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana major procumbens, triangulari folio, fructu maximo eduli, vocatur *Hermanno*, a quo in *Hort. Lugd. Bat. p.* 244. 245. 246. 247. primum depicta & deſcripta fuit. „ Spargit, inquit, ab radice craſſa fibroſa repente mul-
„ tiſque fibrata capillamentis, cauliculos multos humiſtratos, digitum craſſos,
„ duos treſve cubitos & amplius longos, ſuccoſos, ex viridi palleſcentes, penes
„ radicem aliquando rubentes, ad quorum genicula exeunt folia bina ex adverſo,
„ digiti longitudine & craſſitie, triangularia, viridia, ſucculenta, cum totidem
„ ex oppoſito ramulis & ex his aliis atque aliis, ſuſtinentibus in cacuminibus
„ fructuum rudimenta pyriformia quinquangula, quinque trigonis foliolis, infe-
„ rioribus multo minoribus, circumvallata, intra quæ emicat flos Stellæ vel Solis

„ effigie radiatus, Aſteris flore amplior, ex molleculis tenuibus numeroſis petalis, „ quaſi radiis, ad Solem aureo fulgore micantibus, conſtructus, cingentibus multa „ concoloria ſtamina, farinaceis flaveſcentibus apiculis donata, quorum medium „ occupant ſeptem octove cornicula, ex luteo viridantia, in orbem diffuſa. His „ marceſcentibus maturatur fructus, adæquans nonnunquam Ficum vulgarem, vi- „ ridis pulpoſus, granis minutiſſimis, velut in icone inciſi fructus videre eſt, re- „ fertus, ſaporis dulcis aquoſi haud ingrati, ſummo umbilico quinque ſtellatim „ decuſſatis radiis inſcripto, pulpa vel cito putreſcente, vel intenſiori Solis æſtu „ in fungoſam ſubſtantiam tranſeunte, quæ diſpeſcitur in quinque loculos, inclu- „ dentes ſemina exigua anguloſa fuſca. Luxuriat cum ceteris hujus ſortis locis „ maritimis aridis ſabuloſis ad Promontorium Bonæ Spei, ubi fructus tam a Bel- „ gis ibidem hoſpitantibus, quam ab indigenis Hottentottis eſitantur. Hujus „ propagatio fit vel per avulſos ramulos terræ commiſſos, vel per radices, quas „ caulium genicula terræ proxima demittunt. Toto anno in Belgio viget & vi- „ ret, aſt præſervanda eſt a brumæ injuriis. Conſpicitur triplici florum colore, „ albo, purpureo & flavo." Ego vero diverſos illos colores diverſarum ſpecierum eſſe exiſtimo, neque enim hujus generis flores, quantum obſervavi, colores, niſi rariſſime mutant in eadem ſpecie, nec purpureus & flavus alter in alterum tranſire ſolet. Sola igitur flavo flore ſpecies hujus loci eſt.

Ceterum ad deſcriptionem illam ulterius obſervo: Rarius, nec niſi annoſiores hujus ſpeciei plantas flores proferre, qui Julio menſe apud nos comparent, ampli, (trium unciarum diametro) flavi, ad Solem reſplendentes, e petalis plurimis oblongis, interius minoribus, integris, plus minuſve cuſpidatis, inter calycem & embryonem enaſcentibus, conflati, circa quæ innumera ſtamina crocea emergunt, apicibus flavis capitata: ſtylum ex octo corniculis criſpis conſtare, cui totidem, cum primum flores anno 1728. obſervarem, reſpondere videbantur loculamenta, poſtea vero, anno ſequenti, quo liberius floruit, & fructus aliquot Auguſto menſe protulit, ii in decem & undecim cellulas, ſemina arenoſa continentes, diviſi erant, quibus totidem in ſummo fructu radii, a ſtylo reſidui, reſpondebant. Hinc vero conſtat, perperam fructum quinquecapſularem pronuntiari ab Hermanno, cum nunquam evenire ſoleat in hoc genere, ut pauciora ſint ſeminum loculamenta quam ſtyli cornicula. Si Hermannus diſſecuiſſet fructum per tranſverſum, plura deprehendiſſet loculamenta, quam ipſe in fructu ſecundum longitudinem ſecto exhibet; repræſentat vero quatuor tantum figura ipſius. Ad quam figuram noto: eam eſſe contractam, nec folia bene referre, ut nec florem, radices ceteroquin & eorum ex imo trunco naſcendi morem bene repræſentare. Obſervo porro: folia eſſe triquetra, angulis invicem æqualibus, in dorſo, non in reliquis lateribus (præſertim in junioribus foliis) minutim crebroque inciſa, falcis inſtar incurvata, ita tamen, ut curvatura in latus interius planum, non exterius acutum, vergat: folia colore eſſe nunc ſaturatius, nunc dilutius virente, parte ſuperiore non raro purpuraſcente: calycem in quatuor tantum ſegmenta triangularia, duo longiora, & totidem breviora, ad marginem ſubinde membranacea & in dorſo uncinata, diviſum eſſe, appoſito quandoque alio folio craſſiore & longiore, reliquis, quæ in caule ſunt, magis ſimili, quod in figura prima fructus ſeorſum appoſiti exprimitur, figura vero ſecunda idem fructus per tranſverſum ſectus exhibetur. Sequuntur Synonyma:

Ficus

F. 272.

1

2

F. 271.

Mesembryanthemum falcatum majus, flore amplo luteo.

F. 273.

4

Mesembryanthemum acinaciforme &c.

3

Mesembryanthemum falcatum majus, flore purpureo mediocri.

Ficus Africana aizoides major procumbens, folio triquetro, fructu maximo eduli *Ammann. Hort. Boſ. p.* 13. Meſembryanthemum, ſive Flos meridianus Africanus triangulari folio, fruteſcens maximus procumbens, fructu turbinato eduli, flore luteo *Breyn. Prodr. II. p.* 67. Ficus aizoides Africana major procumbens, triangulari folio, fructu maximo eduli Hermanni *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1879. *n.* 1. ubi deſcriptio Hermanni: Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides fruteſcens maxima procumbens, fructu turbinato eduli, flore luteo *Pluk. Alm. p.* 148. Miraſol *Eid. Mant. p.* 77. Ficoides ſive Ficus aizoides Africana major procumbens, triangulari folio, fructu maximo eduli D. Hermanni *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 506. *n.* 1. ubi deſcriptio Hermanni: Ficoides major Africana, folio triangulari glauco majori *Ibid. Sect. XII. Tab.* 7. *Ser.* 3. *fig.* 1. quæ ramum ſaltem abſque floribus repræſentat minori forma, cum foliis nimis cuſpidatis. Ficoides Africana major, triangulari folio, fructu maximo eduli *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. 1712. 1713. Ficoides Africana major, folio triangulari, fructu maximo eduli, ſive Ficus Hottentottorum *Schwer. Cat.* Ficoides Africana erecta, folio triangulari *Heuch. Hort. Vitemb. p.* 22. Sempervivum Africanum majus procumbens, flore aureo fulgore micante, fructu maximo eduli, folio triangulari viridi craſſo *Ejuſd. Nov. Prov. Ann.* 1713. *p.* 47. Ficoides Africana erecta, folio triangulari glauco, cauliculis viridantibus, fructu maximo eduli *Wehm. Hort. C. Boſ.* Male autem erecta dicitur.

De uſu & viribus ex Petri Kolben Deſcript. Cap. Bon. Sp. id porro annotari meretur, quod earum ſpecierum, quæ flores luteos & purpureos gerunt, (videtur autem hanc & ſequentem ſpeciem deſignare) fructus leniter alvum moveant, ut refert p. 258. Edit. Germ. & quod foliorum ſucco infantes recens natos, a ſtercore vaccino, quo perungunt, prius repurgatos, lavent Hottentotti, quod credant ad agilitatem & currendi celeritatem tenella membra inde diſponi, ut habet idem p. 443.

MESEMBRYANTHEMUM FALCATUM MAJUS, FLORE PURPUREO MEDIOCRI T. CCXII. F. 273.

CAULES præcedenti ſimiles ad cubitalem, bicubitalem & amplius longitudinem excreſcunt, ni ſuſtententur provoluti, inferiora verſus cinerei & teretes, ſuperiora verſus purpurei, leniter compreſſi, & duobus veluti angulis præditi, in quibus folia naſcuntur, inferius quidem (vid. figura tertia) longiora & rectiora, ſuperius & quæ e geniculis naſcuntur breviora & incurva, ſuntque juniora quidem & media folia introrſum, exteriora & natu majora extrorſum falcata, triquetra, ſatis craſſa, acuta & rigida, tribus lateribus invicem æqualibus, per margines, præſertim vero in dorſo, minutis denticulis, limæ triquetræ inſtar, aſperata, ſuccoſa, adſtringentia, quæ luci obverſa punctata apparent.

Flores Septembri menſe nobiſcum protulit, ſecundum caulium longitudinem pediculis biuncialibus, uno foliorum pari cinctis, inſidentes, mediocris magnitudinis, purpureos, e plurimis petalis radiatim digeſtis conflatos, petalis exterioribus majoribus, interioribus pedetentim minoribus, ita ut interiora, quæ ſtaminibus apponuntur, non niſi filamenta ſint tenuia mucronata inflexa, intima vero in ſtamina tandem abeant, quibus apices luteoli inhærent. Calyx in quinque inæqualia,

qualia, duo longiora, & tria breviora membranacea ſegmenta dividitur. Stylus e quinque corniculis cirroſis conſtat, & embryo ſeu tenellum vaſculum in quinque loculamenta partitum eſt, prouti figura noſtra demonſtrat, in qua pars ejus ſuperior abſciſſa & cum ſtylo figura quarta ſeorſum expreſſa eſt. Ceterum videri poſſet hæc & præcedentes duæ ſpecies margines foliorum interruptos habere, verum cum denticuli adeo parvi ſint, ut vix videri queant, ſane folia inæqualia minime efficiunt.

Ad hanc ſpeciem mihi referendum videtur: Chryſanthemum aizoides Africanum triangulari folio, flore purpureo *Breyn. Cent. p.* 164. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 693. Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana major, triangulari folio, flore purpureo *Breyn. Prodr. I. p.* 26. ubi bis recenſetur. Meſembryanthemum ſive Flos meridianus Africanus triangulari folio, fruteſcens maximus procumbens, fructu turbinato eduli, flore purpureo *Eid. Prodr. II. p.* 67. „ Rariſſima, inquit in „ *Centuria Plant. Rar.* & quantum mihi conſtat, Europæ noſtræ minus reliquis „ nota. Antecedenti perſimilis, niſi quod plerumque major, & folia floris umbonem luteum circumdantia, purpurei coloris pulchre a Natura picta. Tota hæc „ planta cum tribus antecedentibus & duabus ſequentibus, præprimis folia cum „ capitibus, ut Aizoum ſucculenta: ſapor aqueus, nitroſi quid occultans, quod „ in ſiccatis, quæ plane ſalſæ, clarius patet." Hæc deſcriptio eſt nimis brevis & nimis generalis, de qua plura in ſequentibus. Hujus porro Synonyma ſunt: Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana major procumbens, triangulari folio, fructu maximo eduli, flore purpureo *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 247. qui tanquam varietatem Ficus Hottentottorum vulgo, ſeu præcedentis ſpeciei, recenſet, a qua omnino differt. Chryſanthemi aizoidis Africani tertii, ſive triangulari folio, Breynii ſpecies ſecunda, flore purpureo *Raj. Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 693. Ficoides Africana folio triangulari longiſſimo, flore purpureo *Tourn. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1705. *p.* 240. *n.* 13. Tournefortius attendit ad Chryſanthemum aizoides Africanum, triangulari folio, flore aureo *Breyn. Cent. p.* 163. cui Breynius hoc perſimile, ſed plerumque majus & folia floris purpureo colore pulchre picta eſſe dixit. Sed non dicit Breynius folia æque longa eſſe; caules & tota planta poteſt eſſe major & robuſtior, licet folia ſint minora; & ex ſerie ſpecierum in Prodromo II. recenſitarum, ubi hanc, & quæ flore eſt carneo atque albo, poſt Ficum Hottentottorum locat, apparet has tres ſpecies illi proxime congeneres eſſe, & multum differre a Chryſanthemo illo aizoide Africano, triangulari folio, flore aureo *Breyn.* cui folia multo longiora ſunt. Videtur igitur Tournefortius non vidiſſe hanc ſpeciem & nomen ſuum ex Breyniana figura & ſimilitudine Breyniana cudiſſe. Sed non fidendum eſſe ſimilitudinibus, quas primi hujus generis & ſpecierum Auctores inſtituerunt, pluribus locis apparet. Melius ſane feciſſet Breynius, ſi paullo accuratius deſcripſiſſet & figuram addidiſſet, & ſic Tournefortius errorem foliorum longiſſimorum evitaſſet. Ficoides Africana major, folio triangulari, cauliculis rubicundis, fructu maximo, ſeu Ficus Hottentottorum *Wehm. Hort. C. Boſ.* vel hæc eſt, vel præcedentis ſpeciei varietas. Fructus autem hujus maximus dici non meretur.

An Ficoides Afra caule lignoſo infirmo, folio triangulari longiore & tenuiore, quam in duabus præcedentibus, flore violaceo filamentoſo plurimo *Boerh. Ind. II: p.* 289. *n.* 5?

MESEM-

F. 274.

Mesembryanthemum falcatum minus, flore carneo minore.

F. 275.

F. 276.

Mesembryanthemum falcatum minimum, flore purpureo parvo.



MESEMBRYANTHEMUM FALCATUM MINUS, FLORE CARNEO MINORE T. CCXIII. F. 274.

QUÆ folia cum angulis æqualibus acutioribus habent, triquetra glabra Minora, ex iis duæ tantum mihi innotuerunt ſpecies, hæc nempe & altera, de qua in ſequenti Capite. Caules autem hujus licet lignoſi ſint, ni tamen ſuſtententur, procidui eſſe ſolent, cinerei, a pedali ad bipedalem longitudinem protenſi, non admodum ramoſi, ramis foliis ad genicula cinctis brevioribus (vix ſemunciam longis) anguſtis, incurvis ſeu falcatis, e quorum alis alia faſciculatim naſcuntur minora & magis ſurrecta, lævia, ad Solem poroſa, coloris glauci pallidioris, (viridia nempe ſunt cum ſubcærulea nebula ſuperinducta) minus ſucculenta, ſaporis adſtringentis.

Superiores ramuli, Sole in Geminis & Cancro verſante, in pediculos oblongos, aliquot geniculis & foliorum conjugationibus interceptos, excurrunt, ad baſim floris craſſiores, quibus inſident flores modice ampli, & quam in ſequenti ſpecie, nonnihil majores, dilutiſſime purpuraſcentes, e numeroſis petalis anguſtis, radiatim expanſis, conflati, petalis nunc integris & cuſpidatis, non raro vero in duas treſve minutas lacinias in margine diviſis, exterius longioribus & latioribus, interius ſenſim anguſtioribus & brevioribus, ita ut in filamenta tandem abeant & a ſtaminibus diſtingui nequeant. Ceterum ſtamina plurima minus longa centrum floris occupant, apicibus flavicantibus terminata. Stylus in quinque cornicula modice introflexa diviſus eſt, criſpa, flavicantia. Flori ſubjicitur calyx quinquefidus, ſegmentis in margine membranaceis exſuccis ſubfuſcis, carinatis, ſubtus in parte convexa plerumque uncinatis ſeu ſpina, quæ in Roſarum caulibus naſcitur æmula, ſed molli & non pungente, præditis. Vaſcula inter petala & ſtamina exarida latent parva ſubrotunda, obtuſe turbinata, ex rubro purpurantia, quinque obtuſis angulis prædita, per maturitatem magis conſpicue anguloſa, quinquecapſularia, quæ figura prima & tertia integra, ſecunda diſſecta exhibentur.

Sola hujus figura eſt inter *Plant. Succul. Dec. IV. Tab.* 36. eaque vitioſa, nam nec folia, nec florem, nec calycem bene exprimit in eo, quod flos juſto minor ſit & petala omnia habeat ejuſdem magnitudinis, cujus filamenta & ſtamina plane omiſſa ſunt, quod in calyce ſpinæ deſint, quod folia obtuſa & teretia exhibeantur, nec eorum ſitus & curvatura rite exprimantur. Nomen *p.* 14. eſt, Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana fruteſcens, folio glauco parvo, flore violaceo *Boerh. Ind. II. p.* 290. *n.* 8. quod nomen habetur etiam in *Ind. I. p.* 123. *n.* 13. An & Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana arboreſcens lignoſa, folio glauco brevi, flore pallido *Ejuſd. Ind. I. p.* 122. *n.* 4? Quod nomen ſane bene & melius huic quadrat. Hujus porro ſpeciei ſynonyma mihi cenſentur:

Ficoides Africana minor procumbens, folio triangulari glauco *Volck. Fl. Nor. p.* 165. Ficoides Africana foliis anguſtis triangularibus, flore carneo majori *Schwer. Cat. App. Manuſcr.* Meſembryanthemum folio triangulari glauco parvo, flore violaceo, fruteſcens *Heuch. Nov. Prov.* 1711. *p.* 47. Quod nomen neceſſario huc referendum eſt, ſi ſuperius ex Boerhaavio recenſitum hujus loci ſit. Alias ſequentem magis, quam hanc ſpeciem exprimit.

MESEMBRYANTHEMUM FALCATUM MINIMUM, FLORE PURPUREO PARVO T.CCXIII. F. 275. 276.

PRÆCEDENTIS inſtar fruticeſcit hæc ſpecies, ſed multo minor eſt omnibus partibus, ſemipedalem aut dodrantalem altitudinem raro ſuperans, caulibus brevibus lignoſis, e quibus plurimi ramuli breves reſupini, per ætatem invicem implexi & valde frequentes, enaſcuntur, cortice inferius glabro e cinereo ſpadiceo veſtiti, ſuperiores vero ramuli e ſpadiceo luteſcunt, foliis cincti perbrevibus, triquetris, anguſtis, falcis inſtar incurvatis, glabris, glaucis, extremo apice purpureis, ſi luci obvertantur punctatis, in quibus ea differentia obſervatur, quod in junioribus plantis, qualis figura noſtra poſterior 276. longiora ſint & minus denſe congeſta, in annoſioribus vero breviora ſint & glomeratim naſcantur, ut figura anterior 275. monſtrat.

Flores liberrime profert & pleraque æſtatis parte, novis emarcidis ſuccedentibus, oſtendit, quin & ſinguli ſatis diu perſtant & multoties aperiuntur, ab initio convexi, dein radiatim expanſi, petalis exterioribus longioribus planis, mediis brevioribus nonnihil incurvatis, interioribus, quæ circa ſtamina ſunt, ſurrectis, filamentoſis, unde fit, ut flores regularem & æqualiter radiatam figuram non obtineant, ſed petala velut diſlocata & diſperſa videantur, præſertim niſi Sol ferveat; tempore enim valde calido magis regulariter & plane explicantur. Sunt vero petala interiora cuſpidata integra, exteriora obtuſiora, non raro bifida. Ceterum flores in extremis ramulis foliatis naſcuntur, minores quam præcedentis ſpeciei, & colore ſaturatiore præditi, nempe e violaceo purpuraſcentes, odorem ſpirantes nucleorum Perſicorum contritorum; qui flores, præcedentis & aliorum multorum inſtar, minime integri & cohærentes in fundo extrahi poſſunt. Stamina floris umbilicum occupant ſurrecta, apicibus oblongis tenuibus flavis terminata, ſtylum occultantia & conſpectui eripientia. Vaſculum (figura quarta) quam præcedentis longe minus eſt, ex fuſco purpureum, quinquecapſulare & quinque obtuſis angulis in ſummitate terminatum, cui calyx circa medium connaſcitur, in quinque anguſta & acuminata ſegmenta diviſus, quorum duo, ſubinde tria ſegmenta latiuſcula quandoque ſunt, membranacea, concava fuſca, ſubtus uncinata.

Non alia etiam hujus figura proſtat, quam quæ eſt inter *Plantas Succul. Dec. V. Tab.* 42. quæ junioris plantæ naſcendi modum non male repræſentat. Sed flores debebant eſſe paullo majores, petala magis obtuſa, non tam regulariter expanſa, nec debebant omitti media & interiora petala pedetentim minora: debebant porro exprimi ſtamina, quæ in hac ſpecie ſatis conſpicua & ſurrecta ſunt, in foliis autem formam deſidero, nam compreſſa fecit vel Figurator vel Sculptor, cum triquetra fieri oporteret. *Pag.* 9. recitatur nomen *Boerh. Ind. II. p.* 190. *n.* 19. nempe Ficoides Afra folio triangulari enſiformi breviſſimo, flore dilute purpuraſcente filamentoſo. Nec alia ſynonyma obtinuit hæc ſpecies, quam ſequens, quod cum ſpecimine tranſmiſſo communicatum habeo, nimirum Ficoides Africana foliis anguſtis triangularibus, flore carneo minori *Schwer. Cat. App.* quod commemorare libuit, ut noſcatur, ſi quando Appendix illa typis fuerit excuſa, quænam ſpecies indigitetur iſto nomine.

Abſolutis

Abſolutis variis Meſembryanthemorum Speciebus, reſtant ex Cauleſcentibus Radio in foliorum apice piloſo deſtitutis, quæ folia habent non interrupta, Teretia, innumeris granulis lucidis, globulorum glacialium inſtar ad Solem micantibus, undique obſita. Ex his quatuor tantum ſpecies ad notitiam meam pervenerunt, quarum prima mihi dicitur

MESEMBRYANTHEMUM PILOSUM MICANS, FLORE SATURANTER PURPUREO T. CCXIV. F. 277. 278.

CAULICULI & rami ad pedalem, ſeſquipedalem & bipedalem longitudinem excreſcunt, numeroſi & quaquaverſum ſparſi, graciles, quorum genicula inferiora in nodos extumeſcunt, ſuperiora vero nodis deſtituuntur, unciali aut paullo longiore diſtantia ab invicem remota, quibus folia adnaſcuntur teretia, ſaturatim viridia & fere glauca, ſed innumeris granis glacialibus denſe congeſtis reſplendentia, quæ ad genicula leniter coëunt & ex alis ſuis minora paria, modo una, modo gemella, modo terna emittunt, ſucculenta & ſapore leviter pungente linguam afficientia. Recta ſunt hæc folia & craſſiuſcula, in extremitate obtuſa, unde fit, ut ob gravitatem ſuam pendula plerumque obſerventur. Caulis & rami cortice veſtiuntur ex cinereo in fuſcum tendente, parte inferiori glabri, verſus medium vero & in ſuperioribus ramulis multis pilis vel ſpinulis innoxiis obſiti, cujuſmodi pili non in alia, quantum conſtat, quam in hac & duabus proxime ſequentibus ſpeciebus obſervantur.

Flores in extremis ramulis pediculis inſident longiuſculis, vel e ramorum divaricationibus, vel e foliorum alis egreſſis, majuſculi, e petalis laxioribus integris, ſimplici ſerie in orbem eleganter expanſis, conflati, circa quæ radiantur numeroſa ſtamina, apicibus pallidis terminata, quæ, quoniam flores colorem obtinent ex violaceo ſaturanter purpureum, eo magis conſpicua ſunt & non parvam flori gratiam addunt. Stamina hæc, ut in aliis, inter petala & embryonem oriuntur, embryo vero quinque corniculis villoſis, quæ ſtyli ſunt, terminatur. Vaſcula parva ſunt, quinquangularia, & per maturitatem ſtellam pentagonam repræſentant. Calyx non piloſus, granuloſus in quinque ſegmenta dividitur. Satis diu floret, novis floribus veteribus & emarcidis ſuccedentibus. Majo vero Junioque menſe flores hi potiſſimum comparent, & quamvis flores admodum regulariter explicentur, ſimulac tamen ſinguli flores defloruerunt, petala ſparſa & confuſa dependent.

Plantæ annoſiores folia habent breviora & florum pediculos magis curtos, cujuſmodi eſt figura minor 278. quæ vaſcula repræſentat, major vero 277. cum floribus junioris eſt plantæ. Obſervandum porro grana glacialia in hac ſpecie minus protuberare, quam in Meſembryanthemo piloſo micante, flore purpureo ſtriato, ſed magis depreſſa eſſe & ſibi invicem confundi, ut folia inde rugoſa fiant, ſecus ac in ſequentibus micantibus ſpeciebus.

Deſcribitur & depingitur in *Flora Nor. ſubnexa Heſper. Norib. J. C. Volck. p.* 223. *n.* 6. *fig.* 4. *p.* 224. At icon minus bona, eſt enim particula tantum ramuli, in qua deſiderantur pili, & nec flos, nec ſtamina ſatis accurate deſignantur. Porro deſcriptio imperfecta & nimis brevis eſt, in qua folia perperam dicuntur orbiculata, nec fructus piriformis dici meretur. Nomen eſt: Ficus aizoides Africana teretifolia

teretifolia erecta, caule piloſo, flore purpureo copioſo ex H. M. V. Vereor autem ut erecta ſit abſque adminiculo hæc ſpecies; melius diceretur fruticeſcens. Mera ſynonyma ſunt:

Ficoides ſeu Ficus Africana foliis teretibus cryſtalliniſque miculis adſperſis, cauliculis piloſis ſeu hirſutis *Flor. Nor. p.* 165. Ficoides Africanum ramoſum majus, caule hirto *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 366. *n.* 20. Ficoides Africana erecta teretifolia, cryſtallinis micis conſperſa, caule piloſo, flore purpureo copioſo *Schwer. Cat.* Ficoides Afra fruticoſa, caule lanugine argentea ornato, folio tereti parvo longo, guttulis argenteis quaſi ſcabro, flore violaceo *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 8.

MESEMBRYANTHEMUM PILOSUM MICANS, FLORE PURPUREO PALLIDIORE T. CCXIV. F. 279. 280.

VALDE quam ſimilis eſt hæc præcedenti ſpeciei, ſed tota humilior, magis ramoſa & minus erecta. Folia autem, quam prioris, pallidiora, micis minoribus obſita, nonnihil longiora & anguſtiora ſunt, non recta, ſed incurva plerumque, extremitatibus minus craſſis. Cauliculi & pediculi minus hiſpidi; flores dilute purpuraſcunt, minores aliquantum, petalis propius ſibi admotis, ſtaminibus brevioribus, quæ non omnia, prioris inſtar, ſuper petala explicantur, ſed non pauca eorum pars in medio utriculi figura collecta obſervatur. Majo Junioque menſibus floret, & flores ſatis numeroſos profert, ſecundum ramulos e foliorum alis nunc ex altera tantum, nunc ex utraque parte enaſcentes, pediculis, quam in præcedenti ſpecie, nonnihil brevioribus & minus foliatis.

Per ætatem multum ramoſa & tortuoſa fit, &, ni alligetur, in ſe procumbit, pedalem altitudinem non ſuperans, ramulis teretibus gracilibus lignoſis, ſpadiceis tortuoſis, piloſitatem deponentibus, niſi in pediculis flores ſuſtinentibus, qui tum breviores fiunt & flores minores e violaceo dilute purpuraſcentes, ſplendentes gerunt. Flores autem e petalis latiuſculis obtuſis integris, nunc crebrioribus & ſibi invicem impoſitis, nunc nonnihil rarioribus, ejuſdem magnitudinis, regulariter Aſteris inſtar expanſis, conflati ſunt, qui in baſi non cohærent, nec integri, ſed ſeparatim extrahuntur. Stamina inter florem & embryonem proveniunt, partim ſuper petala ſparſa, partim in medio in capitulum collecta, apicibus luteolis prædita. Calyces in quinque ſegmenta diviſi piloſi non ſunt. Vaſcula, quinque obtuſis angulis prædita, quinquecapſularia ſunt, quæ per maturitatem ſi humeſcant, quod huic generi familiare eſt, ſtellatim expanduntur, ſegmentis quæ abſcedunt radiatim expanſis, in medio perforatis, in quorum umbilico veſiculæ quinque vel loculi membranacei ſtellatim digeſti ſunt, in quibus continentur ſemina arenoſa, per maturitatem e fuſco rufeſcentia.

Folia ſaporem habent aquoſum, in receſſu pungentem: in ſuperficie minutiſſimis granis glacialibus tota aſperſa ſunt. Ceterum ea in annoſioribus plantis ſuperiora verſus ſubtriquetra fiunt, ſed vix obſervabili differentia. Figura noſtra ſuperior 279. ſtatum plantæ annoſioris, inferior 280. juniorem repræſentat.

Non memini hanc ſpeciem vel depictam, vel deſcriptam eſſe, niſi ſit Canarienſis *Coſca* dicta, de qua ſtatim poſt Synonyma. Hæc vero videntur:

Ficoides

F. 277.

F. 279.

F. 278.

F. 280.

Mesembryanthemum pilosum micans, flore saturanter purpureo.
Mesembryanthemum pilosum micans, flore purpureo pallidiore.

Ficoides Africanum ramoſum minus, floribus carneis, caule hirto *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 366. *n.* 19. Ficoides humilis, foliis cryſtallinis miculis adſperſis *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. 1713. Ficoides Afra fruticoſa, foliis teretibus, tenuibus acutis longioribus *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 10.

A *Bobarto in Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 507. *n.* 9. & inde a *Rajo Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 364. *n.* 5. Ficoides minor Canarienſis teretifolia, micis argenteis aſperſa, *Coſca* dicta, ſequentem in modum deſcribitur: „Hujus, inquit, ramuli „ crebrius naſcentes humum petunt. Folia longa anguſta teretia, ex adverſo bina, „ præcedentis (Neapolitanæ) conformia, æque ac cauliculi ſuccoſi, e viridi ru„ bentes, micis argenteis, præſertim Sole ſplendente, conſperſa ſunt. Flores „ radiati, ex tenuibus petalis conflati, carnei ſunt coloris, quibus capſula ſemi„ nalis carnoſa, in quinas cellulas diviſa, ſuccedit." Hæc ſunt quæ de hac planta memoriæ relicta habemus. Figura nulla ejus proſtat. *Coſca* nomen intercidit, an etiam planta, non determinaverim. Quodſi vero remanſit apud nos planta, neceſſe eſt, ut vel hanc, vel ſequentem pro ea habeamus. Quo minus autem ſequentem exiſtimemus, ſunt ſtriæ in flore valde conſpicuæ, quas prætervisas fuiſſe credere non licet. Igitur ſi aliis videatur, ſit hæc tantiſper, donec aliam reperiamus, Canarienſis ſpecies, cujus Synonyma ſunt:

Ficoides Africanum Meſembryanthemum, ſeu Ficus aizoides teretibus foliis ſuccoſis, micis argenteis interſperſis, flore carneo, ex Inſulis Fortunatis: *Coſca* Inſulanis vulgo *Pluk. Alm. p.* 149. Meſembryanthemum minus Canarienſe teretifolium, micis argenteis conſperſum, ſeu glaciatis quaſi micis ſplendentibus ornatum, flore carneo, *Coſca* dictum *Heuch. Nov. Prov.* 1711. *p.* 47.

MESEMBRYANTHEMUM PILOSUM MICANS, FLORE PURPUREO STRIATO T. CCXV. F. 281.

MEDIA hæc eſt inter ultimam & penultimam modo memoratas ſpecies. Flos penultimæ quidem magnitudine eſt, at colore dilutiore purpureo tinctus: folia breviora ſunt & anguſtiora, cauliculi pilis brevioribus, ultimæ inſtar, obſiti, cui & foliorum anguſtia reſpondet, verum ea breviora habet & granis glacialibus majoribus obſita, flores majores ſaturatiore purpureo colore tinctos. Ab utraque vero ſpecie notabiliter diſtinguitur in eo, quod calyx & fructus baſis valde piloſa ſit, quod flores abſque multa violacea mixtura, ſimpliciter & dilute purpurei, ſtria ſaturatiore purpurea, ſecundum longitudinem petalorum decurrente, picti ſint, & quod ſtamina una in orbiculum, ſeminum Malvæ aut caſeoli figura, colligantur ab initio, quæ licet poſtea magis ſurrigantur, nunquam tamen ſparguntur. Stamina hæc caſeoliformia colorem obtinent pallide virentem, umbilicum autem caſeoli circulus occupat ruber.

Ceterum plantæ juniores folia habent craſſiora & longiora, granis vel micis craſſioribus obducta, flores vero majores, coloris longe pallidioris, ſtria etiam pallidiore notatos. Quin & annoſiorum plantarum flores ſub primam explicationem albicant, poſtea vero ſecunda & tertia apertione ſaturatiorem purpureum colorem acquirunt. Figura noſtra ad annoſiorem plantam facta. Eodem cum præcedentibus tempore floret, & flores æqualiter radiatimque explicat, diuque ſatis

retinet, quorum petala, ut in duobus præcedentibus, ejuſdem invicem magnitudinis ſunt. Calyces in quinque craſſiuſcula ſegmenta diviſi piloſi ſunt. Vaſcula ſubnaſcuntur parva, depreſſa, quinque tuberculis terminata, quinquecapſularia, ſemina parva continentia, quæ num. 1. ſeorſum deſignata ſunt.

Deſcripta & depicta primum fuit hæc ſpecies in *Fl. Nor. Heſper. Norib.* ſubnexa *p.* 221. *n.* 2. Ficus aizoidis teretifoliæ, foliis cryſtallino rore elegantiſſime conſperſis, floribus dilute roſeis, ex H. M. V. titulo. „ Genita, inquit Auctor, „ eſt hæc planta anno 1705. ex ſemine, quod ex Promontorio Bonæ Spei nobi„ ſcum eſt communicatum. Caules & ramuli ejus rotundi, &, poſtquam adolevit, „ duri & lignoſi, undique piloſi ſeu hirſuti. Flores illius in horum ſummitatibus, „ ex ſuccoſo villoſo quinquangulari calyce vel gemma germinant, quorum fo„ liola complura ſunt & roſea, lineolis rubicundis notata. Poſtquam defloruе„ runt, fructus ſuccedit quinquangularis, qui ad maturitatem accedens, ſeminum „ minutiſſimorum copiam reconditam habet." Figura eſt *p.* 224. *n.* 2. quæ ſatis „ bene reſpondet ipſi plantæ, niſi quod folia nonnihil craſſiora & florum petala juſto obtuſiora, quam habet ipſa planta, exhibeantur.

Altera figura eſt inter *Plant. Succul. Dec. IV. Tab.* 35. quæ videtur ad juniorem plantam facta, folia enim nimis longa craſſaque ſunt. Figura flores ſatis bene exprimit, caſeoli autem in medio floris nimis elevati ſunt, in quibus omitti debebant anguli, addi vero debebant pili per omnes ramulos. Caules, ut in deſcriptione qualicunque dicitur, non erecti ſunt, ſed, ni ſuſtententur, recumbunt. Obſervandum etiam nomen longe alienum adſcribi *p.* 13. nempe Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio longo tenui, flore aurantio *Boerh.* Quomodo autem, ſi hujus floret loci, cohæret flos aurantius & in nomine Anglico, *The Hairy Spindle-leaved Fig-Marygold, with a pale Purple-flower?* Quid Fig-Marygold? E Synonymis occurrunt:

Ficoides Africana procumbens teretifolia, craſſioribus micis cryſtallinis adſperſa, caule magis fiſtuloſo, flore dilutioris roſei coloris, in medio rubro ornato *Schwer. Cat.* Ficoides humilis, foliis teretibus granulatis, caulibus piloſis, flore purpuraſcente *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1712. & 1713. Ficoides Afra fruticoſa, caule lanuginoſo, folio tereti parvo brevi guttato, flore violaceo *Boerh. Ind. II. p.* 291. *n.* 9. Forte Ficoides Meſembryanthemum tenuiſſimis vermiculatis foliis Africanum, Hort. Compton. Pluk. *Amalth. p.* 90.

Ficoides Africana teretifolia, cryſtallinis micis adſperſa, flore intus lætiſſime purpuraſcente, extus argenteo nitore ſplendente *Schwer. Cat.* videtur hujus varietatem cum floribus junioribus & primum explicatis denotare.

MESEMBRYANTHEMUM MICANS, FLORE PHOENICEO, FILAMENTIS ATRIS T. CCXV. F. 282.

PEDALIBUS & bipedalibus ſurgit cauliculis, qui, ni fulciantur, procumbere ſolent, lignoſis & multum ramoſis, ramulis teretibus gracilibus, ex ſextantali plerumque diſtantia geniculatis & brachiatis, folia autem breviorem, ſeſquiuncialem nempe & uncialem diſtantiam obſervant, unciam plerumque longa, craſſiuſcula, (in annoſiori planta, ad quam figura noſtra poſterior cum flore facta,

paullo

F. 281.

Mesembryanthemum pilosum micans, flore purpureo striato.

F. 282.

2 3

Mesembryanthemum micans, flore phœniceo, filamentis atris.



paullo anguſtiora & breviora, in juniore, cujuſmodi eſt altera cum vaſculo, longiora & craſſiora, non prorſus teretia, ſed obtuſe triangularia (quamvis iſti anguli tam obtuſi ſint, ut teretia potius, quam triquetra, dici mereantur folia) tota micis argenteis reſperſa, coloris ceteroquin luteo-virentis. Caules ramique inferiores ſpadicei ſunt & glabri, ſuperiores vero e fuſco rufeſcunt & aſperi tractanti apparent, multis punctis albidis, quæ olim micæ fuerunt, obſiti, ſummi autem pediculi & florum calyces micis granulisque argenteis, foliorum inſtar, ſed craſſioribus donantur.

Flores in cacuminibus pediculis uncialibus & ſeſquiuncialibus (ad vaſculorum augmentum longioribus) innaſcuntur ſatis ampli, concavi, margine reflexo, circa baſim annulo quodam cohærentes & velut monopetali, ita ut toti extrahi queant, ex numeroſis petalis ſenſim minoribus & ad umbilicum filamentoſis conſtructi, coloris extus ſqualide rubeſcentis, tunica aurea, ad Solem lucente ſplendenteque, ſuperinducta, intus ex phœniceo luteſcentis, oris reflexis ſaturatiore colore inſignitis, ex luteo nempe ad rubrum, qui puniceus appellari ſolet, vergente, filamentis in medio flore circa ſtamina albida locatis atris, quibus hic flos a plurimis aliis prompte diſtinguitur, quamvis & natura ſua ſpecioſus & a pleriſque aliis diſtinctus ſit. Stamina vero brevia ſunt, non expanſa, nec in utriculum collecta, ſed ſimpliciter congeſta, farinoſa, inter quæ ſtylus latet villoſus quinquefidus. Calyces in quinque ſegmenta dividuntur, quæ ſubinde reflexa & uncinata ſunt, membranula quadam ad margines tenui & pellucida cincta, ſubinde vero membranula & unculis illis carent. Vaſcula parva ſunt, depreſſa, quinque radiis prominentibus & totidem intus loculis diſtincta, per ſiccitatem fuſca, contracta, cujuſmodi ſeorſum num. 2. integrum, 3. tranſverſim ſectum exhibetur. Tota fere æſtate, novis floribus marceſcentibus ſuccedentibus, floret. Jam, ut hactenus ſuevimus, recenſeamus Synonyma Auctorum, & primo quidem eorum, qui vel deſcriptionem, vel figuram aliquam dederunt, dein qui ſolo nomine ejus mentionem fecerunt.

Inter hos primus eſt *Rajus*, qui Ficoidis Africani caule aſpero, flore rutilante, coloris Cinnamomi *Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 366. *n.* 21. titulo ſatis bene deſcripſit. Notandum autem, quæ ſtamina dixit nigreſcentia apicibus albidis coronata, cum apicibus careant, pertinere potius ad petala, & quem colorem cinnamomeum vocavit Rajus, non tam in flore recenti, quam vetuſto & marcido, vel potius in ramulorum cortice, obſervari. Ceteroquin bene obſervat Rajus, folia ex triangulari eſſe rotunda, ſed cum, ut ſupra demonſtratum eſt, anguli ſint vix conſpicui, pro teretibus non male habentur folia hæc.

Sequitur *J. C. Volckamerus*, cui in *Flora Noribergenſi Heſperidibus* ſubnexa *p.* 222. *n.* 3. dicitur, Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana teretifolia erecta, cryſtallinis micis adſperſa, flore amplo puniceo intus, extus ad Solem aureo fulgore ſplendente ex H. M. V. fratris nempe, cui in *Flor. Nor. p.* 165. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, foliis teretibus cryſtallinis miculis adſperſis, dicta fuit. Deſcriptionem Volckamerianam, quia cum Rajana congruit, neutra vero, quod in noſtra non contineatur, habeat, recenſere ſuperſedeo. Obſervandum autem eſt, figuram non tertiam, ſed primam in *Tabula p.* 224. hujus loci eſſe, & perperam ei pilos appingi, quos ſculptor figuræ quartæ addere debebat, quantum ego quidem

dem

dem judico. Particula ſaltem eſt ramuli, ſed floris figura ſatis monſtrat, hujus ſpeciei eam eſſe.

Porro figuram hujus habet *Petiverus Gazoph. Tab.* 7. *fig.* 9. cui in *Catal. Vol. II. num.* 486. Ficoides Capenſis tereti folio, flore croceo, dicitur. Figura, ut reliquæ ipſius, non placet. Videtur ad plantam marceſcentem facta, & deſunt petala floris minora ac capillamenta nigra, quo defectu etiam laborat tertia, quæ hujus proſtat, figura inter *Plant. Succ. Dec. I. Tab.* 8. cui *p.* 9. titulus, Ficoides Capenſis folio tereti argenteo, petalis perplurimis aurantiacis.

Reſtant qui ſola nomina dederunt. Eſt autem Ficoides Meſembryanthemum prælongo ſubtereti folio, micis roridis ornato, flore amplo amœniſſimo aureo *Pluk. Amalth. p.* 89. Ficoides Africana erecta teretifolia glauca, cryſtallinis micis adſperſa, flore magno, flammei coloris intus, extus ad Solem aureo fulgore ſplendente *Schwer Cat.* Ficoides Africana foliis Sedi minoribus oblongis, flore ampliſſimo atro-purpuraſcente, in ſummitate aureis micis circinato *Tit. Hort. Maur. p.* 74. Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio viridi, micis quaſi glaciatis ſplendentibus ornato, flore coccineo *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 22. ni fallor. Vel

An Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana, folio longo tenui, flore aurantio *Boerh. Ind. I. p.* 124. *n.* 24? *II. p.* 291. *n.* 5? de quo Capite de Meſembryanthemo tenuifolio fruticeſcente, flore croceo.

Hæ ſunt Meſembryanthemi ſpecies in Horto Elthamenſi naſcentes hodieque læte vigentes, dempto Meſembryanthemo foliis corniculatis longioribus, quod anno 1732. hiemis injuria periit, quam ſpeciem, vel quaſcunque alias, quæ in hoc libro non continentur, qui communicare voluerit, rem faciet gratiſſimam.

MILIUM AMERICANUM HUMILE, PANICULA RARA T. CCXVI. F. 283.

MILIO vulgari culmo, foliis & ſemine ſimile eſt, ſed humilius & gracilius, paniculamque habet minus ſparſam, e granis rarioribus conflatam.

Pedali vero & ſeſquipedali eſt altitudine, culmo piloſo, e quo folia ſimiliter piloſa oriuntur, caulem aliquouſque, ut in aliis Culmiferis, vaginæ inſtar cingentia, parte interiore, qua culmum ſpectant, magis hirſuta ſeu pilis crebrioribus obſita, quam exteriore, marginibus nullis pilis præditis. Quæ folia, quando floret planta, ut ſemina nutritio ſucco uberius ſuppleantur, ſenſim ab acumine, ceu in aliis Cerealibus, exareſcunt.

Panicula e locuſtis conſtat ſimplicibus, ſeu non ſquamoſis, gemellis nempe glumis virentibus, ad quarum baſim alia anguſtior exterius apponitur, quarum ſinu embryo fovetur, e duobus corpuſculis navicularibus lucidis compoſitus, in quibus grani rudimentum, ſtylus & ſtamina hærent, apicibus violaceis prædita. Quæ corpuſcula dein coëunt, granoque pro involucro inſerviunt, quod adeo arcte complectuntur, ut nonniſi fuſtitundina ſeparari queant. Semina hæc albida, lucida, ſeorſum in margine appicta ſunt.

Brevi tempore enaſcitur, & cito ad maturitatem, duorum nempe menſium ſpatio, pervenit. Sponte autem naſcitur in Virginia & Carolina. Cum grana vulgari ſimilia gerat, ad eadem ad quæ vulgare Milium, nempe ad juſcula & pultes conficiendas,



Milium Americ. humile, panicula rara.





F. 284.

Myosotis Orientalis perfoliata, Lychnidis folio Tourn.

ficiendas, adhiberi poterit. Sed quoniam rariore conſtat grano, minus, quam illius, lucroſa erit ejus cultura.

Milium Virginianum lato brevique folio, panicula rariore *Hiſt. Ox. Part. III. p.* 196. *n.* 4. *Sect. VIII. Tab.* 5. *fig.* 4. *ſerie* 2. foliis longe brevioribus ab hoc differt. Ceteræ Milii & Graminum miliaceorum Americanorum ſpecies foliis & paniculis tenuioribus a noſtro diſtinguuntur.

MYOSOTIS ORIENTALIS PERFOLIATA, LYCHNIDIS FOLIO TOURN. INST. R. H. COR. P. XVIII. *T. CCXVII. F.* 284.

EX radice fibroſa annua caules ſpargit plures reclinatos, pedales & ſeſquipedales, geniculis frequentibus diſtinctos, ad quæ ramuli enaſcuntur dodrantales & pedales, ſurrecti, teretes, glabri, foliis cincti pinguibus glabris, e glauco nitide cæruleſcentibus, Lychnidi Vaccariæ dictæ ſimilibus & ſimiliter verſus baſim connaſcentibus & a ramulis tranſadactis, quorum ſummitati capitula pediculis tenuibus innaſcuntur conica, e quinque foliolis conſtructa, colore cum foliis eodem prædita, quæ Sole urgente hiant & flores parvos candidos viſui exponunt, e quinque petalis planis, in extremitate inciſis, conflatos, quibus præteritis vaſcula ſubnaſcuntur oblonga, conica, ab initio viridia, per maturitatem obſolete albicantia & ſtriata, pluribus denticulis, decem nempe, dehiſcentia, & ſemina fundentia majuſcula rugoſa, e fuſco rufeſcentia, reniformi figura prædita, quæ figura ſecunda, prima vero petala ſeorſum deſignata ſunt.

Caules & rami fiſtuloſi ſunt, firmi tamen, colore ab initio e glauco virente, dein ad ſeminum maturitatem obſolete ex flavo albicante, tincti, quem colorem etiam folia marceſcentia induunt. Ceterum folia inferiora latiora ſunt, & venas quaſdam levidenſes habent, ſuperiora & ramulis adnaſcentia minora ſunt & venis carent. Julio floret, & ſeminibus peractis perit.

OBELISCOTHECA INTEGRIFOLIA, RADIO AUREO, UMBONE ATRO-RUBENTE T. CCXVIII. F. 285.

„ OBELISCOTHECÆ notas ſequentes facit Vaillant in Comm. Ac.
„ R. Scient. A. 1720. p. 329. diſcum conicum, ſquamis concavis
„ refertum, quarum ſingulæ ſingula foveant ſemina obeliſci inverſi
„ figura prædita, quorum baſis (ſummitatem intelligit) concava
„ ſit & prominentiis dentiformibus cincta: calycem in plura ra-
„ diata foliola ad baſim uſque dividi: folia plerumque alternata & profunde divi-
„ viſa eſſe. Cujus generis ſpecies tres recenſet: (1) Obeliſcothecam Hydro-
„ phylli folio, lobis latioribus: (2) Obeliſcothecam Hydrophylli folio, lobis an-
„ guſtioribus: (3) Obeliſcothecam trifido folio. Quibus ſpeciebus quartam addo folio integro præditam, quam vel ex nomine Plukenetii hujus generis ſpeciem eſſe conjectare potuiſſet, vocat enim Plukenetius, Chryſanthemum Helenii folio, umbone floris grandiuſculo prominente *Alm. p.* 99. cujus figuram dedit *Phytogr. Tab.* 242. *n.* 2. ſed valde imperfectam, folium nempe tantum & florem male deſignatum.

Caules hæc ſpecies ex radice perenni plures profert, cubitales & ſeſquicubitales, erectos, teretes, ſtriatos, herbaceos & virentes, aut ſubinde, verſus ramorum ortum, obſcure purpureos, in paucos ramos vel ſtolones potius floridos diviſos, ſurrectos, aut leniter in latera verſos, quibus folia adnaſcuntur inferius longiora & latiora, verſus baſim anguſtata, ſuperius breviora & anguſtiora, lata baſi prædita, & abſque pediculis ramis adnaſcentia, per margines obiter & vix conſpicue inciſa, dilute virentia, hirſuta & crebris pilis utrinque obſita, alterno ordine, præter ima ſtolonum, quæ non raro adverſa ſunt, progredientia. Ima autem folia, quale ſeorſum figura marginali quinta appictum eſt, inferioribus minora ſunt & in pediculum oblongum attenuata.

Flores pediculis prælongis, dodrantalibus nempe & pedalibus, (quod in figura noſtra, ne tabula libri molem excederet, obſervari non potuit) innaſcuntur, ſimiliter ac caules & ſtolones, teretibus ſtriatis & piloſis, ampli & venuſti, e duodecim tredecimve ſemifloſculis latis & oblongis, rigidiuſculis, in extremitate duabus tribuſve parvis crenis inciſis, & innumeris floſculis minutis, in quinque exiles lacinias diviſis, conſtructi, in umbonem prominentem cum ſquamis eis intermixtis coactis, radio colore aureo, umbone vero & floſculis atro-purpureo colore inſignitis. In ſemifloſculis nullum ſtylum obſervavi, ſemina tamen eis adnata oblonga, plana & compreſſa, ſemifloſculis arcte cohærentia, inania, nuda, i. e. nec pappoſa, nec ariſtata, cujuſmodi etiam ſunt, quæ floſculis ſubjiciuntur, ſed anguſtiora & quadrangula, in ſummitate latiora & nonnihil excavata, minora quam in aliis ſpeciebus, & prominentiis dentiformibus deſtituta, per maturitatem cinerea, quæ ſeorſum figura marginali quarta, tertia vero ſquamæ, ſecunda floſculi, prima ſemifloſculi appinguntur.

Calyx e duplici triplicive foliolorum oblongorum planorum, piloſorum, ad baſim uſque ſeparatorum, ſerie conſtat. Umbo vel diſcus ab initio humilior eſt, per vetuſtatem prominentior.

Auguſto floret & planta non tantum ob elegantiam ſed & florum durabilitatem, cum ſinguli ad quinque & ſex ſeptimanas perſtent, æſtimanda eſt. Natale ipſi ſolum eſt America, ſpeciatim Marilandia, Virginia & Carolina.

Obeliſcothecam dixit Vaillant, quoniam, ut ipſe interpretatur, ovaria ſpecierum hujus generis repræſentant obeliſcos, inverſas nempe figuras quadratas in metæ formam deſinentes. Sed inepte ſemina ovaria, & ineptius ovaria thecas vocat, &, ni interpretemur ſemina obeliſciformia ſquamulis illis velut thecis recondi, explodendum foret id nomen & Obeliſcoſpermi ſubſtituendum eſſet.

Dracunculus Virginianus latifolius, petalis florum longiſſimis purpuraſcentibus *Hiſt. Ox. Part. III. p.* 42. *Sect. VI. Tab.* 9. ſerie tertia, hujus etiam generis ſpecies eſt, foliis integris prædita, quæ Obeliſcotheca integrifolia, radio pendulo, anguſto purpuraſcente, vocari poteſt, & Horti etiam noſtri alumna eſt.

Obeliscotheca integrifolia radio aureo, umbone atro-rubente.



F. 286.

Onagra Bonarienſis villoſa, flore mutabili.

ONAGRA BONARIENSIS VILLOSA, FLORE MUTABILI T. CCXIX. F. 286.

CUBITALES plerumque novæ huic Onagræ ſpeciei ſunt caules, teretes, erecti, inferius ſubfuſci, in medio & ſuperiora verſus pallide virentes, in ramos aliquot ab imo diviſi, ejuſdem fere, culmi nempe minoris, cum medio caule craſſitiei. Folia alterna, Epilobio villoſo minori ſimilia, ſed nonnihil anguſtiora & magis mollia, per margines obiter dentata ſunt, molli lanugine pubeſcentia, utrinque viridia, nervo albo diſtincta, a quo venæ aliquot obliquæ exeunt.

Flores e foliorum alis naſcuntur, quam vulgaris ſpeciei, nonnihil minores, ſed pediculo aliquanto longiori inſidentes, flavicantes ab initio, mox in croceum & tandem ex fuſco in rufeſcentem colorem abeuntes, cito marceſcentes, petalis rugoſis & ſibi approximantibus, nec niſi Sole candente expanſis, ad quorum baſim, ſupra floris pediculum, calyx hæret, vulgaris inſtar reflexus, quadrifolius, e bigeminis foliis ſibi approximantibus & in extremitate, vulgaris inſtar, cohærentibus conſtructus. Ceterum floris & calycis folia non ſejuncta decidunt, ſed ſupra fructum exareſcunt & cum pediculo, qui floris tubus, quoniam cavus non eſt, cenſeri nequit, decidunt. Quoniam igitur toti in hac aliiſque Onagræ & Epilobii ſpeciebus decidunt flores, an vere tetrapetali ſint, dubium videri poſſet; verum quoniam petala ad baſim omnino disjuncta ſunt & perianthii tantum ope cohærent, per me licet, ut pro tetrapetalis habeantur flores. Stylus e quatuor craſſiuſculis corniculis conſtat: ſtamina, pro petalorum numero duplicata, apices oblongos, ab initio ſurrectos, poſtea tranſverſos gerunt. Vaſcula dilapſis floribus longius excreſcunt, teretia, ſtriata, minus tamen, quam vulgaris, profunde, quibus etiam altero tanto longiora ſunt & magis craſſa, quatuor bifidis eminentiis terminata, in quatuor valvas per maturitatem dehiſcentia, quorum ſingulis duplex ſeminum ſubteretium non pappoſorum ſeries adnaſcitur, cum in Epilobiis ſemina pappoſa ſimplici ſerie diſponantur, cujuſmodi valva & floris petalon ſeorſum in margine, nempe figura prima petalon, ſecunda valva parte exteriori, tertia parte interiori, quarta ſemina, quinta flos totus ſeorſum apponuntur.

Et ſiliquæ & florum pediculi & caules pilis mollibus obſiti ſunt, quin & tota planta mollis eſt, præcipue ſylveſtris, ubi & folia anguſtiora & omnia minora ſunt; cujuſmodi ſpecimina ſervantur in Phytophylacio Sherardino, ex Bonarienſi agro allata, ex quorum deglubitis ſeminibus nata fuit hæc planta in Horto Elthamenſi, ubi Auguſto menſe flores & ſemina tulit.

Valde quam ſimilis habetur ſpecies apud *L. Feuillée Obſerv. Phyſic. Tom. III. Hiſt. Pl. Med. p.* 48. *Tab.* 34. Sed cum Auctor caules & folia glabra dicat, & crebrius ſinuata pingat, floreſque in figura deſint, non pronuntiarim eandem eſſe cum noſtra ſpecie.

Onagræ nomen huic generi proprium fecit Inſtit. Rei Herbariæ Auctor p. 302. Onagra autem & Œnothera Veterum eſſe nequit, quod hujus generis ſpecies omnes Americanæ originis ſint, quicquid de vulgari ſpecie, in quibuſdam nunc Europæ locis ſpontanea & inquilina facta, aliqui ſentiant. De Œnothera autem & Onagra Antiquorum, & cur ita dicta fuerit, vid. Bodæum a Stapel in Thephr. Hiſt. Plant. L. 9. C. 21. p. 1172. 1173.

ORNI-

ORNITHOGALI VIRGINICI FACIE, HERBA TUBEROSA CAROLINENSIS T. CCXX. F. 287.

ORNITHOGALO luteo parvo Virginiano, foliis gramineis hirſutis Baniſteri *Pluk. Alm. p.* 272. *Tab.* 350. *fig.* 9. valde ſimilis, & antequam flores proferret, eadem videbatur planta hæc, a qua non niſi foliis majoribus diſtinguere poteram, ſed cum flores proferret & de radice tuberoſa certior fierem, diverſam agnovi.

Folia ei ex eadem radice plura naſcebantur, dodrantalia, carinata, Gramini nemoroſo hirſuto ſimilia, per margines, immo per omnem ſuperficiem, ſed minus hic conſpicue, piloſa, utrinque dilute vireſcentia, vetuſtiora e viridi luteſcent a & tandem xerampelina. Circa folia & dein ex eorum alis, vel potius inter ea ad baſim capitula aliquot naſcebantur ſeſſilia oblonga, obtuſe trigona, quorum ſummitati flores nudi hexapetali inſidebant, e petalis duum ordinum, tribus exterioribus latioribus, virentibus, hirſutis, (cujuſmodi & capitula ſeu vaſcula ſunt) & tribus interioribus anguſtioribus glabris, e viridi luteſcentibus, conflati, e quorum ſinu ad fundum ſtamina egrediebantur ſex, apicibus flavis capitata. Quæ ſtamina in flore latebant, nam flores non explicabantur, ſed ſemper clauſi erant, vel leviter ſaltem hiſcebant. Ceterum petala cuſpidata erant, & margines tam exteriora, quam interiora, intus plicatos habebant. Vaſcula tranſverſim ſecta tricapſularia erant, quæ per maturitatem tribus valvis dehiſcebant & ſemina fundebant rotunda nigra, nonnihil ſplendentia, glomeris inſtar congeſta. Nullus caulis. Radix, Hortulano referente, tuberoſa, inſtar Cirſii Americani tuberoſa radice.

Flores & vaſcula Junii fine & Julio menſe proferebat, & vaſcula quidem cito complementum adipiſcebantur, novis interim vaſculis & floribus inter folia prodeuntibus, dum vaſcula exteriora ſemina jam matura fudiſſent.

Ad marginem figura prima & ſecunda vaſcula & flores conniventes, figura tertia & quarta flores manu explicati, quinta & ſexta vaſcula tranſverſim diſſecta ſeorſum exhibentur.

E terra, quicum aliæ plantæ ex Carolina delatæ erant, forte fortuna prodiit, & cum unica tantum eſſet planta, ea ſtudioſius in Caldario culta fuit. An procedente tempore, ſi plures natæ fuerint, ſolo & aëre liberiore liberius naſcetur & diverſa facie florebit, dies docebit.

OXYS LUTEA AMERICANA, HUMILIOR ET ANNUA T. CCXXI. F. 288.

PALMARI & dodrantali naſcitur altitudine, cauliculis teretibus ſurrectis, tenui hirſutia obſitis, ramoſis, ad quorum genicula folia tenuibus pediculis oblongis, tenuibus etiam pilis reſperſis, inſident, parte ſuperiori glabra, inferiori & per margines tenui & molli hirſutia obſita, ad margines, averſa præſertim parte, tenui rubedine tincta, ſub veſperam & ingruente pluvia complicata, cetera diei parte explicata. Folia autem nunc ſolitaria, nunc duo triave ad ſingula genicula proveniunt, e quorum pediculorum alis pedioli florentes nunc ſolitarii, nunc bini trinive

F. 287.

Ornithogali Virginici facie, Herba tuber. Carolinens.





F. 288.

Oxys lutea Americana, humilior et annua.

trinive proveniunt, minus, ob pilos appreſſos, ac foliorum pediculi, piloſi, in quorum faſtigio gemini plerumque, ſubinde terni quaternive naſcuntur flores, pediolis privatis gracilibus hærentes, lutei, e quinque petalis, in extremo leviter cordatis, ad ungues, ceu in aliis ſpeciebus, obiter cohærentibus, fundo vero integro (immo nec annulo integro) non donatis, (ut non tam monopetali, quam pentapetali flores videantur) conflati, ſtaminibus prædiți tenuiſſimis, pro petalorum numero duplicatis, quinque longioribus & totidem brevioribus, apices parvos luteos gerentibus. Ceterum florum pediculi ab initio recurvi pendent, dein, ubi flores explicationi ſe accingunt, eriguntur.

Floribus evanidis pedioli illi privati, velut in Geraniis, denuo reflectuntur & vaſcula oblonga pentagona, roſtrorum Geraniorum æmula, ſurrecta gerunt, molli & ſubincana hirſutia undique obſita, in quinque loculamenta diviſa, in quibus plura ſimplici ſerie ſibi ſuperimpoſita latent ſemina rotunda, candida & lucida, quæ ubi ad maturitatem perveniunt, candidus ille & lucidus folliculus, ſemina obveſtiens, ſe aperit, & cum impetu grana ejaculatur ſubrotunda, ruffa, tranſverſis, ſi per lentem vitream aſpiciantur, rugis exarata. Folliculi autem & ipſi, de ſummitate incipiendo, exſiliunt, craſſiuſculi & gelatinoſi ab initio, mox, ubi exſiccantur, tenues & membranacei. Seminibus excuſſis valvæ thecarum connivent, ut non appareat illas apertas fuiſſe. Figura marginali prima ſemina folliculis lucidis incluſa, ſecunda eadem e folliculis excuſſa, tertia folliculi vacui exhibentur.

Radix tenuis fibroſa eſt. Junio & Julio floret, e ſeminibus ſparſis quotannis ſe renovans. Hæc vero primum e Carolina delata fuerunt.

Oxys lutea Americana erectior *Tourn.* planta eſt nonnihil altior & folia majora magiſque (utraque nempe parte) hirſuta habet, ſimpliciter viridia: caules pilis extantibus obſiti, & flores in eodem pediculo communi ordinarie plures naſcuntur. Sed præcipua differentia eſt, quod illa perennis ſit, hæc vero noſtra annua. In floribus ea etiam differentia obſervatur, quod illius flores nonnihil pallidiores & minores ſint, petalis minus obtuſis prædiți. Ceteroquin vaſcula, quam noſtræ ſpeciei, minus incana ſunt, breviora, pediculis privatis brevioribus & erectioribus nixa. Qui flores & vaſcula pro differentia monſtranda eadem Tabula expreſſa ſunt figura quarta.

PANCRATIUM MEXICANUM, FLORE GEMELLO, CANDIDO T. CCXXII. F. 289.

PANCRATIUM mihi eſt herbæ Bulboſæ genus, Narciſſo accedens, ſed in eo diverſum, quod tuba ejus, quam calycem minus proprie dixerunt Botanici, ad angulos, quos margines patiuntur, in ſtamina deſinat prælonga, quorum faſtigiis apices inhærent oblongi verſatiles, tranſverſa affixi. Hæc nota certa eſt & ſufficiens ad genus hoc a Narciſſo diſtinguendum; a Lilio-Narciſſo autem multo magis differt, nempe quod ille tuba iſtiuſmodi plane careat, & flores ideo diverſam figuram obtineant.

Caulis huic ſpeciei dodrantalis eſt, teres, verſus ſummitatem bifurcus, in duos nempe abit pediolos, duobus ad divaricationem foliolis oblongis, teneris, membranaceis, vireſcentibus cinctos, quorum faſtigio duo inſident flores candidi, in

ſex anguſta ſegmenta ad baſim, pediculum nempe floris uſque, qui vaſculum fit, diviſi, in quorum medio tuba ſedet campaniformis candida, tenerior, quam ipſa floris petala, cujus oræ angulatæ ſunt & totidem, quot ſunt petala, ſtamina ex ipſis marginibus emittunt, longa ſatis & gracilia, candida item, quibus ſingulis in extremitate inhærent ſinguli apices oblongi, incurvi, crocei; ſtylus autem e media tuba ſurrigitur ſimplex, capitulo parvo, farina crocea reſperſo, terminatus: ſtaminum lineamenta per ipſam tubam decurrunt. Inodori ſunt flores & cum tuba ſupra fructum marceſcunt, videnturque hexapetali potius eſſe, quam monopetali.

Folia, quum floreret, quatuor gerebat, reclinata, lævia, dilute virida, levi glaucedine perfuſa, ſubrigida, in medio leniter ſulcata, & ſimplici utrinque ſtria prædita, cetera avenia, longitudine dodrantali, aut paullo ampliore, latitudine unciali & ſeſquiunciali, verſus extremitatem in mucronem producta. Majo menſe floruit, e bulbis Mexico allatis.

Hujus generis, præter modo memoratam, ſpecies ſunt: (1) Narciſſus maritimus *C. B. Pin. p.* 54. quem Pancratium Lobelius & alii Rei herbariæ Auctores dixerunt & exiſtimaverunt: (2) Narciſſus Illyricus liliaceus *Ejuſd. Ibid. p.* 55. (3) Pancratium Indicum alterum vernum, ſive Narciſſus Indicus alter, facie Pancratii Monſpeliani *Lob. Adv. Part. Alt. p.* 502. quem Lobelius præcedenti eundem, vel congenerem ſaltem facit, & eum ſequutus *C. Bauhinus in Pin. p.* 55. *Tournefortius* autem in *Inſtit. R. Herb. p.* 358. diſtinguit, & Narciſſum vernum Americanum, flore albo, vocat: (4) Narciſſus Zeylanicus, flore albo, hexagono odorato *Hort. Lugd. Bat. & Hort. Amſt. Part. I. p.* 75. (5) Lilio-Narciſſus Africanus pumilus, polyanthos *Inſt. R. Herb. p.* 386. (6) Narciſſus Americanus, flore multiplici albo, odore Balſami Peruviani *Inſt. R. Herb. p.* 358. i. e. Narciſſus Americanus, flore multiplici albo, hexagono, odorato *Hort. Amſtel. Part. II. p.* 173. & forte (7) Narciſſus Amboinenſis, folio latiſſimo rotundo, floribus niveis inodoris *Hort. Amſt. Part. I. p.* 77. ubi icon non ſatis clare monſtrat, an ſtamina ex tuba, quæ parva, egrediantur; noſtra vero planta ſicca floribus deſtituitur, ut certo pronuntiare non liceat, ſuſpicor autem veram hujus generis ſpeciem eſſe.

PAPAVER CAMBRICUM PERENNE, FLORE SULPHUREO T. CCXXIII. F. 290.

PARKINSONUS primus ſoluſque deſcripſit non inelegantem hanc Papaveris ſpeciem Theatri Bot. p. 370. & figuram p. 369. ſed rudiorem exhibuit, cujus deſcriptionem pauliſper auctam latinam fecere & Moriſonus & Rajus in ſuis Plantarum Hiſtoriis. Quæ figura cum non ſatisfaciat, præſertim quoad flores, meliorem cum deſcriptione dare ſuperfluum hoc loco non videtur.

Radix tranſverſe poſita digiti fere minoris craſſitudine eſt, tuberculis hinc inde nodoſa, e cujus altera extremitate, anteriore nempe, caulis, ex altera, poſteriore nimirum, fibræ deſcendunt, ejuſdem cum reliqua radice, e luteolo nempe ſubfuſci, coloris.

Folia e radice plura exeunt, in plures partes, ceu alas, ad coſtam mediam uſque diviſa, alis vel pinnis in inferioribus foliis paucioribus, in reliquis crebrioribus

T. CCXXII.

F. 289.

Pancratium Mexicanum,
flore gemello candido.

P. 300.



F. 290.

Papaver Cambr. perenne, flore sulphureo.

bus, una impari extremam coſtam terminante, per ambitum dentatim inciſis, dentibus in natu majoribus obtuſioribus & rarioribus, in junioribus vero acutioribus & crebrioribus. Quæ folia in hortis viridia & erectiora ſunt, locis autem ſylveſtribus ſubglauca & terræ magis appreſſa. Porro caulis minus ramoſus eſt, nec pedalem altitudinem ſupergreditur, ubi ſponte naſcitur, in hortis vero altius & ad cubiti uſque ſurgit altitudinem, in ramos aliquot diviſus piloſos, ut ſunt & foliorum pediculi, ſed non æque folia, niſi in dorſo, ad nervos.

In ſummis caulibus & ramulis capitula naſcuntur ab initio erecta, mox, aliorum inſtar, pendula, dein ad floris expanſionem, & iis dilapſis, ſurrecta denuo, floribus nec parvis, nec amplis admodum, petalis exterioribus, quam interiora, nonnihil majoribus, coloris pallide flavi, (non lutei, ut Moriſonus & Rajus vertunt) talis, qualem obtinet ſulphur vulgare, qui color poſt exſiccationem in aurantiacum ſolet tranſire. Stamina & apices eodem, quo petala, gaudent colore. Perianthium, ceu in aliis, bifolium, caducum eſt. Vaſcula floribus dilapſis grandiora fiunt, oblonga, in ſummitate turgidiora, quam verſus baſim, glabra, quorum cavitas quinque membranulis, ad ſe in medio non pertingentibus, ita ut vaſcula proprie multicapſularia dici nequeant, diſtincta eſt, in quibus continentur plurima ſemina, fuſco-nigra per maturitatem.

Figura noſtra ad plantam in Horto Elthamenſi lectam facta eſt, quæ ſpontanea quidem non multo minor erat, ſed folia habebat non æque in orbem ſparſa. Quamvis obſervarim etiam ſylveſtribus locis folia non ſemper in orbem ſpargi, nempe in cautibus, qua viatores non ſolent pertingere.

Majo Junioque floret in hortis, & læte in iis provenit, præcipue ad ſepes & loca umbroſa, quibus diutius & per maximam ſæpe æſtatis partem flores retinet, locis autem natalibus ſerius floret. Naſcitur autem & obſervata primum fuit in Cambria Septentrionali, locis umbroſis & lapidoſis circa rivos Alpinos, v. gr. Parkinſono primum memorante, verſus *Abbar* media via inter *Denbigam* & *Guider*, item prope pontem, *Devæ* fluvio ſuperſtructum, prope *Balam* & aſcendendo montem verſus *Bangorium*. Sed nullibi frequentius provenit, quam circa *Periſium* ad radices montium *Widva* & *Glyder*, circa rivum qui inde in lacus decurrit, obſervante Lloydio, dein Rajo & nobis etiam. Poſtea idem Lloydius vidit in monte *Y Vann uwch deni* prope *Brechiniam* in Cambria auſtrali. Sed nec ipſi Angliæ hanc plantam deeſſe, conſtitit mihi anno 1726. dum rupes Chedderenſes plantarum gratia perluſtrarem, in cujus cautibus eam cum Tunica rupeſtri, folio cæſio molli, obſervavi; quæ rupes inter oppida *Chedder* & *Axbridge* in Somerſetienſi Comitatu ſitæ ſunt.

Vocatur Argemone Cambro-Britannica lutea *Park. Th. p.* 369. & 370. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 856. *n.* 9. *Hiſt. Ox. Part. II. Sect.* 3. *Tab.* 14. *fig.* 12. (e Parkinſono) Argemone Cambro-Britannica lutea, capite longiore glabro, paucis ſpinulis ad loculamentorum juncturas armato *Hiſt. Ox. Part. II. p.* 279. *n.* 12. (ubi Moriſonus deſcriptionem Parkinſoni recitat, cui addit obſervationem illam de ſpinulis, ad cujus imitationem & Rajus videtur capitula ad loculamentorum juncturas paullulum hiſpida dixiſſe in Hiſt. ſua. Ego vero nec extus, nec intus tale quid deprehendere potui, niſi forte Auctores illi revolutiones ſummi capituli, quæ laciniatim quinario numero per maturitatem abſcedunt, & faſtigium ejus

ejus veluti feneſtratum relinquunt, intelligant. Cujuſmodi capitulum ſeorſum in margine, & idem capitulum tranſverſim diſſectum, ut cellulæ appareant, pone illud cum ſeminibus appictum eſt figura prima, ſecunda & tertia.

PAPAVER ERRATICUM NUDICAULE, FLORE FLAVO, ODORATO T. CCXXIV. F. 291.

E Radice tenui, albida, fibroſa folia naſcuntur plura hiſpida, primum latiora & breviora, in ſegmenta pauciora & latiora minus profunde diviſa, dein quæ ſequuntur folia in plures anguſtiores & longiores lacinias dividuntur, colore prædita, præſertim inferne, e viridi in glaucum tendente. Inter quæ folia unus alterve ſurgit cauliculus teres, dodrantalis & pedalis, ſubglaucus, hiſpidus, foliis deſtitutus, florem geſtans mediocris magnitudinis, Papaveri Cambrico ſimilem, eleganti flavo pallidiore colore conſpicuum, cujus duo petala interiora paullo minora, duo exteriora aliquanto majora ſunt, in cujus medio ſtamina plurima flavicantia ſunt, apicibus latiuſculis compreſſis ſtriatis luteis capitata, & embryo ſubrotundus vireſcens, octo radiis in ſummitate diſtinctus, qui dein in vaſculum abit oblongo-rotundum, hiſpidum, in quo ſemina continentur plurima parva, per maturitatem nigra. Flos, quod peculiare, ſubtilem ſuavemque ſpirat odorem, Narciſſum juncifolium æmulantem, præcipue mane & veſperi.

Eodem, quo ſatum fuit, anno floruit, ut annua videatur planta; & ſunt nobis aliæ plantæ, foliis paullo amplioribus & hiſpidioribus præditæ, quarum flores forma & odore convenire, colore pallidiore differre dicebantur: aliæ ſunt iiſdem cum noſtra foliis præditæ, ſed floribus color ochreus adſcribebatur. Quæ quoniam flores nobiſcum nondum protulerunt, utrum varietates tantum, an ſpecies diſtinctæ ſint, determinare non poſſumus. Ceterum ſemina harum plantarum ab extremis verſus Orientem Ruſſici Imperii finibus, nempe ex Provincia Argunſky, qua latitudinem 51. habet, a ** Heidenreich delata erant, quæ nobiſcum cum pluribus aliis rarioribus ibidem lectis communicavit J. H. de Sprekelſen, & pleraque libere quidem gliverunt, ſed flores, quod perennes ceteræ eſſent, hoc anno (1732.) ferre nondum potuerunt.

Ab aliis Papaveris erratici ſpeciebus floribus flavis, cauliculis nudis, foliis in latiora ſegmenta diviſis, abunde differt. Porro qui Papaveris erratici Pyrenaici, luteo flore *C. B. in Prodr. p.* 92. legerit deſcriptionem, differentiam, quæ inter noſtrum & illud intercedit, facile agnoſcet.

PARTHENIASTRUM HELENII FOLIO T. CCXXV. F. 292.

UNA tantum adhuc nota fuit Partheniaſtri ſpecies, nempe Partheniaſtrum Americanum Ambroſiæ folio *Niſſol. Comm. Acad. R. Scient. Ann.* 1711. *p.* 323. cui alteram nunc jungimus veram hujus generis & ejuſdem originis ſpeciem, capitulis majoribus & foliorum figura ab illa longe differentem.

Ad bicubitalem hæc & longiorem altitudinem nobiſcum enata eſt, caulibus craſſis, teretibus, carnoſis, virentibus, quos folia abſque pediculis lata baſi amplectuntur

F. 291.

Papaver erraticum nudicaule, flore flavo, odorato.





F. 292.

Parthenia strum Helenii folio.

ctuntur hirſuta, (non piloſa) viridia, ſubtus nonnihil pallidiora, Helenii foliis ſimilia, venis crebris obliquis exarata. Quæ ad radicem naſcuntur, cujuſmodi inferiori Tabulæ loco appoſitum eſt, reliquis majora & longiora ſunt, pediculis carinatis prædita.

In ſummis caulium ſubhirſutorum ramulis flores corymbatim diſpoſiti naſcuntur, capitulis ſuperne niveis, Gnaphalii ſpecie, inferne e viridi albentibus, villoſis ab initio, dein villo obliterato in plurimos floſculos minutos & apiculos nigricantes dehiſcentibus. Capitula autem hæc ſequentem in modum formata ſunt. Primum, calyx ſimplex eſt, quinque foliolis conſtans, ad pediculum uſque diviſis, capitulo arcte appreſſis. Dein, flores componuntur e floſculis & ſemifloſculis: illis maſculis & fariniferis tantum, quibus nulla ſubſunt ſemina; his fœmineis ſeu fertilibus, tot ſaltem, quot ſunt calycis foliola, quinque nempe, vel ſubinde ſex. Porro id peculiare eſt, quod a parte interiore ſemifloſculis fœmellis tanquam paranymphi adſtent bini floſculi maſculi, ſquama tenui in ſummitate crenata & villoſa involuti, quæ ſquamulæ a latere ſeminis oriuntur, & eidem tenui filo nigro connectuntur, proprie vero id non involvunt, ſed arcte ſaltem adhærent; a parte vero exteriori ſeminis dorſum ambit ſquama latiuſcula candida crenata, calycis foliis ſimilis, ſed tenuior & obtuſior, nec in cuſpidem terminata. Hinc fit, ut ſemen, quod oblongum compreſſum, per maturitatem nigrum eſt, undique coopertum ſit, & hac de cauſſa Hyſterophori nomen confinxit Vaillant Comm. Ac. R. Sc. Ann. 1720. p. 336. Sed potuiſſet ſufficere nomen Partheniaſtri, quod primum dedit Niſſole, eo quod Partheniaſtrum Ambroſiæ folio ſimile eſſet Matricariæ vel Parthenio, ita ut pro ejus ſpecie a Tournefortio & aliis fuerit habitum. Ceterum floſculis his ſeminoſculis appoſitis floſculi reliqui, qui diſcum occupant, plane ſimiles ſunt, & ſimili ſquamula gaudent, tenuiter in ſummitate crenata & villoſa, & ab his capitulorum villoſitas oritur. Floſculi albi in quinque exiles lacinias dividuntur, e quibus utriculus farinifer niger exit: ſemifloſculi candidi, concavi (non auriculati) bifidi in extremitate, in quibus hæret ſtylus tenuis bifidus.

Hæc omnia ſimili modo ſe habent in vulgari Partheniaſtro, ſed minus, ob florum parvitatem, conſpicue, unde, ſi qui in ipſius charactere errores commiſſi ſunt, ex his corrigi debent. Auriculæ quidem, quas me olim in illo obſervaſſe memini, in hoc deſunt. Eæ vero in Comment. Ac. Reg. Sc. Ann. 1720. p. 339. fig. 8. ex ipſo ſemine egredientes pinguntur, & recte, unde cum olim ad ipſum ſemifloſculum retulerim, id corrigo & ad ſemen refero, quod ſuper ipſo in vulgari ſpecie pauliſper extat. Notandum tamen id non ea figura, qua dicto loco depingitur, infundibuliformi nempe, nec tam magnum, ſed tenuium alarum inſtar ſaltem comparere.

Ceterum noſtræ hujus ſpeciei, quo omnia clarius appareant, flores ejuſque partes in Tabula ſeorſum appictæ ſunt; figura nempe prima flos villoſus antequam floſculi prodeant: figura 2. 2. cum floſculis prominulis: fig. 3. flos averſa parte, ut calyx appareat: fig. 4. ſemifloſculus parte externa, fig. 5. interna, cum floſculis ſquamulis involutis, fig. 6. e ſquamulis extractis, fig. 7. abſque iis, fig. 8. & 9. floſculi in & extra folliculum ſquamoſum, fig. 10. 10. floſculi extracti & ſine ſquamulis, fig. 11. ſquamula explanata ſeorſum, fig. 12. foliolum ſquamoſum, quod intra calycem & ſemifloſculum intercedit & huic ac ſemini adjacet, exhibentur. Fig. 4. 6. 7. ſemina conſpiciuntur ſemifloſculis ſubjecta.

Floret nobiſcum æſtivis menſibus. Natale ſolum ipſi eſt Virginia. Vidi inde ſpecimina miſſa, quæ folia habebant multo minora & anguſtiora, quam apud nos in hortis profert, quod culturæ ratione accidit.

Moriſonus primus omnium hujus plantæ fecit mentionem, Ptarmicæ Virginianæ folio Helenii titulo in *Hort. Reg. Bleſ. p.* 297. „ Corymboſa, inquit, eſt, bipeda-„ lis planta, cujus caulibus adnaſcuntur folia lata & oblonga, Helenii foliis haud „ abſimilia : flores fert corymbatim albidos ſeminaque Ptarmicæ vulgaris ſemi-„ nibus omnino ſimilia, unde ei nomen impoſuimus." Sed errat Moriſonus in nomine & ſeminum figura. Moriſonum excepit *Rajus*, cui in *Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 363. *n.* 3. dicitur, Pſeudocoſtus Virginiana, ſive Anonymus corymbifera Virginiana flore albo. „ Folia, inquit, habet integra lata, circa margines ſerrata, cau-„ lem dodrantalem, in ſummo geſtantem flores multos, velut in umbellam vel „ corymbum congeſtos, albos, diſco medio foliolis parvis albis (ſquamulis) cincto." Aluiſſe Cantabrigiæ in Hortulo ſuo aliquot annos, & accepiſſe a quodam Walker, Hortulano Londinenſi, cujus filius cum aliis rarioribus e Virginia miſerat. Similia fere referuntur in *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 41. *n.* 9. Figuram quidem dedit *Plukenetius Phyt. Tab.* 53. *n.* 5. & *Tab.* 219. *n.* 1. Ptarmicæ Virginianæ Scabioſæ Auſtriacæ foliis indiſſectis, ſed neutra figura bona eſt, ne poſterior quidem, quam accuratiorem dicit. Ait Plukenetius, ſe hujus ſpecimen jam ante triginta annos in horto Walkeri Weſtmonaſterienſis ſe collegiſſe, quo magis mirum hiſtoriam hujus plantæ accurate a nemine adhuc datam fuiſſe. A *Petivero Muſ. n.* 614. Baccharis Mariana Dipſaci minoris folio dici videtur.

PATAGONICA FOLIIS PARTIM SERRATIS, PARTIM INTEGRIS T. CCXXVI. F. 293.

E Fructibus aliquot inter Muſcos, e Patagonia Americæ auſtralis Provincia miſſos, repertis enatus nobis frutex, facie inter Liguſtrum & Alaternum media, altitudine poſt tertium a ſatione annum cubitali, ſtipite recto, digitum minorem craſſo, cortice e cinereo virente veſtito, & maculis punctiſve albicantibus, Liguſtri inſtar, diſtincto, in ſuperiori parte & in extremis ramulis multa longaque hirſutia obſito. Læte naſcitur frutex, & ſequenti anno digitalem craſſitudinem, altitudinem vero ſeſquicubitalem aſſequutus eſt, in quo annua incrementa conſpicue apparent, ramuli nempe & folia per intervalla quotannis nata. Quæ folia faciem habent Liguſtri, diluto virore reſplendentia, ſimilique conſiſtentia prædita, figura autem ad Alaternum magis accedunt, ab extremitate ad medium tantum ſerrata, longiora & acutiora verſus ramorum extremitates, in inferiore vero eorum parte breviora & obtuſiora, parum aut non ſerrata, alterno ordine, bina & bina non longe ab invicem progredientia, præterquam in inferiori ramorum parte, ubi foliorum directe ex contrario naſcentium conjugatio non raro obſervatur. Ceterum folia modice cava ſunt, venis obliquis exarata, utrinque glabra & non piloſa, per margines vero, & in averſa nervi medii parte pilis tenuibus virentibus obſita. Rami autem pilis craſſioribus & longioribus, colore ſubfuſco præditis, ſcatent.

Flores ramorum cymis inter media folia oriuntur in racemulis Liguſtri inſtar diſpoſiti, ex roſaceo campaniformes, monopetali, vix tubuloſi, in quinque (ſub-

inde

P. 304.

T. CCXXVI.

F. 293.

Patagonica foliis partim serratis, partim integris.



F. 294.

Pereskia aculeata, flore albo, fructu flavescente Plumier.

inde in quatuor tantum) æqualia ſegmenta ad umbilicum fere diviſi, candidi, aut ex herbaceo albicantes, odore florum Sambuci, calyce brevi monophyllo, in totidem, quot ſunt floris laciniæ, ſegmenta acuminata ſubvirentia ad baſim fere diviſo excepti, e quorum fundo ſtamina oriuntur quinque (ſubinde quatuor tantum, ſi nempe quatuor ſint floris laciniæ) apices gerentes ab initio ex herbaceo albicantes, dein ſubfuſcos; quin & ipſi flores, ubi marceſcunt, fuſco-rufi fiunt, Liguſtri inſtar. Embryo florem perfodit, ſtylo tenui bigemino terminatus.

Liguſtri flores magis, quam noſtræ plantæ, ſunt tubuloſi, & ſtamina tantum duo habent: Alaterni autem flores nudi ſunt, in fundo, hujus inſtar, non perforati. Dein & Liguſtrum & Alaternus baccas ferunt, noſter autem frutex baccifer non eſt; qui fructus, ut ficcus, inter Muſcos repertus, fuerit comparatus, memoria excidit, nec ut recens ſe habeat, cum maturitatem nondum adeptus nobiſcum ſit, perfecte cognitum mihi eſt, ſaltem a baccæ natura alienus, & magis membranaceus mihi viſus fuit. Quantum autem mihi obſervare licuit, dilute virebat fructus, e latiuſcula ſubrotunda baſi cuſpidatus, ſtylum bigeminum retinens, & calyce non tantum reſiduo, ſed & ampliore facto exceptus: nempe in quinque longiora & latiora, obtuſa & leviter in extrema media parte inciſa foliola excrevit calyx, tenera, membranacea, ex herbaceo albicantia, ima parte pediculo cohærente integra, ea figura quam icon noſtra demonſtrat. Quo calyce, cum non tantum ab Alaterno & Liguſtro, ſed & aliis generibus, præter ſuperius allatas differentias, inſigniter differat, novum genus merito conſtituit hic frutex, cui nomen a patria dedi, eodem jure, quo Moldavicam & Bermudianas fecit Inſtitutionum Rei herbariæ Auctor.

Seorſum flores aliquot vario ſitu, figura prima, ſecunda & tertia ſine calyce, quarta, quinta & ſexta cum calyce, ſeptima & octava embryones cum ſtylis exhibentur. Hos autem flores prioribus annis ſerius, ſub auctumnum, poſtea maturius, Junio menſe, tulit arbuſcula hæc.

PERESKIA ACULEATA, FLORE ALBO, FRUCTU FLAVESCENTE PLUM. NOV. GEN. P. XXXV. *T. CCXXVII. F.* 294.

„ UBI Pereſkia dicitur plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis
„ in orbem poſitis conſtante; cujus calyx deinde abeat in fructum globo-
„ ſum, carnoſum, mollem, foliolis inſtructum, in quo nidulentur tria ſemina or-
„ bicularia & compreſſa."

Hujus generis unam tantum ſpeciem, nomine modo recitato, ſibi notam dicit, quæ planta fruticis habet naturam, caudice lignoſo, pollicem & duos pollices craſſo, cortice cinereo rimoſo & nonnihil verrucoſo veſtito, in ramos plures abeunte, inferiori & media parte cinereos, ſuperiori læte virentes & ſplendentes, teretes, quibus folia alterna ſerie adnaſcuntur Limonis foliorum forma, ſed minora, craſſa & ſucculenta, ſempervirentia, læte virentia, lævia & ſplendentia, venis conſpicuis deſtituta, pediculis brevibus hærentia, gemellis & ternis ſubinde ſpinis ad alas prædita, rami autem inferiores & caudices, præſertim verſus baſim, ſpinarum longiorum & crebriorum penicillis minacibus armantur, colore in his cinereo

nereo, in illis ex ſpadiceo nigricante, a quibus ſpinis, vel an a fructu incertum, *Barbados Gooſeberry*, i. e. Groſſulariæ Barbadenſis, quo paſſim in hortis Curioſorum venit, nomen ipſi contigit.

Ceterum ad quatuor, quinque & amplius cubitorum altitudinem naſcitur, habentque annoſiores plantæ ramos longos, horſum vorſum flexos & pendentes, Rubi inſtar, juniores autem breviores, & ad talem figura noſtra ſtipitem repræſentans facta eſt: & licet robuſtæ hujus plantæ læte vigeant in Horto Elthamenſi, flores tamen ejus fruſtra hactenus expectavimus; quem defectum ſuppleo ex Delineationibus Plumieri, in quibus flores plures eidem pediculo communi, e foliorum alis naſcenti, inſidentes pinguntur, roſacei, ſtaminibus abundantes, ſtylum contortum ambientibus. Fructus folioſus eſt, Groſſulariæ majoris magnitudine, qui figura ſecunda integer, tertia diſſectus, quarta ſemina, prima vero flores e dictis Delineationibus exhibentur.

In *Catal. ad Fin. Par. Bat. p.* 11. vocatur, Portulaca ſpinoſa lanuginoſa arboreſcens Americana, & figura ejus eſt inter Delineationes dictarum plantarum ad juniorem plantam facta, ipſi ſtirpi bene reſpondens, lanuginem autem non oſtendens, nec noſtræ plantæ virentes conſpicuam habent lanuginem, niſi in alis juniorum foliorum, eamque tenuem tantum & raram, quæ in ſicca dein magis apparet. Ceteroquin folia ſaporem habent fatuum & glutinoſum, quæ forte cauſſa eſt, quod Portulacam dixerit Hermannus. Huc porro referenda eſt, Gloſſulariæ fructu majore arbor ſpinoſa, fructu folioſo e viridi albicante *Sloan. Cat. Jam. Hiſt. Vol. II. p.* 86. *n.* 24. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. Dend. p.* 27. *n.* 5.

Malus autem Americana ſpinoſa Portulacæ folio, fructu folioſo, ſemine reniformi ſplendente *Hort. Amſt. Part. I. p.* 135. *fig.* 70. an eadem ſit, ſubdubito, quoniam ſpinas ad alas foliorum longiores & rectiores, quæ vero ex caudice naſcuntur, breviores & longe rariores icon monſtrat. Exiſtimo duas eſſe hujus generis ſpecies, & ad Horti Amſtelodamenſis plantam pertinere, Portulacam Americanam latifoliam, ad foliorum ortum lanugine obductam, longioribus aculeis horridam *Pluk. Alm. p.* 304. *Tab.* 215. *f.* 6. cujus exemplaria ſunt in Phytophylacio Sherardino, Plukenetii figuræ bene reſpondentia, cum ſpinis ad alas longioribus & rectioribus, lanugine vero copioſiore, quam in noſtra planta, a qua omnino diverſa, eadem vero cum Horti Amſtelodamenſis planta videtur, de cujus figura faſtuoſa queri rationem non habebat Plukenet Mant. p. 155. Nam plantæ recte & magnitudine naturali depictæ Rem herbariam juvant, fragmenta autem & particulæ imperfectæ, cujuſmodi ſunt plurimæ illius, confundunt.

PERICLYMENUM RACEMOSUM, FLORE FLAVESCENTE, FRUCTU NIVEO PLUM. DELIN. *T. CCXXVIII. F.* 295.

S*New-Berry Buſh*, i. e. Baccarum nivearum fruticis nomine ad Jo. Warner, Mercatorem Londinenſem, tranſmiſſus & nobiſcum communicatus eſt hic frutex, qui, cum primum in Horto Elthamenſi floreret, (floruit autem anno 1729. Sole ex Virgine ad Libram tranſeunte) bicubitali erat altitudine, caudice ligneſo, recto, digitum verſus baſim craſſo, cortice fuſco, ſtriis albidis interrupto, veſtito,

F. 295.

Periclymenum racemosum, flore flavescente, fructu niveo Plum.



ſtito, ab imo ad ſummum uſque multos ramos obliquos emittente, ramis ex brevibus intervallis ex adverſo decuſſatim (ſubinde in eodem plano) orientibus, teretibus, cortice glabro, læte virente veſtitis, quo colore etiam folia gaudent, præſertim ſupina parte, nam prona minus læte virent, & hac parte etiam minus ſplendent; obtinent autem juniora præ aliis folia reſplendentem illum virorem. Figura foliis eadem cum Arbore camphorifera, magnitudo aliquanto minor; ſitu conveniunt folia & rami cum Evonymo, nempe ex adverſo naſcuntur folia hæc, & ſenæ plerumque eorum conjugationes in eodem ramo naſcuntur. Quæ folia porro plana ſunt & in eodem plano jacent, ſubinde tamen unum alterumve foliorum par ſe decuſſat. Utraque ſuperficie glabra ſunt, per margines non ſerrata, ſed plerumque undata, venis paucis obliquis, a nervo medio prodeuntibus, prædita.

Flores verſus extremos ramos in racemulis oblongis e foliorum alis ex adverſo prodeuntibus naſcuntur parvi, oblongi, penduli, monopetali, regulares, ex tubuloſo campaniformes, in quinque lacinias reflexas æquales ad tubulum uſque diviſi, antequam aperiuntur virentes, mox candidi, dein in pallide flaveſcentem colorem tranſeuntes, odorem tenuem ſuavem ſpirantes; in quorum fundo ſtamina latent perbrevia quinque, ex florum imo orientia, apices oblongos graciles, in tuba latentes, gerentes. Stylus e medio flore prominet tenuis ſimplex, in ſummitate ſaltem obiter bifurcatus. Ceterum florum racemuli gemini, rarius plures, in ſingulis ramis nobis nati ſunt, & ſinguli racemuli e quatuor, quinque & ſex florum gemellorum ordinibus compoſiti erant, ſubinde tamen inferior ordo, alæ proximus, bigemellos flores habebat.

Embryo flori ſubjicitur calyci connatus, in quinque denticulatas exiguas lacinias diviſo, qui tranſverſim ſectus diſpermos viſus fuit. Ceteroquin compreſſus erat embryo, ab initio non tantum, ſed ad mediam etiam fructus maturitatem; poſtea nobis conſpicere non datum fuit, cum, ut fieri ſolet in plantis e calidioribus plagis allatis, ad maturitatem non pervenerit, in baccas autem, qui mittebat, abire dicebat niveas, in quibus ſemen contineatur nigrum.

Naſci referebatur locis confragoſis rivuloſis in Inſula Barbadenſi: Radicem odore forti gaudere, amaram eſſe & purgantem, hydropi curandæ adhiberi ſolitam. Folia guſtata nobis amaricantia, ſubauſtera & calida viſa ſunt, acrimoniæ ſenſum diu in lingua relinquentia.

Figura prima & ſecunda flores ſurſum verſos, tertia ſtamina, apices & ſtylum, quarta calycem, quinta eundem calycem & fructum diſſectum ſeorſum appoſui.

Quoniam flos ſummo fructui inſidet, nec ad Liguſtrum, nec ad Jaſminum referri poteſt. Accedit proxime ad Periclymeni Tournefortii genus, quo tantiſper retuli cum Plumiero, donec de fructu certius conſtet. At nec Periclymeni perfoliati Virgin. ſempervirentis & florentis *Hort. Lugd. Bat.* unde characterem generis deſignavit Tournefortius, fructus, ut ille vult, monoſpermos eſt, ſed polyſpermos & tricapſularis, ſubinde etiam bilocularis, quantum in junioribus fructibus obſervare potui, ut per fructum quidem eo referri queat hæc ſpecies. Magis notabilis diverſitas in floribus eſſe videtur, quorum tubuli non æque longi, nec laciniæ eodem, ac illius, ſitu diſpoſitæ, quamvis in floribus modo apertis, cujuſmodi figura ſecunda deſignatus eſt, altera lacinia citius reflectatur, & plus, quam reliquæ, ſpatii, ceu in Periclymeno, occupet.

Quantum videre poſſum, hujus loci eſt planta dicta, Jaſminum forte, folio myrtino acuminato, aliorum adminiculo ſe ſuſtentans, flore albicante racemoſo *Sloan. Cat. Jam. p.* 169. *Hiſt. Vol. II. p.* 97. *Tab.* 188. *fig.* 3. *Raj. Hiſt. Tom. III. Dendr. p.* 64. *n.* 13. Figura ad ſiccam facta plantam, in qua omnia feliciter exprimere vix licet. Nobiſcum plane erectus naſcitur hic frutex, in Hiſt. Jam. ſarmentoſus dicitur, & deorſum naſci refertur. Huic etiam plantæ procul dubio idem eſt, Liguſtrum Americanum Lauri folio, flore flaveſcente, baccis niveis Plum. *Inſtit. Rei Herb. p.* 597.

Si Herbariæ rei Studioſi poſſent evolvere Delineationes Plumieri, quædam mecum deſiderarent: nempe foliorum conjugationes juſto pauciores, racemos ramoſiores cum floribus erectis, nimis ſtellatis, in quibus, dempto uno, tuba deſideratur. Quod procul dubio feſtinationi Auctoris, tot plantas deſignantis, tribuendum eſt. Porro fructus juſto rotundiores, omiſſis in pleriſque calycis inciſuris, ab eodem videntur deſignati.

PERIPLOCA CAROLINENSIS, FLORE MINORE STELLATO T. CCXXIX. F. 296.

AMPLEXICAULIS eſt, plerarumque aliarum Periplocarum inſtar, hæc ſpecies, ſarmentis prælongis piloſis teretibus, a ſiniſtra dextrorſum ſcandentibus, ſi vero pedamenta non ſatis longa fuerint, dicta ſarmenta contrario verſu deorſum ſiniſtrorſum revoluta apparent & aſcendentibus caulibus ſe involvunt. Folia ex ſatis longe diſtantibus geniculis naſcuntur, Periplocæ Monſpeliacæ foliis acutioribus *Inſt. R. Herb. p.* 93. ſimilia, ſed nonnihil productiora, nec glabra, ſed ſubhirſuta, præſertim parte inferiori, oblongis teretibus pediculis inſidentia, per oras piloſa, cujuſmodi & caules foliorumque pediculi ſunt, coloris parte ſuperiori viridis, inferiori pallidioris, e viridi albicantis, caules autem & foliorum inferiorum pediculi ex fuſco rubent, ſuperiora verſus pallide virent.

Ad genicula, juxta foliorum pediculorum alas, flos prioribus annis natus fuit unus altervè, brevi pediculo ſeorſum inſidens, prouti tum ipſa planta, tum figuræ ſolitariæ prima & ſecunda demonſtrant; ſequentibus vero annis, ſolo aërive noſtro aſſuefacta planta plures tulit flores, pediculo communi inſidentes, cujuſmodi figura marginali tertia deſignati ſunt. Herbaceus floribus ab initio color eſt, dein viridis in obſcure purpureum nigricantemque colorem tranſit. Ceterum in quinque cuſpidata & ſtellatim expanſa ſegmenta ad baſim fere dividuntur flores, in quorum poſtica parte calyx annectitur brevis viridis, in totidem anguſta ſegmenta diviſus. Floris ſtamina & apices, velut in multis aliis Periplocæ & Apocyni floribus, vix reperire licet, horum vero loco in hac ſpecie corpuſculum in florum medio ſedet globoſum, nonnihil compreſſum, Muſcæ velut caput referens, coloris obſcure purpurei, cujus centrum linea albida pentagona cingit ſuperius, inferius autem ſeu baſim corolla bracteata ambit, in medio ab embryone biſiliquato pertuſa, in ambitu vero inciſa, in octo nempe ſubrotunda bifida ſegmenta diviſa, coloris atro-purpurei; quæ particula figura quarta bis ſeorſum expreſſa eſt. Siliquas nobiſcum non produxit, flores autem Auguſto & Septembri menſibus.

Accedit ad Periplocam ſuperius memoratam, quæ eſt Apocynum latifolium amplexi-

Periploca Carolinensis, flore minore stellato.



F. 297.

Petasites major, floribus pediculis longis insidentibus Syn.

amplexicaule *J. B. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 135. Verum illa ſarmenta & folia glabra, flores autem habet plures candidos pediculo communi longiori inſidentes.

Similis etiam eſt Apocyno ſcandenti Virginiano rugoſo, pullis amplis floribus, capſulis alatis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 611. *Sect.* 15. *Tab.* 3. *fig.* 61. quod etiam creſcit in Horto Elthamenſi, ſed minus hirſuta, & flores habet nonnihil minores, quorum ſegmenta minime, ut illius, obtuſa ſunt, ſed cuſpidata. Ceteroquin illius flores ſuperius e fuſco virent, inferius læte virent. Sed nulli magis ſimilis eſt, quam Periplocæ ſcandenti, foliis Convolvuli, fructu alato *Plum. Cat. p.* 2. *Inſt. R. Herb. p.* 93. Flores enim, noſtræ inſtar, ſtellati & cuſpidati ſunt, ſed altero tanto majores, prouti quidem a Plumiero delineati ſunt, & cum fructus nobiſcum nondum tulerit, an eadem cum illa ſit, hæreo. Qua de cauſſa etiam, an Itabi Braſilienſium *Marcgr. L. I. C.* 10. *p.* 19. 20. cui Periplocæ Americanæ, fructu molliter echinato, nomen dedit *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 93. nempe ob fructum non viſum, an huc referri queat, dubito, cui alias in Hiſt. Braſ. flores noſtræ ſimiles, ſed ſinguli ſingulis pediculis privatis e foliorum alis, quales nobiſcum ab initio tulit, appinguntur; quamvis fructum potius illius ex Hiſtoria Oxon. & a Plumiero memoratæ ſpeciei inſtar formatum ſuſpicer.

PETASITES MAJOR, FLORIBUS PEDICULIS LONGIS INSIDENTIBUS SYN. RAJ. ED. III. P. CLXXIX. *T. CCXXX. F.* 297.

A Vulgari, cui proxime accedit, ſpecie differt, ſcapo & foliorum pediculis altioribus, ſquamis longius ab invicem diſtantibus, floribus ſeu capitulis laxius digeſtis, pediculis longioribus hærentibus, minoribus, ſed numeroſioribus & ventrioſis, e floſculis difformibus conſtructis, foliis amplioribus & tenerioribus, maturius & cum ipſo ſtatim ſcapo erumpentibus.

Sole Taurum ingrediente thyrſum profert, uvæ inſtar, quamdiu ſub terra latet, congeſtum & ſquamis folioſis obtectum, qui, ubi erumpit, laxatur, & ſquamæ ad ſcapi elongationem longius ab invicem recedunt, concavæ, tenues & tranſlucidæ, coloris obſcure rubentis, quo colore & caulis tinctus eſt, digiti craſſitudine, ad cubiti & amplius longitudinem excreſcens, cavus, cujus faſtigio plurimi inhærent flores, veluti paniculatim digeſti, ab initio ſurrecti, dein tranſverſim exſtantes, poſtea vero penduli, e calyce ventrioſo ſquamoſo & floſculis pluribus difformibus compoſiti; qui enim marginem conſtituunt tenues ſunt & filamentoſi, (vid. fig. 2.) exili nempe tubulo bifido, ſi oculo armato inſpiciantur, & ſtylo brevi bicorni conſtructi, in quorum medio unus alterve floſculus reliquis major latet (vid. fig. 1.) quinque laciniis diviſus, in quo circa ſtylum ſimplicem & non diviſum utriculus hæret farinam ſpermaticam fundens: hos maſculinos, illos fœmininos Botanici appellare conſueverunt. Calyces colore ſunt obſoleto, ſubfuſco, e viridi & purpureo invicem commixto: floſculi candidi. Florum pediculi longiores ſunt & teneriores, quam vulgaris, ſquamulis aliquot cincti, in quibus ſingulis modo ſinguli, (in ſuperioribus nempe, qui citius florent) modo bini, (in mediis) modo terni (in inferioribus) hærent flores.

Folia cum ipſis caulibus, aut non longe poſt eos, erumpunt, vulgari ſatis ſimi-

lia,

lia, ſed ampliora & teneriora, ſubtus pallidiora & nonnihil incana, quadantenus anguloſa, præſertim poſtquam plene adoleverunt, ab initio enim rotundiora obſervantur. Utraque facie, ſuperiore & inferiore, folia figura noſtra ſiſtit, quæ, ubi planta florebat, deſignata erant, quorum magnitudinem vel quinquies & ſexies ſuperant folia, quando ad perfectionem pervenerunt. Foliorum pediculi ad cubiti uſque longitudinem ſurgunt, parte antica excavata, poſtica in dorſum rotundum elevata & ſtriata. Prope *Banbury* in Comitatu Oxonienſi primum inventa dicitur in Anglia.

Forte ad hanc ſpeciem referendus eſt, Petaſites folio grandiſſimo *Thal. p.* 91. Petaſites maximus maritimus Boruſſiæ *Mentz. Pug.* „ quem ad litora paludum „ marinarum Boruſſiæ ſe obſervaſſe dicit, floribus trium ulnarum, albis, foliis „ oblongis incanis, diverſum plane vultum a vulgari obtinentem." Quid per folia oblonga, ni pediculos, ſicut trium ulnarum flores, nempe ſcapum florum, velit, non capio. Oblonga quidem folia huic generi familiaria non ſunt. Thalius non deſcribit.

De hoc videtur etiam loqui *Rupp. Flor. Jen. Ed. I. p.* 180. *Ed. II. p.* 153. „ Hujus vulgaris, inquit, duæ diverſæ plane ſpecies hinc inde locis aquoſis & „ riguis occurrunt, quarum prima perianthium habet ventrioſius, & inſtar peri„ anthii Sonchi in ſummitate coarctatum, & floſculos duplicis generis, figuræve „ & magnitudinis, alteros perexiguos, quaſi ſemifloſculos, limbumque floris cin„ gentes, cum intermediis majuſculis brevioribus amplioribuſque floſculis duo„ bus tribuſve: altera vero floſculos habet meros tales, quales prior in meditul„ lio, & perianthium non ſquamoſum, ſed parallelis ſegmentis cylindrum effor„ mantibus conſtructum. Poſſet itaque hæc poſterior ad Cacaliam referri, præ„ cedens vero, quæ duplicis generis floſculos gerit, in ſpecie Petaſites appellari. Hæc ille, qui extra ſcopum jaculatur, quando vulgarem Petaſiten, quem floſculos uniformes obtinere olim jam obſervavi, ad Cacaliam referre vult; repugnat enim totus habitus, florum diſpoſitio & floſculorum diviſio. Ceterum Petaſites albus anguloſo folio *J. B.* & Petaſites minor Tuſſilaginis folio *Hort. R. Bleſ.* flores habent e floſculis difformibus conſtructos, noſtræ ſpeciei inſtar, nec alia mihi adhuc innotuit ſpecies, quæ floſculos majuſculos uniformes tantum obtineat, præter vulgarem. Nec vero in hoc tantum, ſed & aliis generibus florum Compoſitorum diverſæ figuræ floſculi obſervantur.

PHALANGIUM CAPENSE CAULESCENS, FOLIIS CEPITIIS SUCCOSIS T. CCXXXI. F. 298.

CAULEM habet rectum, lignoſum, teretem, craſſitudine pollicis, cinereo cortice glabro veſtitum, ad pedalem & amplius longitudinem, antequam ramos emittit, enaſcentem, & eadem longitudine cum ramis procedentem. Rami autem vel ſurculi plures ſunt, alterna ſerie diſpoſiti, in quibus alterno etiam ordine folia naſcuntur prælonga, ad pedalem & amplius longitudinem protenſa, lævia, viridia, venis carentia, ſuperiori parte plana, inferiori convexa, ita ut non ſint Cepæ inſtar teretia, ſed ex tereti plana, cepitiis tamen non abſimilia, quamvis cava non ſint, ſucco copioſo viſcido amaricante ſcatentia, ad baſim ramos vaginæ membranaceæ inſtar cingentia.

Verſus

Universidade de Coimbra
JARDIM BOTANICO

F. 298.

Phalangium Cap. caulescens, foliis cepitüs succosis.



Phalangium Lilio-narcissus, foliis ensiformibus.

Verſus ramorum extremitatem e foliorum alis pediculi enaſcuntur prælongi, a pedali ad bipedalem & ulterius longitudinem protenſi, in latera verſi, ad baſim compreſſi, in medio ſubteretes, ſuperiori autem parte teretes, in quibus plurimi flores in capitulum oblongum ab initio compacti, dein in ſpicam longam diſpoſiti naſcuntur, pediculis tenuibus ad baſim piloſis hærentes, nudi, hexapetali, tribus petalis latioribus, leniter cavis, & tribus anguſtioribus, planis, colore flavo, linea virente, ſecundum ſingulorum longitudinem decurrente, diſtinctis. In florum medio ſedet embryo, ſtylo tenui ſurrecto ſimplici terminatus, quem ambiunt ſtamina ſex, lanugine flava comata, in quibus apices ejuſdem cum flore coloris. Singuli flores ſingulos ſaltem dies durant, ſed cum novi emarcidis ſemper ſuccedant, fit, ut quotidie & per pleramque æſtatis partem in flore conſpiciatur planta. Ceterum flores nullis apud nos ſuccedentibus vaſculis dilabuntur.

A ſequenti ſpecie differt, quod in caulem aſſurgat ramoſque proferat, quod folia viridiora, longiora & anguſtiora ſint, parenchymate firmiore prædita, e quibus reſciſſis ſponte copioſus filatim ſtillat ſuccus viſcidus, ex luteolo virens. Illius vero folia pallidiora gregatim abſque cauliculis naſcuntur, latiora & magis tranſlucida, mollia & pulpoſa, quæ non niſi preſſa ſuccum fundunt limpidum, ovi albumen referentem, quo exonerato Cepæ inſtar cava fiunt folia, ſecus ac in hac ſpecie fit. Porro radix ſequentis tuberoſa, hujus vero fibroſa eſt, & adeo quidem radicum formandarum ſtudioſa eſt hæc planta, ut non tantum e caule, ſed & ramis propagines demittat teretes, funium inſtar dependentes, quæ, ubi terram attigerunt, radices agunt fibroſas. Præcipue autem caulis abundat iſtiuſmodi propaginibus loreis, eæque glabræ ſunt, fuſcæ, nitidæ, incurvæ, quæ vero e ramis deſcendunt pallidiores, rectiores & breviores obſervantur. Figura noſtra ramum repræſentat cum funiculis junioribus, cui in latere major e caule deſumptus appictus eſt.

Ad hanc ſpeciem refero, Phalangium non ramoſum ſpicatum luteum Prom. Bon. Spei, foliis magnis Cepæ pulpoſis *Pluk. Amalth. p.* 168. cui, ex ſuimet ipſius ſententia, eadem eſt, Ornithogalo affinis Africana, fibroſa radice, foliis Cepæ ſucculentis, floribus ſpicatis aureis *Ejuſd. Ibid. p.* 163. Quæ ſynonyma Phalangio Africano foliis Ficoidis, floribus ſpicatis aureis, adſcribit *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 134. *n.* 6. Aſphodelo autem affinis Africana non ramoſa, floribus luteis, cepaceis foliis, ſucculenta mucagine farctis: Aloë falſo dicta *Pluk. Amalth. p.* 40. quærit an eadem ſit cum Phalangio Africano foliis cepaceis, floribus ſpicatis aureis *Boerh. Ibid. p.* 133. *n.* 5. ſeu præſenti planta. Quod nobis non videtur, cum non hæc, ſed ſequens ſpecies pro Aloës ſpecie olim, antequam florebat, fuerit habita, quæ fibroſam radicem non habet, ſed tuberoſam. Male autem Plukenetius utrique folia cepitia tribuit, nec bene hujus folia pulpoſa dicit, cum id epitheton ſequenti aptius quadret; nec probandum eum adeo ludere nominibus. Ceterum quod non ramoſam dicat hanc ſpeciem, non de tota planta, ſed de ſcapo florido, qui ſane ſimplex & Phalangii ramoſi inſtar minime dividitur, intelligendus eſt Plukenetius. Hujus porro loci eſt: Aſphodelus Africanus foliis cepaceis, flore luteo *Hort. Maur.* Aſphodelus folio oblongo rotundo, flore luteo *Wehm. Hort. Caſp. Boſ.* Aſphodelus Zeylanicus foliis rotundis cepaceis, floribus luteis *Till. Hort. Piſ.*

PHALANGIUM CAPENSE SESSILE, FOLIIS ALOEFORMIBUS PULPOSIS T. CCXXXII. F. 299.

SPECIES hæc in caulem non aſſurgit, præcedentis inſtar, ſed humi ſedet, folia plurima gregatim naſcentia proferens, pluribus etiam horum foliorum faſciculis ex eadem radice enaſcentibus. Quæ radix ex brevi latiuſculo tubere luteo, mox in fibras abeunte, conſtat. Latiora porro & breviora ſunt hujus folia, quam illius, ſuperne plana, ſubtus convexa, lenia, pulpæ inſtar mollia, pallide virentia, lævia & avenia, nec niſi luci obverſa tenuibus rectis ſtriis prædita apparent. Ob parenchymatis vero teneritatem tranſlucentia fiunt folia, & levi contrectatione in ſuccum reſolvuntur clarum viſcidum, ovi albuminis inſtar filatim ſtillantem, guſtus ab initio inſipidi, dein vero acrimoniæ ſenſum in lingua relinquentem. Hac de cauſſa facile putreſcunt folia hæc, & vel a limacibus arroſa, vel durius contrectata in tabum abeunt, quin & ſuapte natura ab extremitatibus areſcere inferiora folia ſolent, ut nil niſi tenues caſſæque membranæ remaneant. Inde etiam fit, ut, niſi Hibernaculo meliori ſervetur, facile pereat hæc planta.

Ceterum juxta foliorum baſes pediculi pedem duoſve pedes longi naſcuntur, in latera verſi, ſubrigidi, læves, inferius compreſſi, ſuperius teretes, in quibus capitula vel flores ab initio Plantaginis ſpicæ forma digeſti, dein rarius & laxius diſpoſiti naſcuntur, præcedentis floribus plane ſimiles, inodori, & ſimilibus ſtaminibus lanuginoſis donati, verum colore ſaturatius flavo prædıti, linea virente ſingula petala diſtinguente. Qui flores mox abſque ſubnaſcentibus vaſculis apud nos exaridi decidunt. Flores autem tota fere æſtate profert.

Hujus loci eſt: Aſphodelo affinis Africana non ramoſa, floribus luteis, cepaceis foliis, ſucculenta mucagine factis: Aloë falſo dicta *Pluk. Amalth. p.* 40. Aloë Africana, folio rotundo oblongo, flore Aſphodeli *Schwer. Cat.* item Scutellaria Aloës folio *Ejuſd. Cat. App.* Phalangium Africanum foliis Ficoidis, floribus ſpicatis aureis *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 134. *n.* 6. Phalangium Africanum foliis cepaceis, floribus ſpicatis aureis, communiter Aloë-Aſphodelus *Vat. Cat. Hort. Vit. p.* 27. Aloë flore Aſphodeli luteo *Wehm. Hort. Caſp. Boſ.* Aſphodelus Africanus luteus, foliis Aloës *Till. Hort. Piſ.*

Aloë olim habita fuit, quod foliis & naſcendi modo quaſdam Aloës ſpecies imitari videatur.

PHASEOLUS FLORE HELVOLO, ALIS AMPLIS PATULIS T. CCXXXIII. F. 300.

PHASEOLUS BARBADENSIS ERECTIOR, SILIQUA ANGUSTISSIMA, TINCTORIUS HERM. CAT. AD FIN. PAR. BAT. *IBID. F.* 301.

SARMENTA profert prior ſpecies prælonga, (tricubitalia & longiora) gracilia, teretia, culmum inferius non ſuperantia, coloris e fuſco nigroque purpurei, a ſiniſtra dextroverſum, ut in aliis, ſcandentia (convolutionibus tamen non admodum frequen-

Phalangium Capense, foliis Aloëformibus pulposis.



F. 300.

F. 301.

F. 301.

Phaseolus flore helvolo, aliis amplis patulis.

Phaseolus Barbadensis erectior, siliqua angustiss. tinct. Herm.



F. 302.

Phaseolus flore odorato, vexillo amplo patulo.

frequentibus) e quibus folia in pediculis uncialibus naſcuntur trifoliata, anguſta, oblonga, (inferiora, quam figura noſtra habet, ampliora ſunt) baſim verſus ampliata & veluti haſtata, glabra, venis vix conſpicuis prædita, coloris parte ſuperiore ſaturanter viridis, parte inferiore pallidioris.

E foliorum alis ſuperioribus pediculi naſcuntur prælongi, quorum baſi duæ anguſtæ ligulæ appoſitæ ſunt, in faſtigio vero duo treſve naſcuntur flores inodori, helvoli, i. e. coloris vini rubri dilutioris, quorum vexillum breviuſculum eſt, non expanſum, ſed interiora verſus flexum, carina brevis & anguſta, in vexillum contorta, alæ vero pro floris ratione amplæ ſunt, patulæ & utrinque expanſæ, tenuibus ſtriis exaratæ. Calyx monophyllos brevis in quinque anguſtas lacinias dividitur, lacinia ſuperiore vexillo appoſita reliquis nonnihil breviore. Siliquæ ſubnaſcuntur graciles teretes, non hirſutæ, per maturitatem ex fuſco nigricantes, in quibus ſemina latent parva turgida, ad reniformem figuram inclinantia, unicoloria, e ſpadiceo nigricantia.

Annua eſt hæc ſpecies, fibroſa nitens radice, quæ nobis orta eſt e ſeminibus Carolinenſibus a ** Tryan, Mercatore Londinenſi, cum aliis rarioribus communicatis. Auguſto menſe floruit, & dein Septembri ſemina perfecit.

Alia nobis e ſeminibus Barbadenſibus nata fuit ſpecies, cujus nomen ſupra recitatum eſt, quæ floris figura & colore, ſiliquis item & pediculis prælongis, præcedenti plane ſimilis eſt, at cauliculis rectioribus, craſſioribus, & nonnihil piloſis, foliis non ſinuatis, ſubhirſutis, (quamvis & cum foliis glabrioribus reperiatur) Trifolio bituminoſo ſimilibus, & radice perenni ſtrumoſa ab illa differt. Qua de cauſſa folia ſaltem aliquot priori, pro differentia monſtranda, apponere ſufficiens fuit viſum.

Hujus, nempe Barbadenſis ſpeciei, ſynonymus videtur, Phaſeolus ſubhirſutus Americanus exitioſus, ſiliquis longis cauliculis inſidentibus *Pluk. Alm. p.* 290. *Tab.* 214. *f.* 2. & Phaſeolus ſtrumoſa radice, flore purpureo, ſiliqua anguſtiſſima *Plum. Cat. p.* 8.

Phaſeolus Americanus folio ſinuato & veluti haſtato *Inſt. Rei Herb. p.* 414. foliis latioribus & brevioribus, alis minoribus & floris colore, quantum ex ſicca planta dignoſcere licet, ab illa, ab hac vero ſpecie foliorum figura, nempe quod ſinuata ſint, differt.

PHASEOLUS FLORE ODORATO, VEXILLO AMPLO PATULO T. CCXXXIV. F. 302.

SARMENTA hæc etiam ſpecies habet prælonga (tres quatuorve cubitos æquantia & ſuperantia) culmum craſſa, hirſuta & piloſa, plurima ex eadem radice naſcentia, ad quorum genicula e pediculis oblongis folia naſcuntur Phaſeoli ſiliqua ſurſum rigente ſimilia, ſed longiora & pilis crebris hirſuta, ſuperiora verſus ſenſim minora, ſuperne viridia, inferne pallidiora, flores autem inter foliorum pediculos & ipſa ſarmenta in prælongo pediculo communi naſcuntur tres quatuorve, pediculis privatis brevibus inſidentes, ampli ſatis, antequam aperiuntur viridantes, dein ex purpuraſcente albicantes, mox, ubi fatiſcere incipiunt, purpu-

reus

reus color in pallide violaceum tranſit, tandem vero in luridum & obſoletum, e flavo nempe ſubfuſcum, mutatur. Flores autem hi cito tranſeunt, nec ultra nyctemeri ſpatium durant. Odorem ſpirant ſuavem, Lathyri, Chamæbalanus dicti, florum inſtar. Ceterum florum vexillum amplum eſt & planum, candicans, vel dilutiſſima ſaltem purpura perfuſum, ad baſim ſubflavis maculis notatum, ambitum verſus tenuibus ſtriis exaratum: carina parva vexillum verſus incurvata, albicans, vel levi purpura tincta: alæ vel in ſe volutæ, vel circa carinam, altera nempe quæque, inflexæ ſunt, colore ſaturatiore purpureo prædita. Calyces in quinque æquales lacinias diviſi ſunt.

Floribus evanidis ſiliquæ ſubnaſcuntur longæ graciles, virides & compreſſæ ab initio, dein turgidiores ſubteretes, per maturitatem ſubfuſcæ, in quibus ſemina latent parva turgida, reniformem figuram æmulantia, coloris e fuſco nigricantis.

Quamvis ſiliquæ, ſarmenta, folia eorumque pediculi piloſa & ſubhirſuta ſint, pediculi tamen flores & ſiliquas ſuſtinentes glabri prorſus ſunt.

Annua eſt planta, orta e ſeminibus circa Havanam collectis & *Triyollas* nomine communicatis. Auguſto menſe floruit & Septembri ſemina maturavit.

PHASEOLUS FLORE PURPUREO, ALIS AMPLIS, LONGE PROTENSIS T. CCXXXV. F. 303.

SARMENTA huic non minus, ac præcedentibus, longa ſunt, tenuia, virentia, teretia, ſtriata & ſubhirſuta, ex biunciali & triunciali diſtantia geniculata, quibus folia adnaſcuntur, Phaſeoli vulgaris ſimilia, ſed minora, tenui hirſutia ad margines obſita, venis obliquis & tranſverſis inde minoribus ductis exarata, nervo extremum ſeu medium folium in duas partes æquales, lateralia vero in inæquales, ceu in pleriſque aliis ſpeciebus fit, (quoniam nempe ad partem interiorem declinat) diſtinguente, pediculis uncialibus & ſeſquiuncialibus inſidentia, tenuiter piloſis, e quorum alis ſtolones palmares & dodrantales naſcuntur, teretes, glabri ſeu non piloſi, ſtriati, quam ſarmenta nonnihil craſſiores, verſus quorum extremitatem flores naſcuntur & ſiliquæ; flores nempe ſatis ampli, inodori, ab initio purpuraſcentes, dein ex purpureo violaceum colorem induentes, e vexillo ſatis magno & reflexo, dilutius purpuraſcente, alis latiuſculis & longe protenſis, ſaturatiore purpureo colore tinctis, & carina anguſta oblonga, verſus vexillum inflexa, conflati, calyce excepti monophyllo, in quatuor lacinias, quarum ſuperior reliquis major eſt, diviſo, tenui & perbrevi ſinguli pediculo purpureo hærentes, nunc ſolitarii, nunc gemelli ex eodem principio orientes.

Siliquæ dein ſubnaſcuntur oblongæ compreſſæ, ab initio virentes, per maturitatem (figura prima) fuſcæ & nonnihil turgidiores, in quibus ſemina (figura ſecunda) continentur plura (duodecim & amplius) parva, reniformia, depreſſa, nempe nec plana prorſus, nec multum turgida, ſplendentia, colore prædita ex fuſco puniceo, hilo parvo albo diſtincta.

Annua eſt planta, pro ſationis tempore ſerius ocyuſve florens.

PHASEO-

Phaseolus Zeylanicus siliquis radiat. digestis.

Phaseolus flore purpureo, alis amplis, longe protensis.





F. 305.

Phillyrea Capensis, folio Celastri.

PHASEOLUS ZEYLANICUS, SILIQUIS RADIATIM DIGESTIS T. CCXXXV. F. 304.

SARMENTA profert tricubitalia, teretia, tenuia, virentia, aut ex viridi purpuraſcentia, piloſa, ad quorum genicula, quæ palmari, ſemipalmari & breviori in ſuperiori parte diſtantia ab invicem remota, in pediculis uncialibus & biuncialibus ſubteretibus, ſubhirſutis, folia naſcuntur, Phaſeolo orthocarpo ſimilia, glabra, per margines tenuibus pilis obſita, nervo medio & venis aliquot obliquis exarata, qui nervus, inſtar aliorum hujus generis, in lateralibus foliis non mediam, ut in medio folio, partem ſecat, ſed ad latera interiora declinat.

Flores in pediculis anguloſis, uncialibus, biuncialibus & palmaribus naſcuntur plures veluti umbellatim diſpoſiti, ab initio ſubvireſcentes, dein dilute purpuraſcentes, poſtea albicantes, per vetuſtatem obſolete ochrei, mediocri magnitudine præditi, e vexillo latiuſculo, alis anguſtis carinam amplectentibus & carina oblonga verſus vexillum torta, cujus extremitas colore tenuiore violaceo diſtinguitur, compoſiti, quos ſiliquæ excipiunt radiatim digeſtæ, breviores ſubteretes, ab initio virentes, per maturitatem fuſcæ, in quibus ſemina (figura tertia) latent oblonga ſubteretia turgida, coloris ſubfuſci, hilo oblongo albicante diſtincta.

PHILLYREA CAPENSIS, FOLIO CELASTRI T. CCXXXVI. F. 305.

QUAMVIS fructum nondum tulerit hæc planta, Phillyreæ tamen ſpeciem ſuadent flores, folia & habitus plantæ.

Ea vero frutex eſt minus, quam aliæ ſpecies, ramoſus, caudice poſt novem nobiſcum, a planta juniore, annos pollicari, cortice ex fuſco nigricante veſtito, cujus ramis folia adnaſcuntur Alaterno, Celaſtrus dictæ, valde ſimilia, verum conjugatim diſpoſita, rigidiora item & nonnihil craſſiora, oris laxius & minus, ac Celaſtri, acute inciſis. Et quamvis Cluſius in Cur. Poſt. p. 2. Celaſtro folia ex adverſo naſcentia adſcribat, mihi tamen frequentius alterna, cujuſmodi & figura ejus monſtrat, obſervata. Ceterum folia hujus fruticis ſpiſſa ſunt, glabra, plana, aut leviter cava, ſemper virentia, nunc oblonga, nunc magis rotunda, venis obliquis ſuperficialibus a nervo medio exarata, conjugatim & decuſſatim naſcentia, ſaturo virore reſplendentia ſuperne, inferne nonnihil pallidiora.

E foliorum alis Julio & Auguſto menſibus flores profert lacteos, Phillyreæ inſtar in brevibus racemulis diſpoſitos, monopetalos, nunc in quatuor, nunc in quinque, qui numerus magis naturalis videtur, ſegmenta ad baſim uſque diviſos, calyce brevi exceptos, in totidem, quot floris laciniæ ſunt, ſegmenta exigua diviſo. Licet autem flores tam profunde dividantur, ut polypetali videri queant, tamen in petala diſtincta non reſolvuntur, quin potius ad baſim velut annulo quodam cohærent & calyci connaſcuntur. Stamina totidem, quot ſunt floris laciniæ, inter earum interſtitia locantur. Flores nullo ſuccedente fructu nobiſcum decidunt, licet quotannis libere floreat. Ceterum in florum medio embryo ſedet parvus ſubrotundus, ſtylo brevi bifido terminatus.

E Batavia in Hortum Elthamènſem venit nomine, Arbor Africana folio ſubrotundo ſerrato craſſo, vulgo *Lipplehout*. Eſt in Phytophylacio Sherardino Lycium Africanum Betulæ folio *Par. Bat. Prodr. p.* 349. quod a noſtra planta diſtinguere non poſſum, niſi quod folia ex albo glaucum colorem obtineant, quod ipſi vel per ætatem, vel ex loco (credo maritimo) contingere autumo. Noſtra vero in Horto Elthamenſi decerpta planta jam poſt ſextum annum virorem adhuc ſiccata retinet. *Plukenetius* Ceraſum Sebeſtenæ domeſticæ foliis aliquatenus accedentem Prom. Bon. Spei vocavit *Alm. p.* 94. cujus ramuli partem ſine floribus exhibuit *Phyt. Tab.* 97. *fig.* 8. ubi quærit, quod & in Almageſto facit, an ſit Lycium non ſpinoſum, craſſis & incanis foliis *Par. Bat. Prodr?* Botanici ſueverunt folia incana dicere, quæ lanuginem candicantem habent, hujus vero folia glabra ſunt & lanugine deſtituta. Nec veroſimile eſt, bis proponi hanc plantam in Par. Bat. Prodromo. Cum Ceraſo nihil habet commune, & ſi Plukenetius ſimilitudinem ad Ceraſum Hottentottorum retulit, nec cum ea ipſi multum convenit. Ceterum minime dubito, quin ſit Celaſtri glauco folio arbor Prom. Bon. Spei, *Lepelhout* vulgo, *Pet. Muſ. n.* 627.

PHLOMIS LATIFOLIA, CAPITATA, LUTEA, GRANDIFLORA T. CCXXXVII. F. 306.

CAULES habet pro ætatis ratione nunc pedales, nunc bipedales, lignoſos erectos, e quibus rami naſcuntur adverſi, quadrangulares, villoſi, & folia in iis craſſa, primum incana, dein ſuperne vireſcentia, ſubtus caneſcentia, quæ vero in ramulis floridis naſcuntur, utrinque vireſcunt, brevioribus & latioribus, quam illa, pediculis nixa, per ambitum crenis obtuſis & vix, præſertim ſuperiora, conſpicuis obſita, in ſuperficie autem rugoſa & hirſuta. Ramuli in quibus flores naſcuntur plerumque incurvi & reclinati ſunt. Verticilli autem in ſingulis ſurculis nunc bini, nunc ſingulares naſcuntur, ſummos ramulos terminantes, e plurimis foliolis latiuſculis hirſutis, & floribus magnis obſolete luteis, in capitulum ſat amplum congeſtis, conflati.

Ceterum florum galea fornicata & compreſſa eſt, dorſo latiuſculo, hirſuta undique, in labium inferius, modice reflexum & propendens, procumbens. Quod labium in duas primarias partes, Lamii fere inſtar, diviſum eſt, ſegmentum nempe extremum latius bifidum, & auriculas binas, utrinque ad latera laciniarum inſtar propendentes, breves, quibus auriculis alia minor minuſque conſpicua, anterius nempe inter labii extremitatem & auriculas poſteriores, utrinque interpoſita eſt. Stamina & ſtylus, ut in aliis Verticillatis, ſe habent, calyx autem (vid. figura prima) quinquangularis in decem ſegmenta brevia obtuſaque, quorum quinque exterius, quinque vero interius flectuntur, dividitur, ſegmentis introverſis in ſpinulam abeuntibus. Semina triangula. Calyces triti Lamii ſpirant odorem, ut & flores, ſed remiſſiorem. Squamæ verticillos ambientes, quam in aliis ſpeciebus, latiores & plures ſunt. Tum caules, tum folia hirſutia caneſcente obſita, præcipue juniora, proprie tamen incana non ſunt folia, & dantur aliæ ſpecies multo magis incanæ.

Folia Salviæ maximæ, foliis & floribus ampliſſimis *Hort. Lugd. Bat.* folia æmulantur,

F. 306.

Phlomis latifolia, capitata, lutea, grandiflora.





PHLOMIS SALVIFOLIA, FOLIIS VERTICILLIS INSCRIBITUR. Linn.

F. 307.

Phlomis salvifolia lutea, verticillis crebris.

lantur, vel & Salviam folio ſubrotundo *C. B.* multo ſane magis, quam Verbaſcum ſubrotundo Salviæ folio *C. B.* ſed cum a verticillis & floribus evidentior ſit diſtinctio, cujuſmodi non alia ex notis ſpeciebus obtinet, differentiam in nomine commodiſſime inde deſumi potuiſſe arbitratus ſum. Ceterum Verbaſcum illud ſubrotundo Salviæ folio *C. B.* folia inferiora, præſertim quæ extra ramos floridos naſcuntur, anguſtiora & longiora, ſubtus magis lanuginoſa habet, capitula autem vel verticillos minores, floreſque purpureos, ut ex nomine *Tourneſortii*, qui Phlomidem fruticoſam flore purpureo, foliis rotundioribus, vocat *Inſt. R. Herb. p.* 177. intelligi poteſt. E reliquis non alia huic ſpecies comparari poteſt, quam Phlomis fruticoſa Luſitanica, flore purpuraſcente, foliis acutioribus *Inſt. R. Herb. p.* 178. quæ tamen foliis minoribus, florum colore, verticillis minoribus, pluribus in eodem ramo naſcentibus, a noſtra differt.

Sole in Cancro verſante plerumque floret. Unde fuerit delata primum, non conſtat, ſuſpicor autem ejuſdem cum ſequenti originis eſſe. Folia ſeorſum poſita, e ramo non florente deſumpta ſunt, nempe figura ſecunda majus, figura tertia minus & junius folium.

PHLOMIS SALVIFOLIA LUTEA, VERTICILLIS CREBRIS T. CCXXXVIII. F. 307.

INTER alias rariores plantas, quas indefeſſo Guil. Sherardi ſtudio debemus, & hæc Phlomidis ſpecies numerari debet, circa Myloſſam, cum Smyrnæ nationis Anglicæ Conſul eſſet, ipſi obſervata, cujus ſemina, quæ ſolebat quotannis in amicorum uſum conquirere, in patriam tranſmiſit, ubi in variis Curioſorum hortis, præcipue Elthamenſi, adhucdum ſervatur.

Caules ejus a pedali ad bipedalem longitudinem excreſcunt, villoſi & tomento tam multo obſiti, ut anguli inde obliterentur, reclinati, ſubinde erecti, in quibus folia naſcuntur vulgaris Phlomidis proxime ſimilia, contrario decuſſatim ſitu poſita, rugoſa & villoſa, crenis per margines obtuſis rotundiuſculis inciſa; quæ crenæ in inferioribus præcipue foliis obſervantur, in ſuperioribus vero foliis, qua verticilli oriuntur, ſenſim obliterantur, & tandem in ſupremis plane diſparent. Fiunt etiam folia, quæ verticillis ſubjiciuntur, quo magis ſummitati appropinquant, eo pedetentim minora & brevioribus pediculis inſident. Verticilli autem quinque, ſex & plures in ſummis ramis obſervantur; quorum inferiores e paucioribus, binis nempe tantum, floribus ſubinde conſtant; reliqui vero ſuperiores e ſex plerumque floribus conflati ſunt, figura aliis Phlomidis ſpeciebus ſimilibus, levi quodam & non ingrato odore donatis, coloris flavi, galea non undique, ut præcedens ſpecies, ſed in dorſo ſaltem villoſa. Calyces oblongi tomentoſi ſunt, quinquangulares & in quinque anguſtas æqualeſque lacinias ad ſui uſque medium diviſi.

Non eſt fruticoſa, ſed potius herbacea hæc ſpecies, nam ubi floret, floret autem Junio menſe, folia caulium inferiora exareſcunt, e radice vero ejus repente alia virentia faſciculatim enaſcuntur, quæ in caules plantaſque, ſi depangantur, ſequentibus annis flores prolaturas abeunt. Hujuſmodi folia duo in latere figuræ noſtræ appicta ſunt. Ceterum folia contrita ſubobſcurum Lamii ſpirant odorem.

Equidem ſtricte loquendo omnes Phlomidis ſpecies ſunt verticillatæ, ea vero diffe-

differentia intercedit, quod quædam ſint in ſummitate, quædam per caules verticillatæ, i. e. illæ unum, ſubinde duos in ſummis ramis florum verticillos, hæ plures, tanquam in ſpicam digeſtos verticillos gerunt, cujus generis eſt hæc ſpecies. Porro illæ ſpecies capitula vel verticillos habent pluribus foliis latiuſculis ſquamatim ad baſim cinctos: hæ iis deſtituuntur, vel ligulas ſaltem habent tenues verticillis intermixtas. E ſpeciebus, quæ plures verticillos ſpicatim digeſtos ferunt, nulla noſtræ ſimilis eſt, quam Phlomis Orientalis anguſto & longiore folio, flore luteo *Tourn. Cor. Inſt. R. Herb. p.* 10. quæ tamen foliis longioribus & multo anguſtioribus differt. Phlomis lychnitis *Cluſ. Hiſt. XXVII.* folia habet adhuc magis anguſta, ea vero, quæ verticillis ſubjiciuntur, baſim obtinent latam, qua ratione ab utraque multum differt. Phlomis vulgaris, i. e. Phlomis fruticoſa, Salviæ folio latiore & rotundiore *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 177. foliis quidem noſtræ, ut dictum, ſimilis eſt, at verticillis in ſummis tantum caulibus locatis longe differt. Ceteræ pleræque crebrius verticillatæ ſpecies flores habent coloris a luteo diverſi.

PHYTOLACCA MEXICANA, BACCIS SESSILIBUS T. CCXXXIX. F. 308.

PHYTOLACCÆ VULGARIS FLORES ET FRUCTUS IBID. F. 309. 310.

PHYTOLACCÆ duas ſpecies enumeravit Auctor generis & Inſt. Rei Herb p. 299. nempe Phytolaccam Americanam majori fructu, & Phytolaccam Americanam minori fructu. Quæ an vere ſpecificam differentiam habeant, non immerito dubitatur. Ego non niſi unam ſuſpicor. Aliam vero habemus ſpeciem, natam ex ſeminibus Mexicanis, cujus fructus non tam magnitudine, quam ejus naſcendi more diverſus eſt. Nempe baccæ, quæ in vulgari ſpecie pediculis laxius appenſæ hærent, hic abſque pediculis in ſpicam arcte congeſtæ naſcuntur.

Olim in ollis repoſitæ plantæ erant humiles, pedalem & ſeſquipedalem altitudinem non facile ſuperantes, caulibus ex eadem radice pluribus, non ramoſis, rectis, ſtriatis, rubentibus, in quibus folia brevibus intervallis alternatim naſcebantur ſurrecta, oblonga, dilute virentia, quam vulgaris minora. Singulos caules ſpica terminabat quadrantalis & trientalis, e baccis abſque pediculis denſe naſcentibus conflata. Poſtea in ſolo libero repoſita planta, facta eſt altior multo & ramoſior, caulibus bicubitalibus, craſſioribus (antehac digitalem & pollicarem craſſitiem ad baſim non ſuperabant, nunc duos & amplius pollices verſus inferiora æquabant) dilute virentibus, (ex tereti anguloſis, ſtriatis) in latera brachiatis, foliis majoribus, oblique naſcentibus, ſpicis pluribus tum, ex adverſa foliorum parte ſecundum caulem naſcentibus.

Vulgaris Virginica ſpecies, in fictili repoſita, minor quidem fit, quam in ſolo libero, nec tantopere ramoſa, ſed minor tamen non eſt præſenti ſpecie, & ramoſa ſemper eſt, caulibus lævibus, non ſtriatis, (coloris plerumque, ab imo ad ſummum fere, purpurei) in terra libera longe robuſtioribus, (brachii fere craſſitiem verſus radicem æquantibus) & longe altioribus, ita ut duodecim, & amplius, pedum altitudinem acquirant, foliis majoribus & magis venoſis præditis.

Sed

F. 308.

Phytolacca Mex. baccis sessilibus.

F. 309.

F. 310.

Phytolaccæ vulgaris fructus & flores.



Sed præcipua differentia, ut ſupra demonſtratum, in fructu eſt; nam baccæ vulgaris pediculis inſident ſemunciam fere longis, unde fit, ut fructus laxius cohæreat, racemi ſpecie, & per maturitatem is pendulus fit, cum in hac ſpicæ inſtar erectus & compactus ſtet. In flore etiam differentia eſt, etenim vulgaris flores e petalis nonnihil minoribus & rotundioribus, magis concavis, compoſiti ſunt, colore dilute purpuraſcente præditis, pediculis quartam & tertiam unciæ partem longitudine æquantibus inſidentes, qui pediculi ligulas aliquot anguſtas teneras appoſitas habent; quos flores a vulgari deſumptos ſpecie ſeorſum pro differentia monſtranda, una cum fructu, cum is perfecte a nemine adhuc repræſentatus ſit, Figura 309. & 310. apponere libuit. Hujus vero Mexicanæ ſpeciei ſpicæ floridæ craſſiores ſunt, licet ipſa planta minor ſit, quorum flores ex albido herbacei, ſubinde candidi ſunt, & denſius congeſti naſcuntur, petalis nonnihil majoribus, magis cuſpidatis, magis planis & expanſis, pediculis vel nullis, vel breviſſimis, quibus una tantum ligula ſupponitur, hærentes.

Ceterum utriuſque ſpeciei ſtamina pro petalorum numero duplicata ſunt, nempe decem plerumque adſunt, quæ apices parvos albidos gerunt, mox decidentes. Piſtillum e decem exiguis corniculis embryoni ſtriato inſidentibus conſtat. Baccæ illius octo, novem & decem ſulculis ſtriatæ ſunt, hujus ſtrias pauciores, ſeptem nempe octove, habere viſæ ſunt, compreſſæ & orbiculares, duriuſculæ ab initio, virentes & anguloſæ, per maturitatem læves & molles, nullis, niſi in umbiculo, ſtriis tum apparentibus, colore per maturitatem atro-purpureo reſplendentes. Semina in ſingulis baccis totidem latent, quot ſunt ſtriæ, pulpæ purpureæ immerſa, rotundo-compreſſa, atra, ſplendentia, Amaranthinis ſimilia, in noſtra ſpecie nonnihil minora, in vulgari nonnihil majora, licet ipſæ baccæ majores non ſint.

Folia Belladonnæ ſimilia, venis obliquis prædita, glabra, parte ſupina viridia, prona pallidiora, quorum margines in ſupremis junioribus foliis & ad nervum averſa parte obiter denticulata ſunt.

Utraque ſpecies Julii fine & Auguſto floret, Septembri & Octobri menſibus fructus maturat, qui fructus baccæ ſunt, quarum figura ſuperius deſcripta eſt, intus vero ſucco ſcatent purpureo, laccæ pictorum, quæ ex Coccionella conficitur, æmulo, (utut minus durabili) unde huic generi Phytolaccæ nomen indidit Tournefortius. Figura noſtra ſpicas floridas & baccas ſemimaturas repræſentat, cui ſuperius ſpica baccarum maturarum & ſemina ſeorſum adjuncta ſunt.

Exiſtimavit Plukenetius Alm. Bot. p. 353. ad vulgarem ſpeciem forte referri poſſe, Cuechiliz Tomatl *Hern. Hiſt. Mex. p.* 374. ubi figura eſt rudis, quæ ſi vera Phytolaccæ ſpecies ſit, noſtræ potius, ob pediculorum defectum, quam illi, competit, & ſit per nos eadem planta, donec alia, figuræ magis reſpondens, reperiatur. Quod me dubium facit, eſt linea fructui, vel an flori potius, nondum aperto? tranſverſim, veluti calycem deſignans, appicta. Longe clarior videtur res de planta Japonica, quæ *Sjoriku*, vulgo *Jamma Gobó* inſcribitur, & Planta ſylveſtris, radice rapacea eduli, caule folioſo bicubitali, folio Lapathi, flore ſpicato pentapetalo, ſemine Malvæ ſeminis in modum diſpoſito, vocatur in *Kæmpf. Amœn: Exot. Faſc. V. p.* 828. nam & figura & deſcriptio noſtræ Mexicanæ ſpeciei optime reſpondet. Saltem Auctor in deſcriptione fructus maturi deficit, qui in noſtra vera bacca fit, illi vero ſemina ex atro ſplendentia fungoſæ glumæ involuta

dicuntur. Tamen in figura fructus ſeparatim appictus noſtro fere maturo non diſſimilis eſt. Ceteroquin & hæc & vulgaris ſpecies iſtiuſmodi radices oblongas & craſſas, Carotæ vel Paſtinacæ inſtar, habent, & forte, detracto cathartico ſucco, (de quo vid. Parkinſ. Theatr. Bot. p. 349. ad fin.) eſculentæ ſunt, cum & vulgaris folia juniora Americanis in acetaria recipi relatum habeam, quamvis de baccis ejus res dubia ſit, ceu quæ venenatæ eſſe dicuntur.

PINGUIN T. CCXL. F. 311.

AN BROMELIA PYRAMIDATA, ACULEIS NIGRIS PLUM. NOV. GEN. P. XLVI. T. VIII?

PINGUIN nomine paſſim in Hortis Curioſorum & in Inſulis Anglorum Americanis nota eſt hæc planta, quæ folia, modum naſcendi & faciem cum Anana communem habet, quin & flores non abſimiles ſunt, ſed tripetali & longiores, colore diverſo tincti, fructus autem plane differt; hic enim non compactus, ſed ſegregatus naſcitur, turbinatus, ſubtriquetrus & in tria loculamenta diviſus. Porro corona folioſa, quam Ananas gerit, huic generi deeſt: foliorum aculei rigidiores ſunt, majores & minus, ac in Anana, crebri.

Ceterum folia duos, tres & amplius pedes longitudine æquant, latitudine unciam, ſeſquiunciam & duas uncias implent, concava, per margines aculeis ferocibus, ex fuſco nigricantibus, armata, ſuperne ſaturanter viridia, tenui albicante glaucedine perfuſa, inferne plane incana, ac ſi farina reſperſa eſſent, tenuibus ſtriis, præſertim inferiore parte, ſecundum longitudinem exarata, per margines ciliis albis, maxime juniora folia, obſita; quæ juniora folia, nempe quæ ſcapum ſubter flores ambiunt, colorem etiam diverſum, obſcure nempe rubrum, habent.

E mediis foliis ſcapus exit craſſus, unciali & ſeſquiunciali diametro præditus, teres, brevior & robuſtior, quam Ananæ, minus etiam nudus, dictis foliis rubentibus, ad baſim ſquamatim eum amplectentibus, cinctus, e quo dein ſuperiora verſus aliæ ſquamæ breviores, latæ, membranaceæ, exſuccæ, obſolete albidæ progrediuntur, & ex harum ſinu flores & embryones in ſpicam pyramidatam digeſti naſcuntur, pediculo communi craſſo brevi inſidentes, inferius plures, tres, quatuor & quinque, ſuperius pauciores, gemini & tandem ſolitarii. Embryones autem oblongi & ſatis craſſi ſunt, obtuſe triquetri, quibus calyx connaſcitur, in tres exſuccas lacinias anguſtas diviſus, quo continetur flos, e tribus oblongis petalis carinatis æqualibus, non deciduis, conſtans, embryoni inſidentibus, & ex embryone porro ſtylus ſurgit brevis, albus, trifidus, in tria cirroſa cornicula definens, ſtylum autem ambiunt ſtamina ſex brevia, inferius petalis connata, apicibus tenuibus cuſpidatis albidis terminata. Flores inodori ſunt & petala habent craſſiuſcula, rigida, conniventia, unde tubuloſam potius, quam roſaceam, a Plumiero Bromeliæ generi adſcriptam, figuram referunt. Color ipſis exterius dilute & obſolete purpuraſcens, interius aliquanto ſaturatiore purpura tincti ſunt: embryones autem & ſcapus ex luteolo & virente candicant, & veluti farinam craſſe inſtratam habent.

In Fimetariis Elthamenſibus Majo menſe floruit, fructus dein æſtate ſubnati ſunt, ex ovato turbinati, obtuſe triquetri, carnoſi, ſubhirſuti, & veluti cinerea farina reſperſi, ex glauco vireſcentes, per maturitatem flavicantes, ſaporis acidi.

Seorſum

Pinguin; an Bromelia pyramidata, aculeis nigris Plum.

P. 312.

Quamoclit pennatum, erectum, floribus in thyrsum digestis.

Seorſum figura marginali prima florum faſciculus, ſecunda petalum, tertia ſtamen, quarta ſtylus, quinta fructus integer, ſexta tranſverſim ſectus inciſa ſunt.

Bromeliæ floris apud Plumierum Nov. Gen. p. 46. Tab. 8. deſcriptio & figura noſtræ plantæ reſpondet, ſed fructus figura non æque; hic enim ovatus dicitur & ſubrotundus, non angulatus, inque ſummitate anguſtior pingitur. Karatæ fructus Tab. 33. melius reſpondet, ſed non videtur veroſimile noſtræ plantæ fructum illius inſtar in quatuor partes rumpi, cumque florem dicat & pingat Plumierus monopetalum, quam noſtræ breviorem, eo non retulerim; ſane ſpeciei, quam unam recenſet, nomen noſtræ plantæ non quadrat; vocat autem Karatam foliis altiſſimis, anguſtiſſimis & aculeatis (noſtræ vero folia ſatis lata ſunt) cujus figura in Delineationibus Plumieri deſideratur. At Bromeliæ ſuperius recitatæ figura extat in Delineationibus dictis, quæ in multis accedit, in nonnullis a noſtra planta differt; nempe reſpondet habitus plantæ, & convenit ſpica florum, ſed deſunt ſquamæ flores & pediculos eorum ambientes: folia ceteroquin, quam noſtræ, latiora & verſus extremitatem minus anguſtata videntur. Plumierus, præter hanc, aliam in Novis Generibus recenſet ſpeciem, quam Bromeliam ramoſam & racemoſam, foliis arundinaceis ſerratis, vocat, quibus in Delineationibus addit tertiam, nempe Bromeliam pyramidatam purpuream, foliis imis aculeatis, quarum neutra noſtræ reſpondet, ut, niſi prior ſit ſpecies, diſtinctam ab ipſius ſpeciebus ſpeciem agnoſcere liceat. De eo mihi conſtat, eſſe plantam, quæ vocatur

Ananas Americana ſylveſtris altera minor, Barbados & Inſulæ Jamaicæ noſtratibus colonis Pinguin dicta *Pluken. Alm. p.* 29. *Tab.* 258. *f.* 4. quæ figura ad juniorem plantam minore quantitate facta eſt ſine floribus, nec aliam ejus vel cum, vel ſine floribus iconem proſtare memini.

QUAMOCLIT PENNATUM ERECTUM, FLORIBUS IN THYRSUM DIGESTIS T. CCXLI. F. 312.

QUAMOCLIT hæc ſpecies eximia venuſtate ex ſeminibus in Carolina ulteriore lectis nata fuit, cujus plantæ juniores primo anno numeroſa in orbem ſpargunt folia, Coronopi tenuioris inſtar elegantер laciniata, e quorum centro altero a ſatione anno caulis brevi temporis ſpatio ſurgit rectus, ſimplex, ſeu inferiore parte non ramoſus, in ſuperiori vero parte plures ramuli ſecundum ejus longitudinem enaſcuntur, craſſitie ad baſim culmi frumentacei, altitudine ſeſquicubitali & ampliori, in quo ab imo ad ſummum alterno ordine folia naſcuntur alata, vel pennatim inciſa, Hottoniæ *Boerh.* ſimilia; quæ quo ortui vel imo cauli viciniora, eo latiora, longiora & pluribus ſegmentis diviſa ſunt, quo autem faſtigio magis appropinquant, eo tenuius & parciùs ſenſim inciſa obſervantur.

Caule complementum adepto, faſtigium ejus cum ramis lateralibus in thyrſum panditur florum ex oblongis pediculis pendulorum, coloris peramœne rubelli, exterius quidem ſaturatioris, interius vero, ob maculas albicantes ſtriis purpureis intermixtas, dilutius rubentis & variegati. Ceterum flores, aliorum hujus generis inſtar, dividuntur, calyce in quinque anguſtas lacinias diviſo excepti, e quorum tubo ſtamina oriuntur quinque prominula, ſtylus autem in tria cornicula brevia diviſus

diviſus embryoni inſidet, qui in vaſculum abit membranaceum, oblongo-rotundum, triloculare, a calyce ſeparatum ſeu ei non cohærens.

Quo tempore caulis erumpit, folia annotina & in orbem ſparſa emarceſcunt, & ipſe etiam caulis, quamvis rigidus, brevi poſt floribus evanidis perit. Planta eſt tenera & difficilis culturæ, nam licet e ſemine ſatis prompte naſcatur, paucæ tamen ejus plantæ (e viginti vix una) ad frugem perveniunt.

Floruit olim Elthami Octobri menſe, at floribus præteritis ipſa interiit planta, nec vel e ſeminibus ſuis, vel ex radice denuo reſuſcitari potuit planta. Locis natalibus, nempe in Carolina ulteriore (250. circiter milliaria Anglica trans Carlopolin) locis humilibus arenoſis Junio menſe florere retulit M. Cateſby, a quo ſemina accepimus.

Figura noſtra ramum repræſentat floridum, cui ad ſiniſtram planta junior, ad dextram vero pars caulis inferior, numero vero 1. vaſculum abſque calyce, 2. cum calyce adjuncta ſunt.

RAPUNTIUM VERONICÆ PANNONICÆ FOLIO, FLORE VIOLACEO MINORE T. CCXLII. F. 313.

RAPUNTIUM hoc plures ex eadem radice caules ſeſqui & bicubitales profert, rectos, indiviſos, ſtriatos, virentes, quos folia alterna ſerie veſtiunt, quorum inferiora (num. 1.) ſubrotunda ſunt, ſuperiora vero (num. 2. 3.) ſenſim longiora, ſuprema vero (num. 4.) breviora & anguſtiora fiunt, valde quam obiter per margines inciſa & exiguis denticulis albidis rigidis obſita, viridia, tenui mollique hirſutia tota obſita, Virgæ aureæ Cambricæ, floribus conglobatis, vel & Veronicæ erectiori vel majori latifoliæ, quam Cluſius in Pannonicis p. 618. & Hiſtoria p. 346. primo loco deſcripſit, non abſimilia.

Flores in ſummis caulibus longa ſerie alternatim, ſed confertim, prodeunt, brevibus pediculis inſidentes, calyci, in quinque æqualia ſegmenta diviſo, inhærentes, minores aliquanto, quam violacei vulgaris, ſeu Rapuntii Americani flore dilute cæruleo *Ac. R. Par.* coloris, antequam aperiantur, ex herbaceo albicantis, dein purpuraſcentis, poſtea e purpuraſcente in cæruleum tranſeuntis. In duas partes præcipuas, velut in aliis ſpeciebus, dividuntur flores, inferiorem propendentem, in tria ſegmenta latiora linguiformia diviſam, & ſuperiorem bifidam, anguſtam, erectam, laciniis parte ſuperiore ſeu exteriore tenui villo obſitis, inter quas lacinias rima eſt ad floris uſque fundum decurrens, ceu in aliis hujus generis ſpeciebus contingere ſolet. Stamina e floris baſi ſeorſum naſcuntur quinque, quæ ſummitatem verſus coëunt & in capitulum oblongum nonnihil uncinatum, coloris obſcure violacei, deſinunt; quod capitulum apices efformant in unum nexi, quo ſtylus ſimplex arcte complectitur. Vaſcula bicapſularia plerumque ſunt, tenuibus repleta ſeminibus. Similia vaſcula in Rapuntio Americano, flore dilute cæruleo *Ac. R. Par.* & aliis quibuſdam ſpeciebus, nempe frequentius bicapſularia, quam tricapſularia, me obſervaſſe memini.

Natum fuit e ſeminibus Carolinenſibus. Septembri & Octobri menſibus floruit, cum reliquæ omnes ſpecies jam defloruiſſent.

Rapuntium

F. 313.

Rapuntium Veronicæ Folio, flore violaceo minore.



F. 314.

Rhus Virgin. panicula sparsa, ramis patulis glabris.

Rapuntium Americanum, flore dilute cæruleo *Ac. R. Par.* non tantum floribus, de quibus ſupra dictum eſt, ſed & foliis majoribus, magis glabris & minus frequenter inciſis a noſtro differt.

Rapuntii Americani Virgæ aureæ foliis, parvo flore ſubcæruleo *Inſt. R. Herb. p.* 163. plantam ſiccam habemus a Vaillantio miſſam, a noſtra longe diverſam, cum foliis valde latis, per ambitum inæqualiter ſinuatis, Virgæ aureæ parum ſimilibus, floribus parvis, quam in noſtra, minoribus, quæ ſi, de quo vix dubito, vera Tournefortii planta ſit, eam a noſtra diverſam eſſe conſtat. Vero autem videtur ſimile, noſtræ eſſe eandem, Cardinalem Carolin. cæruleam, folio anguſto dentato Pet. Hort. Sicc. n. 19. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 243.

RHUS VIRGINICUM PANICULA SPARSA, RAMIS PATULIS GLABRIS T. CCXLIII. F. 314.

STIRPS quum primum flores ferret, trium cubitorum altitudinem nondum attigerat, ſtipite cubitali, bipollicari, cortice verrucoſo cinereo tecto, ramos inde brevibus intervallis alternatim emittente, pollicem craſſos, ex tereti nonnihil anguloſos, cæſios glabros, duum cubitorum longitudine, in latera panſos, ut multum ſpatii occupet planta, in quibus ramis folia naſcuntur prælonga, alternatim brevibus intervallis orientia, e pluribus pinnarum conjugationibus compoſita, in inferioribus quidem denis, undenis & duodenis, una impari in extremo pinna ampliore, virgæ cubitali glabræ, ex cæruleo purpureæ, tereti, abſque pediolis annexis, duas uncias latis, palmum & amplius longis, in ſuperioribus vero totalibus foliis ſenis & ſeptenis, pedetentim, quo ſummitatia ppropinquant, anguſtioribus & brevioribus, utrinque glabris, ſuperne ſaturanter viridibus, inferne e glauco albicantibus, per margines in ſuperioribus quidem foliis integris, in inferioribus vero ſerratis. Folia lacerata & rami præciſi lacteum fundunt liquorem, non acrem.

Quum ſex circiter annos planta haberet, rami ejus, tam ſummus, quam laterales Auguſti menſis principio in paniculas ſe laxarunt, ab initio congeſtas virentes, dein ad florum explicationem longe ampliores & magis ſparſas, latitudine dodrantali, longitudine pedali & ampliore, figura pyramidata, e pluribus racemoſis ramulis oblique ſurrectis compoſitas, quarum flores ex luteo virebant, nonnihil odorati, pentapetali, petalis ad mucronem inflexis, quinque ſtaminibus brevibus, apicibus flavicantibus terminatis, prædíti, calyce excepti in quinque anguſtas lacinias virentes ad baſim fere diviſo. Embryones ſubrotundi, ſtylo brevi trifido terminati, thalamo plano croceo inſidebant, qui floribus præteritis mox & ipſi exaruerunt & fructus ſpem præciderunt. Flores tenui pediculo inſident, tres quatuorve eodem pediculo communi hærentes, in muſcaria racematim congeſti. Qui flores ſeorſum & racemus paniculæ, quoniam figura primaria paniculæ eſt junioris, quod adultam Tabula non caperet, appinguntur; nempe figura prima racemus, ſecunda flores de parte ſuperna, tertia de latere, quarta inferne, quinta petalon, ſexta embryo cum ſuo ſtylo exprimuntur.

Vulgare Rhus Virginicum arbor eſt a noſtra longe diverſa, altius nempe aſſurgit, ramis minus patulis, cortice, præſertim ab initio, fuſco villo, cornu cervi junioris inſtar obſito, foliorum pinnis nonnihil anguſtioribus & magis ſerratis, co-

lore minus ſaturo viridi, ſubtus incana lanugine obſitis, cum noſtri folia ſaltem nebula incana, digitorum ope abſtergenda, obducta ſint: flores & ſemina in ſpicam craſſam compacta ſunt.

Hujus procul dubio loci eſt, Rhus Virginianum, ramis ex ſtipite pullulantibus glabris Baniſt. Cat. Stirp. Virg. *Pluk. Alm. p.* 318. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1927. ubi ex obſervatione Baniſteri refert: truncum carpi craſſitiem nunquam ſuperare, pollicis raro excedere: baccas ſapore eſſe ſubſalſo cum pungenti illo acore, qui in Tamarindis ſentitur, mixto. In Cat. Stirp. Virg. Manuſcr. *Bibl. Sher.* legitur, Rhus flore viridi, ramis ex ſtipite pullulantibus glabris, quod noſtræ ſtirpi eo magis quadrat.

RIBESIUM NIGRUM PENSILVANICUM, FLORIBUS OBLONGIS T. CCXLIV. F. 315.

QUONIAM alii, ob ſola folia & radices, nova inſtituerunt genera, quidni, ad ſalvandum Officinis nomen, Ribeſium a Groſſularia fructu racemoſo diſtinguamus?

Cubitalibus autem & bicubitalibus hæc ſpecies aſſurgit caulibus, cortice ſpadiceo tectis, gracilioribus aliquanto, quam Ribeſii nigri folio olente vulgaris, foliis minoribus & in lobos anguſtiores diviſis, Ribeſii fructu parvo *Merr.* foliorum proxime ſimilibus, quæ trita grave quid, Sabinam redolens, ſpirant, minus tamen, quam olentis vulgaris, fœtida percipiuntur, dilutius, quam illius, virentia, multis utraque parte minutis punctis, illius inſtar, notata.

E foliorum faſciculatim alterno ordine naſcentium alis ſingulis ſinguli dependent racemi, floribus onuſti oblongis pallidis, ex luteolo & herbaceo albentibus, in ſegmenta, quam in aliis Ribeſii ſpeciebus, longiora ſurrecta, nec, ut in ceteris, roſacee expanſa, diviſis. Flores autem ventrioſi monopetali ſunt, in ſegmenta duplicata diviſi, quinque nempe exteriora revoluta, & totidem interiora ſurrecta & breviora, juxta quæ e floris tubulo ſtamina oriuntur quinque brevia, apicibus parvis albidis capitata. Stylus parvus in duo exilia cornicula dividitur. Ceterum flores reliquarum hujus generis ſpecierum modo nudi ſunt & ſummo fructui inſident.

Baccæ per maturitatem nigræ fiunt, rariores & ceu in vulgari graveolente ſpecie, minus confertæ, ſimiles magnitudine, figura & colore, niſi quod nebula glauca deſit, Juniperi Alpinæ baccis; oblongi nempe acini ſunt, in quorum pulpa purpuraſcente, odorem vinoſum ſpirante, ſaporem fragorum imitante, duriuſcula & non, graveolentis inſtar, viſcoſa, ſemina latent plurima, parva, ſubrotunda, ſubfuſca, nonnihil rugoſa; quæ baccæ & ſemina ſeorſum inferiori Tabulæ loco expreſſa ſunt, numero primo & ſecundo. Aprili floret. Julio baccas maturat.

Sponte naſcitur in Penſilvania, unde P. Collinſon nactus in Hortum Elthamenſem contulit.

ROSA

F. 315.

Ribesium nigrum Pensylvan. floribus oblongis.



F. 317.

F. 316.

Rosa Carolina fragrans, foliis mediotenus serratis.

Rosa Sanguisorbæ majoris folio, fructu longo pendulo ex N.A.

ROSA CAROLINA FRAGRANS, FOLIIS MEDIOTENUS SERRATIS T. CCXLV. F. 316.

QUINQUENNES & ſexennes hujus plantas Hortus Elthamenſis alit, humiles & duorum pedum altitudinem non ſuperantes, ſtipitibus gracilibus virentibus, rarioribus ſpinis obſitis, qui ramulos emittunt tenues glabros, raro item ſpinoſos, foliis præditos glabris, ſilveſtri vulgari ſimilibus, ſed nonnihil anguſtioribus, e quinque & ſeptem. foliis partialibus compoſitis, quæ id peculiare habent, quod non per omnem longitudinem, ſed paullo ſupra mediam partem ab apice ſerrata ſint, parte inferiore verſus pediculum integra.

Flores in pediculis curtis naſcuntur ſolitarii, quam vulgaris ſilveſtris caninæ, aliquantum minores, magis rubentes & magis odorati, Roſæ Damaſcenæ inſtar ſuaveolentes, e quinque petalis cordatis, ex incarnato rubentibus, verſus ungues ſubpallidis, ſtaminibus albicantibus & apicibus flaventibus conflati, calyce excepti in quinque oblonga cuſpidata ſegmenta diviſo, ex embryone parvo rotundo egrediente. Foliorum pediculi, calycis ſegmenta & embryo tenuibus pilis obſita ſunt. Fructus nobiſcum ad maturitatem nondum pervenerunt, parvi autem erant & rotundi, antequam matureſcerent. Julio & Auguſto menſibus floruit.

Roſæ ſylveſtris Virginienſis *Parkinſ.* deſcriptio nec huic, nec ſequenti ſpeciei quadrat, ut cuivis *Theatr. Bot. Ej. p.* 1017. & *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1473. evolventi patebit.

ROSA SANGUISORBÆ MAJORIS FOLIO, FRUCTU LONGO PENDULO, EX NOVA ANGLIA T. CCXLV. F. 317.

SESQUI & bipedalem in planta ſexenni ſtipites, qui plures ex eadem radice naſcuntur, longitudinem non ſuperabant, tenues & culmum craſſitie non ſuperantes, recti, fuſci, innumeris ſpinis tenuibus & innoxiis, deorſum flexis, horridi, ramuli autem ſpinis deſtituti erant, in quibus ramis folia naſcuntur glabra, tenuibus venis prædita, ſuperne ex glauco viridia, inferne ex glauco albicantia, Sanguiſorbæ majori & vulgari ſimilia, e quinque & ſex pinnarum conjugationibus compoſita, rachi mediæ tenuiter piloſæ adnaſcentia.

Flores ſparſim pediculis brevibus innaſcuntur ampli ſatis, e quinque petalis in medio ſinuatis, pallide incarnatis & diluto rubore, præſertim ad margines, aſperſis, conflati, in quorum centro ſtyli loco capitulum ſedet leniter elevatum, pluribus foveolis, velut in aliis Roſis, præditum, circa quod ſtamina plurima, apicibus flavicantibus terminata, in orbem ſparſa ſunt.

Fructus ſubnaſcuntur longi, penduli, quales non obſervaſſe memini in aliis ſpeciebus, glabri, corallino rubore per maturitatem inſignes. Calyces tenuibus pilis tum obſiti, quando vero floret, lanugine incana per margines fimbriati ſunt, cetera parte læves ſunt & ſpinis carent, quibus & fructus & pediculi carent.

Præcocior eſt aliis ſpeciebus, Majo menſe floret, Auguſto fructus maturat. Nata fuit e ſeminibus ex Nova Anglia delatis. An tam humilis maneat, vel procedente

dente tempore altius aſſurgat, obſervari meretur. Videtur autem de humiliorum Roſarum familia eſſe.

Similis videtur Roſæ ſpinis carenti, flore majore *C. B. Pin. p.* 482. *n.* 14. Verum illius ſtipites ſpinis carere & fructus rotundi dicuntur, contra, quam in noſtra, fit.

Roſa minor rubello flore, quæ vulgo a menſe Majo Majalis dicitur *C. B. Pin. p.* 483. *n.* 10. vel ſolo ſynonymo J. Bauhini a noſtra diſtingui poteſt; Joannis vero nomen eſt: Roſa rubello flore parvo, ſimplici, non ſpinoſa *Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 39.

ROSA SEMPERVIRENS JUNGERMANNI

CLUS. HIST. PLANT. APP. ALT. AUCTAR. *T. CCXLVI. F.* 318.

„ MULTIS, inquit Cluſius, hæc Roſa, cujus ſemina Patavio Joach. Came-
„ rarius Roſæ ſempervirentis nomine miſit, ſtatim a radice luxuriat ſar-
„ mentis flexibilibus & caducis, niſi quis palo ſuſtineat, aut ad parietem ap-
„ plicet; nam non valde craſſa ſunt, ſed lenta, viridia, ſpinis rubeſcentibus, ha-
„ mi inſtar aduncis & mucrone verſus terram converſo, obſita, ut pleraque fere
„ omnia Roſarum genera, eaque alternatim ambiuntur a foliorum alis, ſeptem
„ interdum, ſed quinque utplurimum, foliis præditis, ex adverſo ſeſe ſpectan-
„ tibus: horum duo, quæ latiori alæ ſedi, qua ramum amplectitur, proxima, mi-
„ nora ſunt, bina alia, quæ ſuccedunt, illis duplo pæne majora, quintum extre-
„ mam alam occupans & imparem numerum faciens, omnium maximum: ſingu-
„ la autem a nervo medium folium occupante aliquot venas habent ad folii oras
„ excurrentes: in ambitu ſunt ſerrata, & præ viriditate ſplendent, nec defluunt,
„ ut in aliis Roſis, ſed etiam hieme (licet viridis ille ſplendor aliquantulum mar-
„ ceſcat) permanent, eam ob cauſam Roſæ ſempervirentis nomen illi inditum.
„ Novo vere ex flagellis illis ſive ſarmentis e foliorum alis multi oriuntur novelli
„ rami, ab initio quidem cum foliis nonnihil purpuraſcentes, deinde vero colorem
„ viridem contrahentes, quorum nonnulli ſummo faſtigio ternos aut quaternos
„ gerunt flores, uncialibus gracilibus pediolis ſubnixos, quinque foliis pæne un-
„ cialibus conſtantes, prorſus nivei candoris, e quorum medio plurima ſtaminula
„ prodeunt candida, flavis apicibus inſignita, & inter illa capitellum hirſutum al-
„ bicans. Floris odor ſuavis eſt & ad Roſæ moſchatæ, ſimplicem quinque folio-
„ rum ſeriem habentis, odorem valde accedit; ſed nec ipſius floris forma valde
„ diſſimilis."

Cluſio duodecimo a ſatione anno flores tulit, in Horto Elthamenſi ocyus, quinto nempe, poſtquam e ſeminibus a Patrono Horti in Italia lectis, plantæ natæ erant, anno flores dedit, & ſtipites tum cubitales erant & bicubitales, rarius longiuſque ſpinoſi, e quibus ſarmenta prælonga ſcandentia, teretia, glabra, glauca, ſpinis aduncis longiuſcule diſtantibus armata, naſcebantur, ſpinis in ſarmentis vetuſtioribus cinereis, in junioribus purpuraſcentibus. Folia per margines acute ſerrata, utrinque glabra & ſplendentia, ſuperne ſaturatius, inferne dilutius virentia. Flores, qui Julio menſe apparent, ſatis ampli, petalis oblongis cordatis præditi. Calyces, foliorum & florum pediculi tenuibus pilis obſcure purpurantibus obſiti. Fructus parvi, rotundi.

Ad

F. 318.

Rosa sempervirens Tungerm. Clus.

F. 319.

Rubus Idæus fructu nigro, Virgin. Baniſt.

Ad Roſam ſylveſtrem folio glabro, flore plane albo *J. B. Hiſt. Plant. Tom. II. L.* 14. *p.* 44. i. e. Roſam arvenſem candidam *C. B. Pin. p.* 484. *n.* 17. ſeu Roſam ſylveſtrem alteram minorem, flore albo, noſtratem *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 1471. *n.* 14. *Syn. Ed. III. p.* 455. *n.* 4. proxime accedit, differt totius magnitudine, ſarmentis nempe multo longioribus, floribus & foliis amplioribus, ſempervirentibus, in longiorem mucronem deſinentibus.

Dicitur a *C. Bauh. in. Pin. p.* 482. *n.* 13. Roſa moſchata ſempervirens, & huc referri debet, Roſa ſilveſtris *Anguill. de Simpl. p.* 59. quam *C. Bauhinus* ſub Roſa ſylveſtri vulgari, flore odorato incarnato, perperam locavit in *Pin. p.* 483. *n.* 1. & hujus porro loci ſunt: Roſa ſylveſtris ſive dumetorum, flore candido pentapetalo, Roſæ moſchatæ ſimplici minori cognata *Cup. Hort. Cath. p.* 192. Roſa Myrti folio lucido, candido flore *Ejuſd. Hort. Suppl. Alt. p.* 78. Roſa ſylveſtris ſeu dumetorum ſcandens ſempervirens, Myrti folio lucido, flore albo odorato, fructu parvo, rotundo & hiſpido Cat. Plant. Agr. Flor. *Hort. Piſ. p.* 147.

RUBUS IDÆUS, FRUCTU NIGRO, VIRGINIANUS BANIST. *T. CCXLVII. F.* 319.

QUo nomine recenſetur a *Plukenetio in Almag. p.* 325. cui mea quidem ſententia idem eſt, Rubus Americanus magis erectus, ſpinis rarioribus, ſtipite cæruleo, a *Plukenetio* eodem loco ſeorſum memoratus. Placet autem præ Plukenetiano Baniſteri nomen, quod breviter & habitum plantæ exprimat, & ab Idæo vulgari Rubo concinne diſtinguat. Virgulta enim ipſius ſuopte genio erecta ſtant, & illius inſtar breviora ſunt, minus craſſa, minuſque ſpinoſa, ac vulgaris Rubi ſarmentoſi. Porro foliorum forma Idæo ſimilis eſt, & incana lanugine ſubtus obducuntur. Notat ergo & ſimilitudinem, & a fructu una differentiam indicat Baniſteri nomen. Nec abſonum videri debet, Idæum dicere Virginianum, cum Idæi, ubique naſcentis & hoc nomine noti, appellatio, formæ deſignandæ ergo noſtro adhibeatur.

Ceterum ſtipites poſt quartum quintumve a ſatione annum huic ſpeciei ſunt cubitales & bicubitales, digitum minorem craſſitie fere æquantes, tenuibus frequentibuſque ſpinis obſiti, atro-rubentes, nebula cærulea denſe & velut ſitu quodam obducti, quod præcipue tota hieme conſpicuum eſt: ſtolones e viridi glauci, tenues, in quibus ſpinæ breves, præſertim ad florum & fructuum pediculos.

Flores parvi candidi, petalis in extremitate plerumque bifidis: ſtamina albida, brevia, apices parvos albos, dein e fuſco nigros gerunt: calyces reflexi, pallide glauci. Fructus rariores parvi, ab initio rubri, per maturitatem nigricantes, acinis ad juncturas villo cano, ceu ſitu, obductis, ſaporis dulcacidi non inſuavis, an vero vulgaris Idæi inſtar odorati eſſent, quoniam pauciores ſuppetebant, experiri non licebat. Semina in acinis latent rugoſa, reniformia, quæ ſeorſum inter ramum fructiferum & ramulum floridum expreſſa ſunt.

Folia in eodem pediculo communi terna, magis, quam in vulgari & aliis ſpeciebus, mucronata, per margines ſerrata, & hinc inde angulata, majora nempe folia, ſuperne viridia, inferne ex glauco caneſcentia.

Sponte naſcitur in Virginia & Carolina. Eodem cum Rubo Idæo vulgari, cujus

faciem æmulatur, tempore, Maji nempe initio & medio, ante ceteras Rubi ſpecies floret, & fructum Julio menſe cum illo maturat.

Plukenetius in Mantiſſa p. 164. quærit, an huic idem ſit, Rubus foliis longioribus, ſubtus molli lanugine obductis & incanis, flore & fructu minoribus *Sloan. Cat. Jam. p.* 173. Verum figura in *Hiſt. Jam. Vol. II. Tab.* 213. *f.* 1. noſtro non reſpondet, quia folia habet non angulata & minus acuminata, fructus autem longe crebriores. Præterea Auctor ſuum de Idæi genere eſſe negat.

RUELLIA CAPSULIS TERETIBUS

T. CCXLVIII. F. 320.

„ RUELLIA, inquit *Plumierus Nov. Gen. p.* 12. eſt plantæ genus, flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, „ infimæ floris parti adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum conicum „ membranaceum, ab apice multifariam dehiſcentem, & ſeminibus fœtum ple„ rumque exiguis & ſubrotundis." Obſervandum *Tab.* 2. auctorem vaſcula quadrifariam rupta pingere, inter Delineationes vero ineditas quinquefariam rupta exhibere. Unam vero tantum in *Nov. Generibus* ſpeciem habet, quam vocat, Ruelliam humilem, flore cæruleo, Aſphodeli radice. Vaſcula huic angulosa ſunt, a quibus, cum radices ſpeciebus, quæ adhuc innotuerunt, communes ſint, illam voco, Ruelliam capſulis anguloſis, ad differentiam noſtræ, quæ vaſcula gerit teretia. Quæ vaſcula bifariam tantum in hac ſpecie dehiſcere multiplici obſervatione didici. Ea eadem eſt cum altera ejus ſpecie, in Delineationibus tantum exhibita, ubi Ruellia alia humilis, Aſphodeli radice, Bignoniæ flore cæruleo, vocatur. Sed & illa ſpecies Bignoniæ inſtar formatos flores habet, quare ſupervacuum videtur a flore non minus, quam radice, quæ invicem ſimiliter ſe habent, ſpecificas differentias deſumere. Ceterum in dictis Delineationibus Plumierus unius tantum generis trigeminos flores (ex ſequentibus vero conſtabit nobis duum generum obſervatos eſſe) deſignavit, nempe ampliores illos ſubcæruleos; fecit etiam plantam altiorem, cum geniculis longius ab invicem diſtantibus, & omiſit folia ad radicem naſcentia, floris etiam ſegmenta minus crenata exhibuit. Sed hæc vel accidentalia ſunt, vel ex feſtinatione commiſſa videntur.

Noſtra planta in fictili enutrita palmarem & dodrantalem altitudinem non multum ſuperabat, in ſolo autem libero majorem altitudinem aſſequi credo, cum in Phytophylacio Sherardino pedalem & ſeſquipedalem longitudinem æquantia ſpecimina reperiam, quæ in Horto Regio Pariſienſi creverant. Caules ipſius rigidi ſunt & quadrati, piloſi, nunc virides, nunc ex atro purpuraſcentes, tribus quatuorve geniculis diſtincti, ad quorum baſim plura in orbem poſita folia naſcuntur, & ad genicula contrario ſitu alia inferioribus ſimilia, Primulæ veris figura, ſed minus rugoſa minuſque craſſa, vel potius Plumbaginis foliis ſimilia, nullis pediculis inſidentia, ex anguſtiore principio ſenſim ampliata, integra, leniter cava, extremitatibus latioribus & ſubrotundis, marginibus, in ſuperioribus præſertim, ſinuoſis & undatis, rigida, ſubhirſuta, atro-virentia ſuperne, inferne nonnihil pallidiora, coſta media latiuſcula diſtincta, e qua venæ obliquæ producuntur, pilis hinc inde obſitæ, præcipue coſta media, tam ſuperne, quam inferne.

Inter

T. CCXLVIII. *Ruellia capsulis teretibus.* P. 328.

F. 320.



Inter foliorum conjugationes pediculi naſcuntur e ſingulis alis ſinguli, ab initio breviores, dein longiores, quadrangulares, quorum cymis trigemina, ſubinde bigemina, ſubinde ſolitaria tantum (quoniam nempe quædam deciderunt) innaſcuntur capitula, Speculo Veneris non abſimilia, in quinque filamenta corniculata, qui calyx, abeuntia, in ſe ab initio torta, dein ſurrecta, ad vaſculi nempe incrementum, & tandem ab invicem dehiſcentia, vaſculo nempe dilapſo; quod vaſculum oblongum cylindraceum, cartilagineum veluti bicapſulare eſt, ſemina fundens compreſſa, ſubrotunda, filamentis brevibus rigidis vaſculo annexa, & imbricatim ſibi impoſita. Vaſcula hæc tempore humido, quin & antequam rumpantur, collecta & ſiccata, dein in aquam merſa, cum crepitu in duas valvas diſſiliunt & ſemina ejaculantur, quæ humoris beneficio villoſa & mucaginoſa fiunt, & ad vegetandum hac ratione apta redduntur.

Flos intra calycem, primo, quo ſata erat planta, anno latebat vix prominens, qui mox ex eo velut ejectus prolabebatur parvus, albidus, ſtriis aliquot purpureis notatus in medio, in ſummo vireſcens, monopetalus, tubuloſus, nunquam apertus; ſinguli nempe flores ad baſim turgidiores & ventrioſi ſunt, in fundo ab embryone perforati, in ſummitate ita convoluti, ut ne ſtyli apicem admittant, in quinque, ſi non abſque difficultate explicentur, ſegmenta rotundiuſcula, invicem voluta & ſibi impoſita, diviſi, quibus diſſectis parvi apices, e tubuli lateribus breviſſimis ſtaminibus inhærentes, in conſpectum veniunt.

Florum pediculi minus, ac calyces, ſunt piloſi: pediculi privati ab initio perbreves ſunt, ad vaſculi vero augmentum longiores fiunt, inque ſummitate craſſiores ſunt, quam in baſi.

In figura noſtra numero 1. flos e calyce protrudendus, 2. fere protruſus, 3. 3. calyx cum vaſculo, 4. calyx vacuus vaſculo jam dilapſo, 5. 5. 5. flores ſeorſum integri, 6. idem flos diſſectus, 7. embryo cum ſtylo recurvo, 8. vaſculum cum calyce, 9. idem vaſculum abſque calyce integrum, 10. dehiſcens, 11. & 12. vaſculi valvæ cum & ſine ſeminibus, 13. vaſculum tranſverſim ſectum, 14. & 15. ſemina exempta, 16. ſemen mucilaginoſum & humore intumeſcens ſeorſum exhibita ſunt.

Anno 1728. Auguſto menſe nobiſcum primum floruit hæc planta, orta e ſeminibus Barbadenſibus, *Snap Dragon* nomine acceptis, quod nomen a vaſculorum cum impetu ruptione adepta videtur. Alias Antirrhinum, Anglico idiomate *Snap Dragon*, dici notum eſt.

Sequenti anno Junio & Julio menſibus flores dedit longiſſime differentes, ſubcæruleos, teneros, amplos, longos, tubuloſos, in quinque ſegmenta lata, per margines crenata, ad tubam uſque diviſos, in quibus ſtylus ſimplex & ſtamina hærebant longa, apices albidos oblongos gerentia. Segmenta floris æqualia quidem invicem ſunt, ſed nonnihil inæqualem ſitum obtinent. Flores vel ſolitarii, vel bigemini, vel trigemini e foliorum ala naſcebantur, (trigeminus autem numerus naturalis videtur) ea figura, qua in Tabula ſeorſum num. 17. & 18. appicti ſunt, quibus vaſcula, iis, quæ præcedenti anno poſt minores flores tulerat, ſimilia ſuccedebant. Vaſculi autem membrana in medio non cohærebat, (vid. num. 13.) ut vere bicapſularia non ſint, in quibus ſemina orbicularia, compreſſa. Ceterum eodem tempore minuti illi flores juxta majores enaſcebantur, naturaliter, an ex caloris

caloris defectu, ambigo, & id loco natali potius, quam apud nos ſub frigidiore cælo, determinari poſſe exiſtimo. Caules tum nonnihil longiores genicula longius diſtantia habebant, foliis ad radicem poſitis exaridis, figuræ Plumierianæ ſimiliores.

In Phytophylacio Sherardino, ut ſupra innui, hujus ſpeciei cum floribus minoribus exemplaria ſicca reperio, a Vaillantio miſſa, titulo Nir-Schulli Primulæ veris folio, flore albo, vix conſpicuo. Nir-Schulli vocavit ad imitationem *Horti Malabarici*, in quo *Part. II. p.* 89. *Tab.* 46. *& ſeqq.* ſpecies aliquot deſcribuntur, quæ ejuſdem generis ipſi viſæ ſunt. Quod ſi forent, quod non credo, hujus generis ſpecies, poterat omitti *Nir* vox, quæ, docente Horto Malabarico, aquam denotat, & ſuffeciſſet genericum *Schulli* nomen, ſi quidem placeat peregrinum nomen.

Gentianellam flore cæruleo, integro vaſculo ſeminali, ex humidi contactu impatiente *Sloan. Cat. p.* 52. *Hiſt. Vol. I. p.* 149. *Tab.* 95. *fig.* 1. (ubi folii tantum iconiſmus exhibetur) refero ad Ruelliam humilem, flore cæruleo, Aſphodeli radice *Plum. Nov. Gen. p.* 12. nam in Delineationibus vaſculum ei appingitur anguloſum, & in Hiſtoria Jamaicenſi ſimiliter vaſculum dicitur quadrangulare. Gentianellam vero utriuſque Indiæ impatientem, foliis Agerati, *Snap-Graſs* Barbadenſibus *Pluk. Mant. p.* 89. quam Sloanianæ plantæ nimis ſecure ſynonymam facit Plukenetius, plane diverſam dico. Habemus plantam Plukenetii, floribus & vaſculis gracilibus, foliis minutim crenatis, Agerato non abſimilibus, tum a noſtra inſigniter diverſam, tum cum Hiſtoriæ Jamaicenſis deſcriptione nullo modo conciliandam.

RUELLIA STREPENS, CAPITULIS COMOSIS
T. CCXLIX. F. 321.

AN Ruelliæ vaſcula ſint unicapſularia, vel in loculamenta diviſa, non dicit Plumierus, ſaltem multifariam ab apice dehiſcere ſcribit, in figura autem Novorum Generum Tab. 2. unicapſulare vaſculum pingit. Res ambigua eſt, nam, ut ſupra demonſtratum, quadrifariam in Novis Generibus, quinquefariam in Delineationibus rupta exhibet, nempe apud Ruelliam humilem, flore cæruleo, Aſphodeli radice, quam ſpeciem ſibi tantum innotuiſſe in Novis Generibus fatetur. Poſtea vero aliam invenit, quam Ruelliam aliam humilem, Aſphodeli radice, Bignoniæ flore cæruleo, in dictis Delineationibus vocavit, quæ nobis modo deſcripta & brevitatis diſtinctioniſve gratia Ruellia capſulis teretibus dicta fuit. Hinc conſtat, eum characterem & figuram in Novis Generibus a priori illa ſpecie deſumſiſſe. Obſervo autem in Delineationibus vaſculum anguloſum, in Novis Generibus non angulatum exhiberi. Qui error utrum ad Delineatorem, an ad ſculptorem pertineat, incertum eſt. Mihi illius ſpeciei, quæ anguloſa habet, vaſcula examinare nondum licuit, unde quomodo rumpantur & quomodo interius ſe habeant, dicere non habeo, an vero, ut Plumierus pingit, vere unicapſularia ſint, dubito. De eo mihi conſtat, & præcedentis & hujus noſtræ ſpeciei vaſcula bivalvia tantum eſſe, & membrana intergerina dividi, ita tamen, ut membranæ illæ in medio non coëant, ſed ſejunctæ ſint; unde fit, ut vaſcula inter bicapſularia & unicapſularia ambigant.

Caules

F. 321.

Ruellia strepens, capitulis comosis.

Caules hujus ſpeciei ſunt quadrangulati, obſcure purpurei, ad radicem aliquouſque reclinati, hinc erecti, altitudine dodrantali & pedali, foliis ad genicula cincti adverſis, parte anteriore & poſteriore anguſtatis, in medio latioribus, marginibus ſurſum verſis & in ſe inclinantibus, ut concava efficiantur folia, venis aliquot obliquis, a nervo medio prodeuntibus, exarata. Quæ folia exſucca ſunt & cito exareſcunt, potiſſimum inferiora, ſuntque tam arida, etiam antequam marceſcant, ut contrectata ſtrepitum edant. Tum caulis, tum folia, tum calyces multis pilis obſidentur, ut tota planta hirſuta efficiatur. Radix Tradeſcantiæ *Flor. Jen.* ſimilis eſt.

Flores e foliorum alis naſcuntur, vel ad genicula, vel in ſurculis inde prodeuntibus, ſeſſiles, tres plerumque juxta ſe utrinque poſiti, & eidem communi pediculo, ab initio perbrevi, dein longiori, inſidentes, minores, quam præcedentis ſpeciei, & minus cærulei, monopetali, infundibuliformes, inodori, colore dilutiore violaceo-purpuraſcente, teneri, in quinque ſegmenta ſubrotunda fimbriata, ſubinde non fimbriata, diviſi, ſegmentis invicem æqualibus, ſed nonnihil inæqualem ſitum obtinentibus, duo enim ſuperiora magis reflexa ſunt & reliquis ideo breviora apparent, floreſque, ſicut in præcedenti ſpecie fit, quodammodo bilabiatos efficiunt. Stamina quinque ſunt, & totidem apices albicantes, quæ e florum tubo medio enaſcuntur & ad infundibuli oram tantum pertingunt: ſtylus candidus in duo cornicula brevia in ſummitate dividitur.

Floribus evanidis vaſcula ſuccedunt, ubi virent craſſiora, per maturitatem tenuiora, oblonga, utrinque anguſtata, præſertim baſim verſus, in medio ſubtumida, quam prioris breviora, ceteroquin, illius inſtar, ſemibicapſularia; nam cum membrana, quæ utrinque excurrit, in medio non conjungatur, ſed cavitatem intermediam vacuam relinquat, vere bicapſularia dici nequeunt vaſcula. Semina utrinque locantur tria quatuorve, ſubrotunda, compreſſa. Ceterum flores & vaſcula calyce in quinque oblonga & anguſta ſegmenta ad baſim uſque diviſo cinguntur, qui calyces cum denſe congerantur, & ad vaſculorum maturitatem tenuiores facti implicentur, capitula comoſa efficiunt, cujuſmodi figura marginali prima exhibentur, figuris autem 2. 3. 4. flores aliquot majores, cum in primaria figura minores, qualis & num. 5. quos primis annis, illos vero majores ſequentibus tulit, vario ſitu cum & ſine calyce deſignantur. Apponuntur porro num. 6. & 7. vaſcula recentia cum calycibus integra, 8. & 9. tranſverſim ſecta, 10. vaſculum plene maturum dehiſcens, 11. valvæ, 12. & 13. ſemina, 14. ſtylus cum embryone ſeu vaſculo juniore. Ceterum vaſcula ab initio virent, per maturitatem ex fuſco luteſcunt, cartilaginea, ex humidi contactu dehiſcentia & ſemina membranæ intergerinæ filamentis corneis annexa fundentia orbicularia, compreſſa, fuſca.

Nata fuit hæc ſpecies e ſeminibus Carolinenſibus, & Septembri menſe primum floruit anno 1726. ſequentibus autem annis tota fere æſtate.

Specimen Phytophylacii Sherardini in Carolina lectum hirſutius eſt, quam hortenſis planta, parte præſertim foliorum inferiore, quæ fere incana eſt, flores etiam majores videntur in ſpontanea planta. Aliam ſpeciem ex eadem provincia habet dictum Phytophylacium, cui folia multo minora minuſque hirſuta, flores minores & bini tantum e foliorum alis, quæ dicitur, Ruellia minore folio, floribus gemellis. Et ſic habemus quatuor hujus generis ſpecies.

Ad noſtram hanc referenda eſt Adhatoda Carolin. piloſa, calyce barbato Petiv. Hort. Sicc. n. 20. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 241. Aliis indicta videtur.

Ruellia capſulis teretibus, & Ruellia capſulis anguloſis flores, quam hæc, habent ampliores, magis porrectos, pediculis nempe communibus longioribus inſidentes, & pediculis etiam privatis longioribus, in quibus præter tenues ligulas nulla alia obſervantur folia.

RUSCUS LATIFOLIUS, E FOLIORUM SINU FLORIFER ET BACCIFER T. CCL. F. 322.

PEREGRINA eſt hæc Ruſci ſpecies elegantiſſima, de cujus patria certi quid affirmare non poſſum, ſi vero, quod ſuſpicor, eadem ſit cum Plukenetii & Petiveri planta, cujus ſynonyma infra dabimus, Canarienſis originis eſſe conſtabit. Ea caules ſarmentoſos profert prælongos, duos & plures cubitos æquantes, ab imo ad ſummum uſque virides, inferius digitum & amplius, in medio & ſummitatem verſus culmum craſſos, e quibus longa ſerie, biunciali plerumque diſtantia, alæ naſcuntur palmares & dodrantales, foliis ornatæ ſempervirentibus, lævibus, æquabilibus, egregio virore renitentibus, baſim verſus contracta & Ruſcorum in modum intorta, mox hinc ampliata & extremitatem verſus mucronata, Smilacis Africanæ lucidæ, flore albo odoratiſſimo *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 345. ſeu Aſparagi Africani ſcandentis, Myrti folio *Till. Hort. Piſ.* ſimilia, ſed majora, venis parallelis tenuibus prædita. Sex, ſeptem & octo in eadem ala naſcuntur folia reclinata, alterno ordine ſita, excepta extrema ala, cujus folia ex eodem principio bina egrediuntur. Et licet folia reliqua alternatim poſita ſint, quoniam tamen in utramque partem ſpectant, fit, ut alatorum vel pinnatorum foliorum ſpeciem præbeant. Sarmenta juniora, quæ floreſcentiæ tempore plura emittit, folia, quam figura noſtra monſtrat, anguſtiora, dilutius viridia & magis reſplendentia habent.

Ceterum folia quædam plane integra ſunt, pleraque vero, præſertim ſuperiora, in latiore ſua parte, nempe modo interna, modo externa, ſinum habent, juxta quem ex inferiore folii parte Majo menſe lento gradu globuli enaſcuntur virentes, glomeratim congeſti, qui juſtam magnitudinem (quinque & ſex ſeptimanarum ſpatio) adepti in flores explicantur, quam in aliis Ruſci ſpeciebus majores, in ſex æqualia ſegmenta ad baſim uſque diviſos, nudos, pediculis curtis hærentes, coloris ab initio pallidi, per vetuſtatem dein in luteolum tranſeuntis, odoris nullius, in quorum medio utriculus eſt, cujus extremitas corona farinifera cingitur, e ſex, quantum perſpicere potui, folliculis in orbem connexis conſtructa. In utriculo ſedet embryo ſubrotundus pallidus, capitulo exiguo rugoſo trigono, quod ſtylus, terminatus. Embryo dein in fructum abit & ſequenti anno complementum adipiſcitur, bacca nempe fit rotunda, viridis ab initio, dein ex viridi luteſcens, tandem **** qua continetur ſemen, grande globoſum, corneum. Baccis his ad pediculum floris aridi, velut in aliis Ruſcis, veſtigia adhærent, in ſummitate vero apiculus brevis, acutus, fuſcus (a ſtylo reſiduus) conſpicitur.

Igitur androgyna eſt hæc ſpecies, cum Ruſcus vulgaris mas ſit & fœmina, quædam nempe plantæ fructum tantum, aliæ florem ſaltem ferunt; videlicet utriculus

in

Ruscus latifolius, e foliorum sinu florifer & bacciferus.

F. 322.



F. 323.

F. 324.

Ruscus vulgaris folio ampliore.

Ruscus latifolius, fructu in medio foliorum extra pendente Till.

in floribus maſculis farinam fundit ſpermaticam, in fœmellis vero farina deſtituitur & in ſtyliforme quid deſinit : Stamina in nulla Ruſci ſpecie adhuc obſervavi. Porro licet floribus in æqualia ſegmenta diviſis & e foliorum ſinubus naſcentibus, coronula item illa ſex partita, ab aliis Ruſci ſpeciebus hæc differat, tamen Ruſci ſpeciem feci, quoniam differentiæ iſtæ tantæ non ſunt, ut novum inferant genus.

Seorſum figura marginali prima embryo, ſecunda flos de latere viſus, tertia bacca integra, quarta tranſverſim ſecta exhibentur. Quas baccas anno, quo hæc imprimuntur, obſervare nobis licuit, quum antea per plures annos fruſtra eas expectaſſemus & de genere hujus plantæ dubii fuiſſemus. Nec ſane tum frequentes eæ erant, ſed rariores & ad ſingulos foliorum ſinus poſt tot flores ſingulæ tantum, nec dum maturæ, ſed virentes, ut ſupra dictum. De flore ulterius notandum, eum in petala non reſolvi, ſed vel totum decidere, vel fructui ſubtus adhærentem exareſcere; tamen hexapetali potius, quam monopetali, videntur flores.

Dicitur, credo, Laurus Alexandrina Palmenſis, baccis e crenis foliorum prodeuntibus *Pet. Muſ. n.* 258. ubi notitiam primam hujus plantæ refert ad Jac. Cunninghamum: Laurotaxa epiphyllocarpos crenatis foliis, maxima, e ſingulis foliorum crenis baccifera, ex Inſula Palma *Pluk. Mant. p.* 114.

RUSCUS LATIFOLIUS, FRUCTU IN MEDIO FOLIORUM EXTRA PENDENTE TILL. HORT. PIS. P. CXLIX. *T. CCLI. F.* 323.

RUSCUS VULGARIS, FOLIO AMPLIORE IBID. F. 324.

HOc, ut nomen innuit, plerumque quidem ita ſe, ut in priore ſpecie, habet, ſed non ſemper, obſervavi enim plus una vice & ex interna foliorum parte flores & fructus naſci.

Ceterum media eſt hæc ſpecies inter Ruſcum latifolium, fructu folio innaſcente *Tourn.* & Ruſcum anguſtifolium, fructu folio innaſcente *Ejuſd. Inſt. R. Herb. p.* 79. foliis ab illo longioribus, anguſtioribus & longius mucronatis diſtincta, figura huic magis accedentibus, ſed in eo diverſis, quod longius item mucronata & non æque rigida ſint, quodque lætius vireant & ſplendeant, ligula illa e media folii interna parte, inter quam & folium primarium flores erumpunt, deſtituta. Porro flores, quam in illis, crebriores ſunt & plerumque ex externa foliorum parte naſcuntur. Tuberculum ſquamoſum ſubfuſcum ipſis pro baſi eſt, e quibus dicti flores tanquam e calyce Novembri erumpunt, e ſex petalis teneris anguſtis herbaceis, tribus longioribus, & tribus brevioribus, conflati, ad baſim uſque ſejunctis, ut hexapetali videantur flores, in quorum medio utriculus hæret ſaturanter violaceus, ex triquetro ſubrotundus, qui in floribus maſculis cavus eſt, & e ſummitate farinam ſpermaticam candicantem, glomeruli vellerei inſtar, emittit, in fœmineis vero ſolidus eſt & piſtilli vicem gerit, inque fructum abit rotundum, rubrum. Stamina & apices, præter glomerulum modo memoratum, deſunt his floribus, & ſimiliter ſe habent flores in Ruſco vulgari, naſcunturque & maſculi & fœminini in diverſis individuis. Maſculi brevi pereunt & emarceſcunt, fœminei ad fructus

ctus uſque maturitatem ſubfuſci facti perſtant. Tournefortius dum in Inſt. Rei Herb. p. 79. Auctores calycem floris i. e. ex ſenſu ipſius, petali loco habuiſſe dicit, ipſe potius errorem incurrit, utriculum illum florem monopetalum globoſum faciens, qui in maſculis ſtaminis & apicis, in fœmineis ſtyli munia præſtat & tandem ipſe fructus fit.

Folia in hac ſpecie nullum naſcendi ordinem ſervant, ſuperiora plerumque alterna, reliqua nunc bina, nunc terna, nunc quaterna ex eodem principio naſcuntur. Ligulæ exſuccæ membranaceæ ſubfuſcæ foliorum pediculis adhærent. Rami anguloſi.

Non alienum hoc loco videtur, memorare aliam Ruſci ſpeciem ab Auctoribus quidem animadverſam, ſed non bene obſervatam & diſtinctam: ejus figuram habet *Lobelius Adv. Part. Alt. p.* 509. nomine, Lauri Alexandrinæ legitima & exactior effigies, & *Parkinſonus Theatr. Bot. p.* 700. ubi Laurum Alexandrinam genuinam vocat, & pro ea cum Lobelio habet, a qua tamen diverſa eſt, Ruſco nempe vulgari magis ſimilis, quam illi, folio minore, rigidiore & in acutiorem pungentemque mucronem, Ruſci vulgaris inſtar, producto, floribus ſolitariis, ex interna tantum foliorum parte naſcentibus & pediculis brevioribus inſidentibus. Figuram porro ejus novam dedit *Barrelier num.* 517. Bruſci ſeu Ruſci rotundi folii, ſeu Myrtacanthæ latifoliæ nomine; in *Obſerv.* vero 4. vocatur, Ruſcus aculeatus, rotundiore & ampliore folio, & varietas habetur Ruſci vulgaris, a quo diſcrepare dicitur, foliis amplioribus & rotundioribus. Verum in Horto Elthamenſi juxta vulgarem conſita planta, per multos annos differentiam & faciem a vulgari diverſam ſervavit, minimeque dubium, quin diſtincta ſpecies ſit. Hujus folia tantum cum capitulo ſeu flore nondum aperto, & cum flore explicato, item flos ſeorſum, & ex altera parte Ruſci latifolii, fructu in medio foliorum extra pendentis *Till.* folium cum baccis deſignata ſunt.

SANGUINARIA MAJOR, FLORE SIMPLICI

T. CCLII. F. 325.

SANGUINARIAM cum Morino voco herbam, quæ Chelidonium Canadenſe vulgo nominatur. Ea coliculos primo vere protrudit tenues, teretes, glabros, e ſubfuſco & dilute virente purpuraſcentes, quibus capitula innaſcuntur conica, Leuco-Narciſſo-Lirii ſpecie, e calyce bifolio virente & petalis oblongis candidis compacta, quæ dein pedetentim hiant & petala concava oſtentant, mox radiatim explicantur & petala ex concavo plana fiunt, tandem vero revolvuntur & plana convexaque redduntur, ſtriis longitudinalibus tenuibus exarata. Singuli autem flores naturaliter ex octo petalis, quatuor interioribus anguſtioribus, & quatuor exterioribus latioribus conſtant, e quorum medio ſtamina eriguntur plurima oblonga candida, apices croceos gerentia, & ſtylus inter hæc locatur brevis, craſſiuſculus rugoſus, biſulcatus & denuo utrinque ſtria inſcriptus, embryoni inſidens oblongo glauco, ex tereti compreſſo, qui figuris marginalibus ſecundis, primis vero ſtamina & apices ſeorſum appicta ſunt.

Floribus evanidis vaſcula ſubnaſcuntur membranacea oblonga, ſubteretia, utrinque

F. 325.

F. 326.

F. 327.

Sanguinaria major, flore simplici.
Sanguinaria major, flore pleno.
Sanguinaria minor, flore simplici.



utrinque acuminata, ab initio ex glauco virentia, ad maturitatem flaveſcentia & tandem per ſiccitatem ex glauco purpuraſcentia, utrinque ſtria decurrente notata, ac ſi bicapſularia eſſent vaſcula, diſſecta vero unicapſularia apparent, per maturitatem vero in duas valvas dehiſcunt & ſemina fundunt plura rotunda, lucida, luteſcentia, Milio figura, lævore & colore ſimilia. Hæc figura quinta, tertia vero & quarta vaſcula integra & tranſverſe ſecta ſeparatim exhibentur.

Folia, ubi flores explicationi ſe accingunt, prodeunt ad ſingulos florum pediculos ſingula, ab initio minora, compreſſa & flores eorumque pediculos protegentia, dein majora fiunt & explicantur, inque lobos, Ficus foliorum inſtar, diviſa ſunt, craſſiuſcula, glabra, coloris interne ex ſaturanter virente glauci, externe ex glauco albicantis, crebris venis, externe præcipue conſpicuis, exarata, pediculis ex tereti planis (interne nempe planis & leviter ſulcatis, externe convexis) inſidentia. E ſingulis vero radicibus tria quatuorve folia & totidem flores naſcuntur, quæ verſus baſim ſquamis oblongis, membranaceis, teneris, ſtriatis cinguntur. Ceteroquin radices craſſæ ſunt & carnoſæ, Tormentillæ non abſimiles, tranſverſim poſitæ, e quibus fibræ plures tenues deſcendunt, coloris e croceo rubentis, quæ ſuccum præciſæ fundunt ſimiliter coloratum, amarum & acrem, cujuſmodi liquor etiam e foliis & pediculis foliorum ſtillat, ſed dilutior & minus rubens. Tam radix, quam folia & flores odore carent.

SANGUINARIA MAJOR, FLORE PLENO

T. CCLII. F. 326.

VARIETAS eſt præcedentis, & non alia in re differt, præterquam floribus e pluribus petalis conſtructis.

SANGUINARIA MINOR, FLORE SIMPLICI

IBID. F. 327.

OMNIBUS partibus minor eſt, nempe tam radix, quam folia & flores dimidiam ſaltem illius magnitudinem habent. Porro folia in lobos pauciores & minus profunde diviſa ſunt. Tam hujus folia figuris 6. & 7. quam præcedentium figuris 8. & 9. ea figura & magnitudine, quam, poſtquam defloruerunt, habent, ſeorſum deſignata ſunt, & hujus etiam vaſcula ſeparatim figuris 10. recentia, 11. ſicca, integra & tranſverſim ſecta, 12. vero ſemina exhibentur.
Omnes eodem tempore, Aprilis nempe initio, florent, vaſcula vero & ſemina Junio menſe ad maturitatem perveniunt. Naſcuntur gregatim & multum ſpatii occupant. Sponte autem proveniunt in America, illa quidem in ſeptentrionalibus provinciis, Marilandia, Penſilvania, Nova Anglia, Canada, hæc vero ex calidioribus, Virginia & Carolina, ad nos pervenit, quam flore tantum ſimplici hactenus obſervavi.

Primam primæ & vulgaris ſpeciei deſcriptionem dedit *Cornutus Canad. Plant. Hiſt. p.* 212. ubi Chelidonium maximum Canadenſe ἄκαυλον vocat, licet planta ſit humilis & ipſius obſervatione caule careat. Deſcriptio ejus nimis brevis, nec

ſatis accurata eſt: folia tantum tria adſcribit, ſed ſubinde plura ex eadem radice naſcuntur: odorem radicis viroſum cum ipſo obſervare non potui. Deſcriptionem hanc *Theatro* ſuo *Plantarum* intulit *Parkinſonus p.* 617. ſed male, dum caulem huic plantæ denegat Cornutus, folia pediculis carere, aut breviſſimos ſaltem habere interpretatur Parkinſonus. Porro eandem plantam antea p. 327. Ranunculi Virginienſis albi nomine deſcripſerat, cujus etiam figuram exhibuit *p.* 327. ſed rudiorem, in qua nec flos, nec folia, nec radix eorumque naſcendi modus bene repræſentantur. In qua deſcriptione folia pediculis longis inſidere ſcribit, ſecus ac in deſcriptione Cornuti interpretatur. Sed ignoſcendum Parkinſono, quod plantam ſub Cornuti nomine, quia is figuram non dedit, non cognoverit, condonandus etiam error in generis denominatione commiſſus viro in Herbaria methodo non exercitato, licet fructus ſtructura potuerit eum convincere de diverſitate generis. Ceterum Parkinſonus decim duodecimve flori petala adſcribit; at quæ flore ſimplici eſt, ſi calycis folia annumeres, decem conſtanter habet, quæ vero flores plenos gerit, plura, quam duodecim, petala obtinet.

Paullo poſt Cornutum eandem plantam nomine Chelidonii Americani flore albo recenſuit *Broſſæus in Catal. Hort. Reg. p.* 42. eodem vero cum Cornuto nomine in *Horto ſuo p.* 32. indigitavit *Joncquet*, & *Morino* Sanguinariam dictam fuiſſe refert, quod ſanguineo ſucco turgeat; radix enim præciſa ex croceo rubet & croceo-rubentem ſuccum fundit; quo loco etiam eadem flore pleno ex obſervatione Morini annotatur. Et quoniam planta hæc non tantum petalorum numero & floris figura, ſed & habitu & naſcendi modo a Chelidonia differt, diſtinctum ipſi genus nomenque cum Morino idem adſcripſi.

Moriſonus Hiſt. Oxon. Part. II. p. 257. *n.* 1. ſub Cornutiano nomine & deſcriptione nonnihil interpolata & aucta recenſuit hanc plantam & genus a ſucco & ſiliqua, (quæ tamen cum Chelioniæ ſiliqua prorſus eadem non eſt) approbavit, figuram autem adhibuit Parkinſoni *Sect. III. Tab.* 11. *Ser.* 1. *f.* 1. quam deſcriptionem *Hiſtoriæ* ſuæ *Plant.* intulit *Rajus Tom. II. App. p.* 1887. annotat tamen Anomalis potius ſiliquoſis, quam Chelidoniis ſibi annumerandam videri hanc plantam, quod ſi advertiſſet *Tournefortius in Inſt. R. Herb. p.* 231. Chelidoniæ non feciſſet ſpeciem; flores quidem ejus non tam Cruciformes, quam Roſacei, potius ſunt.

Plukenetius etiam immerito ad Papaver refert & *Alm. p.* 280. Papaver corniculatum ſeu Chelidonium humile cauliculo nudo, flore albo ſtellato, vocat, & contra morem ſuum notat, primo vere erumpere florem & ſubinde folium unum vel alterum, Fici more inciſum: totam plantam luteo turgere ſucco, ad tingendum apto: calidam eſſe & amaram: *Pocan* Indigenis dici; quod nomen & Phytolaccæ vulgari in Colonis Americanis Anglorum tribuitur, ut videatur nomen commune plantis ſuccum coloratum fundentibus. Et hæc ſunt, quæ de hac planta hactenus memoriæ prodita ſunt:

F. 328.
F. 329.
Saxifraga Pensylvanica, floribus muscosis racemosis.
Saxifraga tridact. Groenl. caulic. valde foliosis.



SAXIFRAGA PENSILVANICA, FLORIBUS MUSCOSIS RACEMOSIS T. CCLIII. F. 328.

NOVA plane & major, quam alia quæcunque ex notis hujus generis, ſpecies eſt, quam primum ex Penſilvania nactus nobiſcum communicavit Petr. Collinſon, cui a radice perenni fibroſa folia enaſcuntur plura magna, oblonga, partim ſurrecta, interiora nempe, partim obliqua & nonnihil reflexa, media nempe, partim reflexa & ſuper terram ſtrata, ima nimirum ſeu exteriora, inter Primulæ veris & Auriculæ urſi folia media, figura nempe illi, conſiſtentia & lævore his magis ſimilia, craſſiuſcula glabra, læte virentia & ſplendentia, media præſertim & interiora folia, per margines obiter dentata, nervo medio lato diſtincta, a quo alternatim venæ oblongæ & obliquæ & inde aliæ minores tranſverſæ producuntur, parte ſupina nonnihil protuberantes, prona, ſecus ac in pleriſque foliis contingit, latentes & inconſpicuæ; qua parte folia pallidiora ſunt, ex glauco albicantia, æquabilia, excepta media parte, qua nervus in dorſum protuberat, ſuperiore vero parte vel planus eſt nervus, vel leniter ſaltem, in majoribus nempe & exterioribus foliis, idque verſus baſim, excavatus, coloris ea parte rubentis, cetera e viridi albicantis.

Caulis non ex medio plantæ, ſed juxta interiora folia erigitur craſſus, digitum nempe minorem ea parte æquans, cavus, teres, viridis, inferne piloſus & hirſutus, ſuperne villoſus ad ſeſquipedis & duorum pedum altitudinem in fictili, in ſolo libero altius procul dubio aſſurgens, qui verſus ſui medium ramulos alterna ſerie e ligula foliacea emittit, ſimiliter villoſos, villo tenui rubore, cum inferius pili vireſcant, vel e viridi albicent, aſperſo, in quibus pediculis nunc alternis, nunc, & plerumque, conjugatis, tenui ad baſim ligula præditis, flores naſcuntur plurimi, racematim in muſcaria congeſti, pro plantæ magnitudine parvi, muſcoſi, petala nempe, quæ quina habent, pallide herbacea ſunt, (maculis carentia) anguſta oblonga, ab initio concava & extenſa, dein planiora & reflexa, calyces vero parvi etiam & virides ſunt, in quinque ſegmenta retroflexa diviſi. Embryo in medio flore bicornis eſt, virens, extremitatibus, ceu in aliis Saxifragis, intus denuo inflexis, ad baſim circulo protuberante, calyci cohærente, cinctus, in cujus peripheria ſtamina oriuntur brevia herbacea, pro petalorum numero duplicata, una ſeu eodem tempore orientia, & apices ſubrotundos, ochreo colore præditos, gerentia: Sole ex Tauro ad Geminos tranſeunte floret.

SAXIFRAGA TRIDACTYLIDES GROENLANDICA CAULICULIS VALDE FOLIOSIS T. CCLIII. F. 329.

QUÆ in Alpinis nobiſcum naſcuntur plantæ, eas in campeſtribus planis Septentrionalium naſci, obſervatio eſt a Lobelio olim facta. Sic Angelica & Arnica *Schroed.* vel Doronicum Plantaginis folio alterum *C. B.* quod in Pannoniæ & Germaniæ auſtralis montanis tantum provenit, naſcuntur in campeſtribus Septentrionalis Germaniæ & aliis borealibus provinciis, de quo vid. Sim. Paulli Quadrip. Bot. p. 200. & p. 258. 259. Sic novimus Pirolam, Radicem Rhodiam,

diam, Alſinen Myoſotis face Alpinam, flore amplo niveo repentem Lhwyd. *Syn. Stirp. Brit. Ed. Sec. p.* 208. *n.* 7. *Tert. p.* 349. *n.* 5. Biſtortam Alpinam minorem *C. B. Pin. p.* 192. Saxifragam Alpinam ericoidem, flore cæruleo *Inſt. R. Herb. p.* 253. & Saxifragam Alpinam, floribus compactis immaculatis, i. e. Saniculam aizoidem, ſive Sedum ſerratum, floſculis compactis immaculatis *Raj. Syn. St. Br. Ed. Sec. p.* 213. quæ poſterior planta hactenus Cambriæ ſolius indigena fuit habita, in Groenlandia, locis non multum a mari remotis, nec multum, ut videtur, altis, quæ non petunt, qui oras illas adeunt, provenire; ut non tantum *Frid. Martens Itinerarium*, qui hanc Sempervivum minus dentatum vocat Edit. Angl. *Part. III. Cap.* 3. *Tab. F. fig. A.* illam vero, Plantam Sedo ſaxatili ſimilem *Ibid. Cap.* 6. *Tab. F. fig. C.* antecedentem, Biſtortam ſimpliciter vocat *Ibid. Cap.* 8. *Tab. I. fig. A.* alteram vero Auriculæ muris ſimilem nuncupat *Cap.* 8. *Tab. G. fig. D.* (figuris licet rudioribus) ſed & ipſa harum & illarum plantarum ſpecimina inde nobis alata monſtrant.

His annumerare licet Saxifragæ ſpeciem, cujus nomen ab initio Capitis recenſitum fuit, cujus ſpecimina in Europa etiam lecta in Phytophylacio Sherardino ſervantur. Cauliculi hujus ſpeciei ex radice perenni lignoſa, fuſca, plures naſcuntur, breves, vix duas uncias ſuperantes, craſſiuſculi & plurimis foliolis trifidis undique veſtiti, foliis inferioribus, cum nobis afferretur, aridis, fuſcis & ferrugineis, ſuperioribus læte virentibus, craſſiuſculis, e quorum centro pedioli naſcuntur breves etiam, uno alterove folio prædíti, tres quatuorve flores albidos pentapetalos in ſummitate geſtantes, parvos, aliis Saxifragis, præſertim tridactyliti tectorum ſimiles, petalis integris ſubrotundis præditos. Vaſcula calyci, ut in aliis, connaſcuntur & ſimili more formati ſunt.

Hujus plantæ aliquot exemplaria virentia in ſinu, *Mackel Cow Bay* dicto, Julio menſe cum floribus lecta, attulit Franc. Soldan Chir. quæ in Horto Elthamenſi plantata aliquouſque gliverunt, ſed poſtea perierunt, ob aërem noſtrum temperatiorem gelidarum regionum plantis minus faventem. Ejuſdem plantæ ſpecimina a diverſis Auctoribus bis miſſa habentur in Phytophylacio Sherardino, primo pro Saxifraga tridactylite Alpina pallide lutea *Inſt. R. Herb. p.* 252. & dein pro Saxifraga Pyrenaica, foliis partim integris, partim trifidis *Ear. Inſt. p.* 253. Ego de utroque nomine, an verum ſit, dubito, & potius quæro, an non ſit, Saxifraga Pyrenaica alba minima, foliis dentiſſime congeſtis *Inſt. R. H.* 253. Oportet autem neceſſario nos dubios eſſe, quoniam nullæ harum vel deſcriptiones, vel figuræ recenſentur.

A Sedo Alpino tertio Fr. Gregorii *Col. Ecph. Part. II. p.* 66. 67. plurimum differt: illud cauliculos foliatos noſtræ inſtar non habet, folia oblongiora, minus profunde ſecta in orbem ſparſa ſunt. Differt & non parum a Tridactylite Alpina *J. B. Hiſt. Plant. Tom. III. P. II. L.* 37. *p.* 762. i. e. Sedo tridactylite Alpino caule folioſo *C. B.* ceu cui cauliculi altiores ſunt, foliis rarioribus & tenuioribus veſtiti, florum pediculi longiores, ſecundum ramulos e foliorum alis naſcentes.

SCLAREA

SCLAREA MEXICANA ALTISSIMA, FACIE HELIOTROPII T. CCLIV. F. 330.

AQuatuor & quinque retro annis, quibus e ſeminibus Mexicanis nata, Horti Elthamenſis alumna fuit inſignis hæc planta, flores ob ingruens frigus, quoniam nimis ſero ad eos proferendos ſe accinxit, perficere nequivit, donec tandem hoc, quo hæc ſcribo, anno 1729. in Hibernaculo ſtudioſe repoſita, Novembri menſe plures aliquot flores ad complementum perduxit. Plurimi autem ob tempeſtatem humidam & frigidam deciderant, quos ſi omnes ſervare potuiſſet, magnum plantæ decus addidiſſent; nam colore eleganti violaceo conſpicui valde frequentes in verticillis crebris radiatim naſcebantur, quum antehac in ſpica tenuiore diſpoſiti eſſent calyces, & terni ſaltem eidem pediculo utrinque, medio ceteris longiore, inhærerent, qui, cum rudimenta ſaltem florum oſtenderent, mox a frigore ingruente ſiderati perierunt. Sic per annos aliquot de genere hujus plantæ dubii hæſimus, donec dicto anno flores illi, quos ad juſtam magnitudinem produxit, de Sclareæ eſſe genere teſtarentur.

Calyces immaturi & qui decidere ſolent (vid. figura marginalis 1.) ventrioſi ſunt, aviculæ caput & collum ſub hoc ſtatu quodammodo repræſentantes, in duo tantum latiuſcula, per extremitatem cuſpidata ſegmenta diviſi, ii vero, qui ad florum uſque perfectionem reſtare ſolent, (vid. figuram 2.) rectiores fiunt, oblongi, tubuloſi, in duo etiam labia diviſi, ſuperiori quidem integro, cuſpidato, inferiori vero in duas lacinias minores ſecto, ſtriati, & tenui tam in illis, quam his, villo obſiti, e quibus flores horizontali fere ſitu progrediuntur, oblongo tubulo præditi, hiantes, ſegmento ſuperiori concavo, ex falcata figura fornicatam imitante, nunc integro, nunc & plerumque leviter in faſtigio inciſo, e quo ſtylus prominet in cornicula duo abiens, ſubter ſtylum vero ſtamina locantur (duo tantum obſervavi) apices oblongos craſſiuſculos, ab initio luteolos, dein, farina excuſſa, albidos exerentia, inferius vero labium tripartitum eſt, ſegmentis lateralibus potiſſimam hujus partem conſtituentibus, alarum inſtar pendulis, medio intra hæc locato minore & breviore, in medio leviter inciſo & veluti cordato, ſi ſuper unguem explicetur; quoniam vero ſegmenta ejus lateralium inſtar pendent, cordata illa figura perit. Quæ ut clarius appareant, figura tertia flos ſeorſum, inferiori parte manu explicata, appictus eſt: figura quarta vero ſtamina juniora, quæ tum reflexa ſunt & apices craſſiores gerunt, inque ſui medio ligulas utrinque habent, quibus tubæ floris annectuntur, nam ad baſim libera ſunt & flori non connexa: figura quinta eadem ſtamina perfecta, ubi erecta fiunt & longe longiora, candida, cum ligulis ſuis, quæ clavi inſtar ſtaminibus inſeruntur, ita ut circa has verſari queant: ſexta ſtylus junior, ſeptima adultior ſiſtitur, qui verſus ſummitatem piloſus & bifurcatus eſt, corniculo ſuperiore longiore, violaceus, quo colore & totus flos ſuperbit, inferiori tubæ parte excepta, ceu quæ albeſcit. Ceterum flores pediculis brevibus hærent, & ad ſingulos verticillos binæ ſubſunt ſquamæ foliaceæ, concavæ, virentes, mox ubi decidunt, quod pleriſque accidere ſolet, e fuſco rubentes. Semina non produxit, quorum defectum ſupplet, quod planta ſit perennis, & quod ſtolonibus depactis facile propagetur. Multa gaudet aqua, unde conjicere licet, locis aquoſis naſci in provincia natali.

Ceterum proceritate omnes, quæ adhuc innotuerunt, ſuperat Sclareæ ſpecies, nam ad decem & duodecim uſque pedum altitudinem aſſurgit, caulibus rectis, robuſtis, fungoſo-lignoſis, fuſco cortice veſtitis, verſus baſim pollicem, duos pollices craſſis, immo carpi craſſitiem æquantibus, obtuſe quadrangulis, cujuſmodi & rami ſunt, angulis ſubrotundis, interſtitiis excavatis, unde cannulati fiunt caules & rami. Rami vero adverſo ſitu a medio ad ſummum uſque prodeunt, non admodum crebri, ſurrecti, in quibus ad genicula folia naſcuntur, ab initio propius ſibi admota, dein, ubi floret, longius ab invicem recedentia, ampla, mollia, figuræ inter Parietariæ majoris & Heliotropii folia mediæ, textura tamen, facie & aſpectu ad Heliotropium magis accedente, oblongis pediculis hærentia, ſuperne ſaturanter viridia, inferne ſubincana, venis crebris obliquis exarata, per ambitum crenata, odoris nullius, ſaporis ſubamari & acris.

Eſt in *Hiſtoria Mexicana p.* 382. figura, quæ non parum ſimilitudinis cum noſtra planta habet. Cum valde rudis ſit & imperfecta, ut ſunt pleræque iſtius Hiſtoriæ figuræ, non immerito forſan conjectare liceat, eandem cum noſtra deſignari plantam. *Loquiltic* ibi vocatur, & radix dicitur longa, colore caſtaneo: calyces in juba parum rubere. Hæc forte ex pictura. De viribus nihil traditur, nec quicquam præter hæc.

SEBESTENA SCABRA, FLORE MINIATO CRISPO T. CCLV. F. 331.

SEBESTENA eſt plantæ arboreſcentis genus, floribus monopetalis tubuloſis, in ſex plerumque, ſubinde in quinque & quatuor tantum, nunc plana, nunc & utplurimum reflexa æqualia ſegmenta diviſis, ſtaminibus & apicibus totidem, quot ſunt floris ſegmenta, e floris tubulo ad ſegmentorum baſim enaſcentibus, ſed perbrevibus & vix, niſi apices monſtrarent, conſpicuis. Embryo e calyce naſcitur ſubrotundus, florem perfodiens, ſtylo terminatus ſubdiviſo; nempe in duas ſuperius abit partes, & hæ denuo in duas alias, planas & criſpas verſus extremitatem in vulgari ſpecie, in aliis tenuiores & filamentoſas. Calyx tubuloſus in tria brevia ſegmenta in ſummitate dividitur. Fructus carnoſus officulum continet anguloſum & ſulcatum, in duo plerumque loculamenta, totidem nucleos continentia, diviſum.

Flores in vulgari Officinali ſpecie parvi ſunt, candidi, racematim digeſti, ſuaveolentes, cito marceſcentes, nunc in quatuor, nunc quinque, ordinarie vero ſex, ab initio erecta & nonnihil cava, dein reflexa & aliquantum protuberantia ſegmenta diviſi: fructus oblongo-rotundi calycem inferiori parte retinent & officulum continent rugoſum, Camerario Epit p. 166. teſte, triquetrum, triſpermum. Et hi flores ad dextram figura prima cum calyce, ſecunda ſine calyce, tertia calyx ſeorſum, quarta & quinta embryones & ſtyli repræſentantur, ſuntque depicti a planta, quæ in Horti Elthamenſis Caldario floruit Julio meoſe. In aliis, Americanis nempe ſpeciebus, flores ampliores ſunt & criſpi, inodori, fructus vero majores turbinati, ſeu pyri inverſi figura præditi, in quibus calyces cum fructu augeri & ad apicem uſque pertingere videntur, ut nulla ejus verſus baſim diſtincta veſtigia appareant, & inde genus illud, quod Cordiam inſcripſit, formavit *Plumier Nov.*

F. 330.

Sclarea Mexicana altissima, facie Heliotropii.

F. 331.

Sebestena scabra, flore miniato crispo.

Sebestenæ Officin. flores.



Nov. Plant. Amer. Gen. p. 13. *Tab.* 14. cujus unicam tantum ſpeciem, quam Cordiam Nucis Juglandis folio, flore purpureo vocavit, ſe inveniſſe teſtatur, quæ an eadem ſit cum noſtra, nolim nec affirmare, nec negare. Floris color in noſtra diverſus, nec ſegmenta ipſius repanda, ut Plumierus deſcribit & pingit, ſed plana, eſtque porro tubulus florum in noſtra longior & minus ventrioſus. Obſervo & differentiam apud ipſum Plumierum; nam in Delineationibus ipſius Plantarum Americanarum tubuli florum ſunt minus ampliati, ac in Novis Generibus. Quod autem folia attinet, ea mediis ſeu extremis Juglandis foliis non quidem prorſus diſſimilia, at alata non ſunt, ſed alternata & promiſcua; lævia ſecundum figuram, ſed ſecundum ſpecimen, quod Pariſiis pro Plumieri ſpecie accepit Guil. Sherardus, ea impenſe ſcabra ſunt, longiora multo & magis mucronata, abſque inciſuris, quæ & in Delineationibus deſunt, unde inclinat animus ad credendum, diverſam potius eſſe, quam eandem plantam. Botanici Pariſienſes, apud quos Deſcriptiones ejus ſunt, poterunt rem determinare.

Arbuſcula noſtra hæc ſpecies poſt quartum a ſatione annum erat ſex ſeptemve pedes alta (locis natalibus ad duodecim & quindecim pedum altitudinem creſcere audio) caudice recto, pollicem inferiora verſus craſſo, cortice e fuſco virente & tuberculis pallide fuſcis prædito, veſtito, æquali & non rimoſo, ſubhirſuto, in ramos aliquot ſurrectos pedales & ſeſquipedales in ſummitate diviſo, in quibus folia Sebeſtenæ vulgaris foliis ſimilia, verum admodum ſcabra, & pilis utrinque, ſupina potiſſimum parte conſpicuis, brevibus, rigidis, albidis (præſertim in ſicca) denſe obſita, coloris ſuperne ſaturanter viridis, inferne e viridi albidioris, verſus extremitatem ſinuata modiceque inciſa, latitudine quadrantali & trientali, longitudine palmari & paullo ampliore, vel & minore. Nempe ima ramorum folia minora ſunt & per omnem pæne marginem ſinuata, media ampliora & verſus extremitates tantum inciſa, ſuprema & juniora demum minora fiunt & crebrius acutiuſque crenata ſunt. Quæ folia pediculis inſident uncialibus & ſemuncialibus, ſubteretibus, aſperis, alterna ſerie brevibus intervallis naſcentibus, horizontali plerumque ſitu diſpoſita, modice cava, ſubinde plana, venis aliquot obliquis a medio nervo ductis exarata, unde multæ tranſverſæ procurrunt, quæ non tam in ſuperna, quam inferna foliorum parte conſpicuæ ſunt.

Flores æſtate media in ſummis ramis naſcuntur plures (quindecim vigintive) ſatis ampli & ſpecioſi, regulares monopetali, Mirabilis ſpecie, ſed tubulo minus patente, prædíti, in eo etiam diverſi, quod margines fimbriatos, ſuperficiem autem ſinuoſam ac criſpam habeant, coloris ab initio intenſe ac ſimpliciter miniati, dein ad coccineum & tandem per vetuſtatem ad purpuraſcentem vergentis, odoris nullius, calyce (figura ad ſiniſtram marginali prima) excepti oblongo tubuloſo, in tres breves lacinias in ſummitate diviſo. Ceterum in ſex plerumque, ſubinde in quinque tantum, lata & plana ſegmenta flores dividuntur, tubulo oblongo anguſto ſtriato inferius terminati, e quo ſtamina naſcuntur tot, quot ſunt ſegmenta floris, apicibus craſſiuſculis oblongis flavis terminata. Quæ ſtamina ipſi tubæ linearum extantium aut nervorum inſtar adnaſcuntur, & ſaltem ſubter apices vix ſemilineali diſtantia ab ea abſcedunt. Stylus (figura prima & ſecunda) florem perfodit oblongus gracilis, in ſummo bis bifurcatus, ad baſim vero embryoni (figura ſecunda) inſidet ſubrotundo, qui mox nobiſcum emarcuit, fructus ſiccus autem

tem ex Providentia Insula allatus, pyri inversi figura præditus erat, ea magnitudine, qua (figura tertia) appictus est, e luteo fuscus, cute membranacea donatus, nullo calyce ad basim distincto cinctus, sed eum, quantum ex incisuris aliquot in extremitate judicare potui, connatum habens, qui per medium transversim (figura quarta) dissectus substantiam exhibebat fungosam, officuli calloси, sinuosi & anguloси cavitates replentem, in cujus medio quatuor mihi semina observata sunt, quod an semper ita se habeat, vel potius, cum & Plumierus suam speciem dispermam dicat, & vulgaris Sebestena dispermos tantum sit, accidentarium sit, mihi determinare non licet, cum unus tantum alterve hujus fructus superfit. Ceteroquin Plumierus ab initio carnosum dicit fructum, similiter M. Catesby, qui misit & odore poma æmulari retulit. Mihi & fructus sicci, & flores & folia virentia inodora visa sunt, lignum autem odore lignum Aloës æmulari dicitur & lacrymam fundere odoratam, quæ caussa est, quamobrem in Bahamiensibus Insulis Lignum Aloës vulgo dicatur hæc arbor.

Ceterum folia in Horto eam, qua depicta sunt, figuram adhuc servant; est tamen in Phytophylacio Sherardino exemplar hujus plantæ in Providentia, unde fructus missi, lectum, foliis minus serratis, quibusdam majoribus, quibusdam minoribus præditum, & sunt quædam folia lata subrotunda, non serrata, de eadem, ut videtur, arbore lecta, hinc vero videtur simile, nostræ plantæ eandem, vel saltem varietatem esse ejus, quæ dicta fuit, Caryophyllus spurius inodorus, folio subrotundo scabro, flore racemoso hexapetaloide, coccineo speciosissimo *Sloan. Cat. Jam. p.* 136. *Hist. Vol. II. p.* 20. *Tab.* 164. *Raj. Hist. Plant. Vol. III. p.* 86.

SEDUM HISPANUM FOLIO GLAUCO ACUTO, FLORE ALBIDO BOERH. IND. ALT. P. CCLXXXVII. N. XXVIII. *T. CCLVI. F.* 332.

COLICULOS ex radice tenui fibrosa (perennante tamen) profert plures, palmum altos, ad basim reclinatos, inde surrectos, teretes rubentes, quibus, ubi planta floret, folia adjiciuntur dilute virentia, tenuibus punctis purpureis respersa, oblonga crassiuscula, ex tereti compressa, quæ versus extremos ramulos, subter flores nempe, tumidiora sunt & breviora, latiore basi prædita, obtuse mucronata, alterna serie, velut in aliis Sedis, dispositа & temere cauliculis & ramulis adnascentia : ea vero folia, quæ in plantis junioribus, seu non florentibus, & in surculis etiam quibusdam, in planta florente restantibus, nascuntur, fasciculatim congesta sunt, solentque in plantis non florentibus plures istiusmodi surculi spargi ; quæ folia colorem habent glaucum & nullis purpureis maculis respersa sunt, tenuiora aliquantum quam reliqua, in caule & summis ramulis nascentia, ex angustiore basi leniter dilatata, inde in obtusum mucronem desinentia.

Summi cauliculi in ramulos aliquot abeunt, quibus velut in umbella Junio mense flores innascuntur plurimi, sessiles, stellati, candidi, diluta purpura (a stria purpurea sulcum petali percurrente procedente) aspersi, e senis, subinde septenis, petalis carinatis cuspidatis compositi, quibus totidem respondent siliculæ, stamina vero pro petalorum numero duplicata, apicibus rotundis fuscis capitata. Calyx

T. CCLVI.

Sedum Hirs. folio glauco acuto, flore albido Boerh.

Sedum rupestre repens, foliis compressis.

P. 342.

lyx brevis totidem ſegmenta habet, quot petala ſunt. Ramuli floribus onuſti procedente tempore longius, velut in ſpicas modice reflexas, enaſcuntur. Ceterum tum ramuli hi, tum folia floribus ſubjecta, tum calyces, tum filiculæ, quin & petala externe tenui hirſutia obſita ſunt. Porro folia in cauliculis & faſciculis naſcentia tangenti ſubaſpera ſentiuntur.

Sedum montanum minimum candidum, denſo foliolo purpurante acuto, alternatim ſtellatum *Hort. Cath. p.* 200. huc refero ex Phytophylacii Sherardini auctoritate, in quo habetur ſpecimen, ab ipſo Cupani communicatum, huic ſpeciei reſpondens.

SEDUM RUPESTRE REPENS, FOLIIS COMPRESSIS T. CCLVI. F. 333.

QUONIAM in rupe D. Vincentii prope Briſtolium primum fuit repertum hoc Sedum, ideo hactenus Sedum minus e rupe D. Vincentii dictum fuit, poſtea in Cambriæ rupibus, dictis *Hiſvaë*, Lloydio, & mihi anno 1726. in Chedderenſibus Somerſetiæ rupibus obſervatum fuit, quapropter rupeſtre tantum voco, & foliis compreſſis a Sedo minore luteo, foliis acutis *C. B.* (cujus varietas tantum a Rajo habetur, Sedum minus luteum ramulis reflexis *Ejuſd.*) cui proxime accedit, diſtinguo. Porro folia ſunt breviora & crebriora, ad baſim parte averſa apophyſi quadam, Violæ caninæ calycis æmula, donata, caules autem teneriores ſunt & minus lignoſi, magis provoluti, e quorum parte inferiore ſurculi novi in globulos magis congeſti egrediuntur. Flores ceterum ſimili cum illo modo umbellatim digeſti ſunt, lutei, ſubinde pentapetali, plerumque vero hexapetali (in hortis quidem) quibus totidem, quot ſunt petala, ſiliculæ ſuccedunt; ſtamina vero & apices pro eorum numero duplicata ſunt. Calyces in tot, quot ſunt florum petala, ſegmenta dividuntur, non tamen prorſus ad baſim uſque, ita ut calycis fundus integer remaneat.

Ceterum folia, aliorum Sedorum inſtar, lævia, ſucculenta, avenia ſunt, & baſi ſua abſque pediculo caulibus leviter adhærent, alterna ſerie diſpoſita, ſubinde tamen tam prope ſibi admota, ut bina vel terna ſimul ex eodem principio orta videri queant. Folia in ſpontanea planta nervum averſa parte albicantem habent, qui in culta non apparuit: colore ſunt, inferiora quidem, flaveſcente, cum apicibus rubentibus, ſuperiora vero e viridi glauca ſunt, præ reliquis autem calyces admodum glauci ſunt. Caules inferius rubent, ſuperiora verſus pallide virent, & vel fuſcitatem quandam, vel dilutum ruborem aſperſum habent. Porro caules inferiore parte nudi plerumque ſunt, crebris tuberculis, quæ foliorum veſtigia, prædita, e quibus novi hinc inde ſurculi eo tempore, quo floret, enaſcuntur, quorum folia tam denſe invicem congeruntur, ut globulos ab initio efficiant.

Floret Sole in Cancro & Leone exiſtente. Naſcitur in rupibus, & ramos ſuos ſuper ſaxa ſpargit, Lycopodii inſtar, crebris radiculis e parte eorum inferiore hinc inde dimiſſis. Planta eſt Angliæ peculiaris, nec in aliis regionibus adhuc obſervata. Quodſi naſcatur in Alpeſtribus tranſmarinis, procul dubio pro Sedo minori luteo folio acuto *C. B.* fuit habita & non ſatis acute ab eo diſtincta fuit.

C. Merret primam ejus fecit mentionem in *Pin. R. N. Brit.* Sedi minoris e

rupe D. Vincentii nondum deſcripti titulo. Poſtea *Rajus* memoravit nomine, Sedum minus e rupe S. Vincentii in *Cat. Pl. Angl. Hiſt. Tom. II. App. p.* 1879. *Syn. Ed. Pr. p.* 99. *n.* 3. *Sec. p.* 152. *n.* 3. *Tert. p.* 270. *n.* 3. deſcribere vero omiſit, differentiam a Sedo minori luteo ramulis reflexis *C. B.* nimis ſuccincte narraſſe contentus. *Bobartus Hiſt. Ox. Part. III. p.* 471. *n.* 9. breviter, ſed obiter deſcripſit, vocans Sedum minus luteum, foliis acutis denſius ſtipatis, & caulibus rubeſcentibus: Petiverus Sedum minus Vincentii dixit *Herb. Brit. Tab.* 42. *fig.* 8. quæ figura inepta eſt, floribus ad imitationem Aizoi ſcorpioidis *Lob.* digeſtis.

SENECIO BONARIENSIS PURPURASCENS, FOLIIS IMIS CORONOPI T. CCLVII. F. 334.

QUAM Conyzam cæruleam acrem vocavit *C. Bauhinus in Pinace p.* 265. *n.* 8. eam Aſteris ſpeciem fecit *Tournefortius Inſt. Rei Herb. p.* 481. quem ſequutus fuit *Vaillantius Comm. Ac. Reg. Sc. Ann.* 1720. *p.* 309. *n.* 3. vocans cum Tournefortio, Aſterem arvenſem cæruleum acrem. Quoniam flos figura ab Aſteribus nonnihil recedit, ſed præcipue quoniam calyx diverſus eſt, & quoniam floſculi duplici ſtructura gaudent in hac planta, exiſtimavi olim in *Cat. Giſſ. p.* 154. *& App. p.* 142. poſſe ipſi peculiare genus aſſignari, quod Conyzoides cum *Geſnero* dixi. Ab eo vero tempore viſis & examinatis multis plantarum ſpeciebus, quæ una alterave characteriſtica nota a generibus receptis differunt, in reliquis autem partibus conveniunt, cum nullum novorum generum finem futurum cernerem, ſi minutis iſtis & nimis ſcrupuloſis differentiis annotandis indulgeremus, re melius penſitata, nova genera, quantum fieri queat, evitanda exiſtimavi, cumque calyce cum Senecione multo magis, quam vel cum Aſtere, vel cum Conyza hæc planta conveniat, Senecionis eam ſpeciem cum J. Bauhino nunc facio, & Senecionem integrifolium purpuraſcentem acrem voco vulgarem & Europæam ſpeciem. Eſt enim flos non tam cæruleus, quam potius purpuraſcens, dilutiore nempe purpura tinctus. Nec vero novum eſt, Senecionis florem radiatum obſervari. Nam præter Senecionem incanum pinguem *C. B.* & Senecionem folio integro *Ejuſd.* (quem *Rajus in Cat. Exter. p.* 272. non incongrue Senecionem folio Bellidis vocat, quamvis *p.* 152. ob floris radium Jacobæam etiam vocet, ſicuti & in *Hiſt. Tom. I. p.* 273. ab ipſo factum) item Senecionem montanum *Tabern.* aliæ reperiuntur ſpecies flore radiato donatæ, v. gr. Jacobæa annua Aſplenii folio bituminoſo, & Jacobæa annua Senecionis folio, Fœniculi odore, *Hort. Piſ.* quas Senecioni annumerandas habitus & facies totius plantæ ſuadent, nec eæ eo magis Jacobææ annumerari debent, quo minus Jacobæa flore nudo gaudens, Senecionis fieri debet ſpecies, quicquid videatur aliis, & mihi etiam antehac, Senecionem incanum pinguem *C. B.* vocanti, Jacobæam hirſutam viſcidam, Senecionis folio & facie *Cat. Giſſ. p.* 154.

Præſenti plantæ nomen, quale in frontiſpicio Capitis apparet, indendum exiſtimavi. Ea vero tota facie Conyzæ cæruleæ acri adeo ſimilis eſt, ut, ſi folia inferiora non obſerves, & flores curatius non intueare radiique defectum obſerves, eandem plantam exiſtimes. Quis vero eam vel Conyzæ, cui calyx magis ſquamoſus minuſque cylindraceus, vel Aſteris, cui calyx etiam ſquamatus magiſque

expan-

P. 344.

T. CCLVII.

F. 334.

Senecio Bon. purpur. foliis imis Coronopi.



expanſus, & flos ſpecioſus radiatus, ſpeciem ſtatuere audeat? Nec facie tantum, ſed ſapore etiam acri aromatico, penetrante, Conyzæ illi cæruleæ acri plane ſimilis eſt.

Ceterum paullo altius, ad cubitalem nempe, ſeſquicubitalem, quin & bicubitalem ſubinde altitudinem aſſurgit hæc ſpecies, caule craſſiore & magis ramoſo, foliis imis majoribus & profunde, Coronopi inſtar, laciniatis, capitulis ceteroquin ſimilibus, niſi quod conſtanter radio careant. Floſculi etiam illius inſtar ſe habent, diſformes nempe ſunt; interiores nimirum, qui pauciores, majuſculi ſunt, in quinque, ſubinde in ſex lacinias ſtelliformiter diviſi, utriculo ſaltem farinaceo donati, ideoque pro maſculinis habendi, coloris flavi; exteriores vero, qui multo plures, coronæ inſtar, interiores cingunt, minores & valde graciles ſunt, tantæ exiguitatis, ut an in lacinias diviſi ſint, vix obſervari queat, tubuloſos tamen eſſe, ſtylus, qui ex iis prominet bicornis, monſtrat: hi pro fœmininis habendi ſunt. Utrique quidem ſeminibus inſident, ſed an interiora ſemina, quorum floſculis ſtylus deeſt, fœcunda ſint, dubium videtur. Ceterum ſemina parva gracilia pappo terminantur piloſo, e calyce prominulo, & floſculos pæne occultante.

Figura noſtra ramum ſaltem plantæ exhibet, cum foliis imis utrinque figura 3. & 4. poſitis, quod pro differentia ipſius monſtranda ſatis eſt. Porro floſculi interiores & majores, exteriores item & graciliores exhibentur fig. 1. & 2.

Nata fuit ex ſeminibus circa *Buenos Aires* lectis, & Septembri menſe flores produxit. Folia inferiora primis annis habuit laciniata, ſequentibus in tantum variarunt aliquot ejus plantæ, ut plane integra fierent folia ima, talia, qualia juxta laciniata ſeorſum deſignata ſunt fig. 5. & 6. Floruit etiam maturius, Julio nempe menſe, quoniam ex ſeminibus deciduis ſponte renata fuit.

Si Cacachichit, ſeu Herba amara *Hiſt. Mex. p.* 117. ſit eadem cum Conyza cærulea acri Americana *Pluken.* ut ipſe forte eſſe exiſtimat *Alm. p.* 117. tum ſane noſtra planta ab illa diverſa eſt, nec enim vel figura, vel deſcriptio, quæ extat in Hiſtoria Mexicana, noſtræ reſpondent, quæ præterea non amara, ſed acris eſt; alias nomen Plukenetii non male quadraret.

SENECIO MADRASPATANUS RAPI FOLIO, FLORIBUS MAXIMIS, CUJUS RADIX A NONNULLIS CHINA DICITUR PET. MUS. N. DCLXXX. *T. CCLVIII. F.* 335.

BONUM ſatis nomen plantæ, quam *Paring-Chekka* patrio nomine ex India Orientali tranſmiſit primus *Sam. Brown*, ut conſtat ex *Act. Phil. Num.* 274. *p.* 943. *pl.* 164. " *This, ſays he, we call here* China-root, *but is very dif-*
" *ferent from what you* (Petiver) *deſcribed with prickles. This cured one Mr.*
" Ingram *of a Conſumption, who had lingered many Years, at the* New-Fort.
" *'Tis two foot high, the Root juſt like* China-root. *When I have more Expe-*
" *rience of it, you ſhall hear farther.* Id eſt, hæc planta hoc in loco (Madraſpa-
" tani) vocatur Radix China, ſed longe differt ab ea quam ſpinoſam dicis. D.
" Ingram a multis annis hectica laborans ea curatus eſt in Caſtello novo. Bipe-
" dali eſt altitudine: radicem habet Chinæ ſimilem. Si quid ulterior experientia
" ſuppeditaverit, Te certiorem faciam.

Bene

Bene Petiverus Chinam a nonnullis vocari dicit, veram enim, quæ a Sinenſibus uſurpatur & ex Sina quotannis in Europam affertur, radicem eſſe, nemo credet, qui poſt Garciam & Acoſtam legerit *Kæmpferi Amœnitates Exot. Faſc. V. p.* 781. 782. ſub *San Kira*, vulgo *Quá quara*; ex quibus Smilacis eſſe ſpeciem nullus dubitandi locus relictus eſt. Hanc vero non tantum in Japonia Kæmpferi obſervatione, ſed & in Sinarum regione naſci *Plukenetius* teſtari poteſt, qui eandem plantam Fruticis convolvulacei ſpinoſi Sinici rotundiore nervoſo folio, floribus parvis umbellatis, claviculis ligneis binatim donati nomine *Amalth. p.* 101. *Tab.* 408. *f.* 1. exhibuit.

Noſtra vera Senecionis ſpecies eſt, cui e radice tuberoſa carnoſa, albente, multis tuberculis, unde fibræ deſcendunt, nodoſa, caules naſcuntur cubitales, teretes, culmum craſſi, ſtriati & villo quodam tenui obſiti, quorum faſtigio flores aliquot pediculis oblongis inſident, pro Senecionis reliquarum ſpecierum ratione ſatis magni, nudi, coloris aurantiaci, quorum floſculi duobus corniculis extantibus, quam in aliis ſpeciebus longioribus, prædita ſunt. Barbulæ marginales nullæ. Calyx cylindraceus cannulatus eſt, e ſimplici ſquamarum ſerie conſtructus, cujus baſi ſquamulæ vel ligulæ aliquot anguſtæ ceu in aliis Senecionis ſpeciebus adhærent. Calyx porro hic ſeminibus maturis Senecionis inſtar dehiſcit & thalamum ſeminibus evolantibus nudum poroſumque oſtentat. Semina vero anguſta cylindracea, ſtriata ſunt, pappo piloſo tenui coronata, quæ ſeorſum figura 12. & 13. cum & abſque floſculis appicta ſunt.

Folia ad baſim caulis in orbem ponuntur, ſuntque quæ radici proxima minora & obtuſius ſinuata, reliqua profundius inciſa ſunt, Rapi foliis proxime ſimilia, exceptis noviſſimis aliquot, caulis parti inferiori appo..tis, quæ Taraxaci vel Calcitrapæ potius folia æmulantur. Craſſiuſcula ſunt & ſubpinguia folia hæc, parte ſuperiore coloris obſcurius viridis, inferiore nonnihil pallidiora, glabra, licet levi lanugine utrinque aſperſa ſint, marginibus linea obſcure purpurea cinctis. Folia odorem habent Tuſſilaginis, flores autem graviorem & fere fœtidum ſpirant odorem. Quo tempore floret e radicum tuberculis ſuperioribus novas hinc inde plantulas emittit, & hac præcipue ratione ſe multiplicat. Caules quam in aliis ſpeciebus multo minus ramoſi & foliati ſunt, colore tincti ex viridi obſcure purpureo.

Sole in Cancro verſante multis annis floruit & adhuc viget in Horto Elthamenſi.

De hac *Plukenetius*, a medico, inquit, uſu & ſimilitudine externa, China radix nuncupatur a noſtratibus in India Orientali commorantibus. Vocat autem Hieracio ſimilem Ind. Or. umbellatis floribus, radice craſſa & carnoſa: *Paringe Kekka* Malabarorum *Mant. p.* 102. Sed umbellati flores non ſunt. Senecio Aſiaticus Jacobææ folio, radice lignoſa, China Offic. dictus. *Commel. Cat. Pl. Uſ. Hort. Amſt. p.* 84. *Edit. A.* 1715. *p.* 94. *Ed. A.* 1724. vocatur, & Senecio Sinenſis, folio Dentis Leonis, flore aureo, radice craſſa nodoſa, quæ China Officinarum *Swalve de Chin. Offic.* 17. C. Commelinus ab Andr. Hummel anno 1712. ex India Orientali ſibi communicatam refert. Quo jure Sinenſem vocet Swalve, ignoro; quantum vero a vera Sinenſi & Officinali China diſtet, ex ſupra allatis conſtare puto. Ceterum ad manus noſtras nondum pervenit Swalve Diſſertatio, ut de ejus ſententias minus conſtet, figuram autem Diſſertationi illi deeſſe audio.

SENECIO

F. 335.

F. 337.

F. 336.

Senecio minor latiore folio C.B.

Senecio hirsutus viscidus, grav. col.

Senecio Madrasp. Rapifolio, flor: maximis, cujus radix China *nonnullis* M. Pet.

SENECIO HIRSUTUS VISCIDUS, GRAVEOLENS T. CCLVIII. F. 336.

SENECIO MINOR LATIORE FOLIO, SIVE MONTANUS C. B. PIN. P. CXXXI. *IBID F. 337.*

PLANTAS veteres, quarum notitia imperfecta & dubia, quamvis ſint vulgares minuſque ſpecioſæ, explicare qui inſtituunt, tam mihi videntur operæ pretium facere, quam qui peregrinas novas, utcumque ſpecioſas, deſcribunt. Dabimus hic exemplum plantæ in quibuſdam provinciis admodum vulgaris & neglectæ, cujus notitiam & differentias nec omnibus, nec ſingulis quibuſvis claram fuiſſe exiſtimo. Optimam ejus cognitionem *Cluſio* tribuo: " Jacobæa, inquit " *Hiſt. p. XXI.* Pannonicæ primæ vulgari admodum ſimilis, niſi tota mollior eſ- " ſet, caulem habet cubitalem, ſtriatum, in multas alas inæqualiter diviſum, ſub " quibus folia valde laciniata, mollia & tenella, ſaporis amaricantis & acriuſculi, " odoris non injucundi. Flores in extremis ramis rariores, quam in vulgari, mi- " noreſque & pallidiores, qui maturi in pappum & lanuginem reſolvuntur, cui " ſubeſt ſemen vulgari ſimile. Radix tametſi valde fibroſa, non eſt perennis, ſed " ſingulis annis perit. Tota ſtirps mollibus villis, & pingui quodammodo len- " tore eſt obſita. Creſcit in Pannoniæ & Auſtriæ cæduis ſylvis, præſertim in " *Leytenberg*, plurimum etiam obſervabam in ſylva *Zollonock* Ill. *Dn. de Bat-* " *thyan* oppido vicina, haud procul a Carbonariis fornacibus. Floret Junio, & " ſemine deciduo quotannis ſponte renaſcitur. Quibuſdam Senecio fœtidus di- " citur." Hæc Cluſius, qui figuram omiſit, cujus defectum ramulum tantum & folia aliquot ex inferioribus appoſita ſupplere poſſe confido. Ceteroquin obſervavi locis arenoſis ſterilioribus pedales tantum & ſeſquipedales eſſe caules, locis autem lætioribus, in ſilvis nempe cæduis, cubitalem altitudinem ſuperantes, qui in medio ſui in plures ramos dividuntur, quorum ſummitatibus plures flores innaſcuntur, magis quam in Jacobæa ſparſi, minores, flavi, radio ſemper, quotquot adhuc vidi, donati, ſemifloſculis (ſeorſum figura 1. 2. 3.) cuſpidatis integris, vel adeo levi inciſura præditis, ut vix conſpici queat, expanſis ab initio, dein per vetuſtatem revolutis: floſculi (fig. 4. 5.) parvi ſunt, in quinque exiguas lacinias diviſi, ſtylo exili bifido donati: Semina (fig. 6.) parva cito ad maturitatem perveniunt: calyx Senecionis figura cylindraceus ad ſeminum maturitatem in baſi ſua intumeſcit. Folia Jacobææ inſtar laciniata molli hirſutia undique obſita ſunt, pallide virentia, nunquam, quantum adhuc obſervavi, incana, pinguia & viſcoſa, odoris noſtris naribus non jucundi, ſed graveolentis, Hyoſciami pæne inſtar.

Pluries vidi plantam in Germania ſponte naſcentem, ſerius, quam Cluſius obſervavit, plerumque florentem, circa Julii nempe menſis finem. Inde aliquando ſemina nactus, in Hortum Elthamenſem contuli, ubi læte nata fuit. Eadem plane planta eodem pæne tempore provenit e ſeminibus a D. Richardſon miſſis, quæ lecta ipſi erant prope *Lieth* non procul ab Edinburgo. Rajus in Syn. St. Brit. & in Hiſt. Tom. I. p. 290. n. 2. in arenoſis frequentem occurrere ſcribit, præſertim vero in aggeribus foſſarum paluſtrium in inſula Elienſi valde luxuriare,

cum gravitate quadam odoratam. Mihi aggeres illi nondum perambulati ſunt; non dubito tamen, quin Rajus eandem nobiſcum intelligat ſpeciem. Quæ vero in arenoſis Angliæ paſſim naſcitur, planta eſt huic ſimilis, ſed non eadem. Tota planta minor eſt & minus ramoſa, verſus ſummitatem tantum in ramos diviſa: folia ſunt minora, minus profunde & minus crebro laciniata, verſus extremitatem latiora, ſubhirſuta quidem, ſed non viſcoſa, nec graveolentia, odore tum a viſcoſa, tum vulgari ſpecie diverſo. Flores in ſummis ramulis pauciores naſcuntur & gracilioribus non tantum, quam hujus, ſed quam vulgaris etiam ſpeciei calycibus prædiți, radiati quidem hujus ſpeciei inſtar, ſed ſemifloſculis paucioribus prædiți, parvis valde &, ni bene advertas, vix conſpicuis; qui flores, cum reliqua apud Tabernæmontanum videri queant, figura 337. exhibentur, appictis in margine num. 7. & 9. ſeorſum ſemifloſculis, num. 8. floſculo inaperto, 10. aperto naturali, 11. aucta magnitudine. Vocatur illa ſpecies Senecio minor latiore folio, ſive montanus *C. B. Pin. p.* 131. Figuram ejus non incongruam dedit *Tabernæmontanus Icon. p.* 169. *Hiſt. p.* 445. niſi quod ſemifloſculi nimis crebri pingantur. Aliis Auctoribus indepictus eſt.

Reſtat ut quid tum Veteres, tum Recentiores Herbariæ rei Auctores de hac noſtra priore ſpecie dixerint & quæ nomina tribuerint videamus. Sequemur ductum C. Bauhini, adjiciendo reliquos, qui ab eo tempore ſcripſerunt, auctores. Eſt igitur Erigeron primum *Dod. Gall. p.* 392. primum & majus *Eid. Pempt. p.* 640. 641. Dodonæus in Editione Gallica figuram non habet, in Latina eadem utitur cum Lobelio. Quoniam folia villoſa profunde, Erucæ inſtar, inciſa, graveolentia tribuit, non dubium eſt, quin eandem intelligat plantam. Senecio fœtidus pinguioribus foliis, luteo & ſimiliter pappeſcente flore *Geſn. Hort. p.* 280. Innominata quædam fœtida pinguis, foliis ut Botrys, floribus Senecionis *Eid. Coll. p.* 82. Erygeron tomentoſum alterum *Lob. Hiſt. Belg. p.* 271. *Icon.* 226. Non ſatisfacit figura Lobelii pro hac ſpecie deſignanda, vel videtur potius Lobelius illam, nempe Senecionem minorem latiore folio, ſive montanum *C. B.* repræſentare. Nam folia in extremitatibus ſunt latiuſcula, caules minus ramoſi, calyces graciles, illius inſtar, abſque ſemifloſculis, quibus de cauſſis videor mihi pronuntiare poſſe contra C. Bauhinum ad illam potius montanam ſpeciem Lobelii figuram referendam eſſe. Ceterum Lobelius in deſcriptione nimis brevis eſt; ſaltem dicit folia tenui hirſutia obducta eſſe, & copioſe provenire in Brabantia, præſertim prope Tornacum, circa vepres locis arenoſis. Quæ loca adeunda ſunt & videndum quæ ibi planta naſcatur; fit autem ut credam, illam potius a Lobelio indigitari, quoniam odoris, qui in noſtra ſpecie notabilis eſt, nullam facit mentionem. Jacobæa Pannonica mollior *Cluſ. Pann. p.* 572. Jacobæa Pannonica prima *Eid. Hiſt. p. XXI.* cujus deſcriptio ſupra recenſita fuit. Senecio fœtidus Dalechampii *Lugd. Tom. I. p.* 576. *Gall. Tom. I. p.* 487. cujus deſcriptio melius, quam figura, reſpondet, dempta radice, quæ lignoſa dicitur, & foliis, quæ atrovirentia dicuntur. Caules enim nimis breves non ramoſi, aphylli, ut videtur, exhibentur, folia in ſegmenta juſto latiora & minus profunde diviſa exhibentur, Matricariæ nimis ſimilia. Erigeron fœtidum ſeu majus, odore gravi ac bituminoſo, foliis attactu quodammodo reſinoſis *Thal. p.* 40. Senetio major, Floris Jacobæi ſpecies, magis tamen, quam vulgaris, foliis laciniatis *Cam. Hort.* Erigerum

tomentoſum

tomentoſum *Ger. Em. p.* 279. Johnſonus adhibet figuram Lobelii, deſcriptionem retinet Anteceſſoris ſui, quæ eſt Erigeri tertii *Dod. Gall.* Ignarus Botanicus Gerardus admiſcet deſcriptioni illi *folia Jacobææ*, de quibus nil apud Dodonæum. Emaculator gravius errat, alienam figuræ deſcriptionem jungendo. Senecio incanus pinguis *C. B. Phytopin. p.* 218. *Pin. p.* 131. Jacobæa hirſuta & pinguis *Eid. Phytop. p.* 219.

Hæc ſunt Synonyma veterum Auctorum a C. Bauhino memorata, quibus mea ſententia addi debet, Matricaria ſilveſtris in ſilvis cæduis, flore intus & foris melino, poſtquam defloruit in pappos, inſtar Senecionis, abeunte, folio diſſecto cinerei coloris *Trag. Libr. I. Cap.* 50. *p.* 156. Matricaria ſilveſtris flore toto luteo *C. B. Pin. p.* 134. Bonus Caſpar neſciens plantam formavit nomen ex deſcriptione Tragi, ad quam totam non attendens, vel ignorans Matricariæ flores in pappum non abire, Matricariæ fecit ſpeciem. Cœcum ducem ſequuti *Horti Lugd. Batavi*, *Hiſtoriæ Oxonienſis* (*Part. III. p.* 32. *n.* 1.) & *Inſtitutionum Rei Herb.* (*p.* 493.) *ſcriptores*, in foveam inciderunt, recitando C. Bauhini nomen & Matricariæ ſpeciem bona illius fide faciendo plantam incognitam.

Ex Auctoribus, quorum ſcripta poſt Pinacem prodierunt, primus ſit *J. Bauhinus* cui *Hiſt. Pl. Tom. II. L.* 24. *p.* 1042. Senecio hirſutus viſcidus, major, odoratus dicitur. Figura ipſius eſt ex emptitiis, quam ſibi ipſi minus placere dicit. Ea loco Senecionis vel Erigeri vulgaris exhibetur a *Chabræo Sciagr. p.* 325.

Sequitur *Parkinſonus*, cui Senecio fœtidus dicitur *Theatr. p.* 641. Lugdunenſis Hiſtoriæ inſtar, cujus figura utitur: deſcriptio eſt partim ex dicta Hiſtoria, partim ex Cluſio & aliis conſarcinata. *Muntingius Cult. p.* 609. Senecionem vulgarem majorem dixiſſe videtur & *Wheel. Itin. p.* 221. Senetium lanuginoſum *Merch. Rajus Hiſt. Tom. I. p.* 290. *n.* 2. idem cum J. Bauhino nomen & deſcriptionem habet. Quæ de Synonymis habet attendi non debent; Senecio enim hirſutus *C. B.* ſeu Erigerum tertium *Dod. Pempt.* 641. toto genere differt, & ad Planipetalas lacteſcentes flore ſemifloſculoſo pertinet, quod vel ex figura conſtare poterat. Senecio Atticus vulgari ſimilis, folio pingui & incano, flore petalis fere inconſpicuis radiato *Pluk. Alm. p.* 342. *Mant. p.* 117. Senecio incanus pinguis C. B. *Hiſt. Ox. Part. III. p.* 106. *n.* 2. Senecio viſcidus major & odoratus, foliis Jacobææ *Sect. VII. Tab.* 17. *fig.* 2. *ſerie* 2. Quæ figura imitamentum eſt Lobelianæ, deſcriptio autem eſt J. Bauhini, ſed perperam interpolata. Quamvis enim folia Jacobææ non ſint diſſimilia, tale tamen J. B. non habet, nec is flores petalis radiantibus deſtitui dicit, quod hic contra rei veritatem adjicitur. Nec credo ab hoc diverſum eſſe, Senecionem hirſutum foliis latioribus *Ibid. ſub num.* 3. breviter deſcriptum. Jacobæa viſcoſa & hirſuta *Flor. Jen. p.* 165. Jacobæa hirſuta viſcida, Senecionis folio & facie *Cat. Giſſ. p.* 154. Jacobæa incana viſcoſa, annua, Senecionis folio *Vaill. Comm. Ac. Reg. Sc. A.* 1720. *p.* 297. *n.* 18. Sed proprie incana non ſunt folia, melius J. Bauhinus nonnihil incana dixit. Ob totum autem plantæ habitum Senecioni annumerari debere hanc ſpeciem jam exiſtimo. Lubricum quidem eſt & difficile certas & evidentes dare differentias, quibus Senecio & Jacobæa diſtingui queant, præter habitum & faciem externam, videntur tamen hæc certitudinis ſpeciem habere: ſi nempe calyx ſit gracilior ab initio, dein vero ad ſeminum maturitatem verſus baſim turgeſcens, Sonchi inſtar, qui

ſeminibus

ſeminibus evolantibus deorſum flecti & in multas lacinias findi ſolet, reſtante thalamo nudo poroſo, Taraxaci inſtar. Cui notæ addi poteſt, quod flores minores ſint, quorum ſemifloſculi nunquam Jacobææ ſemifloſculorum magnitudinem aſſequuntur.

SENNA LIGUSTRI FOLIO PLUMIER. CAT. PLANT. AMER. P. X. *T. CCLIX. F.* 338.

CAULE, quum primum floreret, erat ſex ſeptemve pedes alto, quam altitudinem ſequentibus annis, (nam perennis planta eſt) non multum ſuperavit, digitum minorem craſſitudine vix ſuperante, leniter anguloſo, ab imo ad ſummum multos ramos profunde ſtriatos emittente, in quibus alæ alterna ſerie oblique ſurrectæ & quoquoverſus diſpoſitæ naſcuntur, foliis incerto numero pinnatim veſtitæ, nunc ſeptenis utrinque, nunc octonis, nunc ſenis tantum, ſeptenarius tamen numerus videtur eſſe frequentior. Quæ folia, inſtar aliarum quarundam Leguminoſarum, id peculiare habent, quod occidente Sole demittantur, oriente denuo erigantur, ſub meridiem vero plane expanſa ſint & horizontalem ſitum occupent; quam motus viciſſitudinem a Val. Cordo in Glycyrrhizæ deſcriptione Hiſt. Plant. L. II. C. 156. primum accurate obſervatam memini. Foliorum alæ & caules ſuperiores leni quadam, ſed vix conſpicua lanugine obſidentur, quæ lanugo etiam in foliorum marginibus & averſa eorum parte obſervatur, ſuperiore autem parte folia glabra ſunt & ſplendentia, coloris in junioribus læte virentis, in reliquis grandioribus ſaturanter viridis, inferne vero pallidioris. Ceterum folia, quæ inferiorem alarum partem occupant, reliquis breviora eſſe ſolent.

Flores in ſummis caulibus naſcuntur plures, ab initio congeſti, dein laxius diſpoſiti, lutei, pentapetali, petalis tribus ſuperioribus nonnihil majoribus, (medio leviter inciſo) duobus inferioribus nonnihil minoribus, inæquali ſitu expanſis, ſed eadem figura prædítis, qui tamen pro irregularibus haberi vel ideo poſſunt, quod ſtamina & ſtylus etiam irregulariter formata ſint & diverſum ſitum obtineant; ſtylus enim incurvus eſt & ſurſum inflexus, cui ſtylo duo adſtant ſtamina majora, apices longiores falcatos gerentia, ſubter hæc vero ſtamen & apex brevior, minus incurvatus, locatur, vix conſpicuus, ad ſuperiorem vero floris partem tria alia ſtamina hærent brevia, apices breves planos latiuſculos bracteatos geſtantia, inter hæc vero & illa in medio flore duo utrinque eriguntur ſtamina brevia, apices oblongos rectos ſibi incumbentes ferentia, in extremitate perforatos & ſtria per dorſum decurrente ſulcatos. Quæ partes ut melius cognoſcantur, ſeorſum cum floribus appictæ ſunt, nempe figura prima, ſecunda & tertia in floribus, qui toti lutei ſunt, ſtriis parum conſpicuis prædíti, petalis ab initio concavis, dein reflexis, potiſſimum autem ſuperiora præ inferioribus retroflecti ſolent: figura quarta detractis petalis cum calyce, qui e quinque foliolis luteo-virentibus, invicem æqualibus, concavis conſtat, exhibentur: figura quinta ſtamina ſuperiora brevia, apices tenuiores bracteatos, coloris pallide flaveſcentis, marginibus per vetuſtatem ſubfuſcis, gerentia: figura ſexta ſtamina quatuor media cum apicibus rectis, ſeptima eadem ſejuncta: figura octava ſtamina inferiora majora cum apicibus ſuis falcatis repræſentat, qui apices reliquis etiam craſſiores ſunt & farinam continent

ſperma-

F. 338.

Senna Ligustri folio Plumier.

F. 339.

Senna foliis Mimosæ, siliqua hirsuta.

ſpermaticam, cum ſuperiores & medii etiam in hac ſpecie ea deſtitui videantur: figura nona ſtamen imum ſubter majora illa poſitum eſt, cui apex incurvus gracilior & farina pauciore donatus inſidet: figura decima embryo falcatus ob oculos ponitur. Igitur flori pentapetalo ſtamina reſpondent duplicata, decem nempe.

Siliquæ ſubnaſcuntur tenues ab initio & incurvatæ, dein rectiores, planæ & compreſſæ, latitudine unciali, longitudine biunciali, aut paullo longiore, ut monſtrant Delineationes Plumierianæ, e quibus eas iconi noſtræ, num. 11 & 12. quoniam nobiſcum nondum maturuerunt, adjeci.

Folia & flores odorem ſpirant ſubfœtidum, cui piperini quid admixtum eſt.

Naſcitur in Providentia & aliis Inſulis Americanis calidioribus. Nunc ſero, ſub Auctumni finem, nunc æſtate, ſubinde vere nobiſcum floruit.

In *Inſt. R. Herb. p.* 619. idem, quo Plumierus utitur, adjecta tantum patria, nomen, nempe Senna Americana, Liguſtri folio, legitur.

SENNA MIMOSÆ FOLIIS SILIQUA HIRSUTA T. CCLX. F. 339.

AD tricubitalem & majorem altitudinem aſſurgit, caulibus rectis, viridibus, digitum ad baſim craſſis, pluribus ex eadem radice naſcentibus, qui in plures ramos oblique ſurrectos abeunt, glabros, virentes, ſtriatos & obtuſe anguloſos, pilis pertenuibus hinc inde obſitos, cujusmodi pilis & florum foliorumque pediculi, ut & perianthia, foliorum item margines, ſed vix in his conſpicuis, obſita ſunt. Ceterum octona plerumque, ſubinde nona, ſubinde ſena tantum foliorum paria in eodem pediculo naſcuntur, oblonga glabra, Mimoſæ latifoliæ, quæ Æſchynomene ſpinoſa prima, ſive latifolia Braſiliana, ſiliquis radiatis *Breyn. Cent. Exot. p* 31. foliorum figura, ſuperne ſaturatim e glauco virentia, inferne pallidiora, ex albo glauceſcentia, oriente Sole ſeſe explicantia, occidente ſe contrahentia, idque non tantum ſerena, ſed pluvia etiam tempeſtate. Verſus foliorum pediculorum baſim globulum in hac ſpecie obſervavi lucidum, ad alas vero tenuis utrinque ligula appoſita eſt.

Flores e foliorum ſuperiorum pediculorum alis eidem pediculo communi innaſcuntur plures, ab initio, antequam capitula aperiuntur, penduli, dein ſurrecti, pentapetali, petalis, quam in aliis ſpeciebus, anguſtioribus, leniter concavis, ſibi invicem æqualibus, aut ſaltem vix magnitudine differentibus, ſed ſitu inæquali diſpoſitis; nam duo inferiora in medio, quo ſtamina inferiora propendent, hiatum committunt & longius ab invicem diſtant, quam tria ſuperiora. Ceterum florum petala ſtriis carent, & colore ubique eodem, luteo nempe, prædita ſunt. Calyces quinquefolii luteſcunt etiam ubi flores explicantur, ab initio vero e luteo vireſcunt

Stamina duum, vel trium potius, ſi poſteriora pro talibus habenda, generum ſunt: inferiora tria incurvata propendent, longiora & craſſiora, apicibus longioribus, ſurſum incurvatis, dentis aprini figura prædita: (horum inferius & medium reliquis lateralibus nonnihil brevius eſt;) media quatuor ſunt, (duo utrinque) breviora & ſurrecta, quibus apices inhærent tenuiores & breviores, verſus embryonem falcatum oblique nutantes: pone hæc, in ſuperiore nempe parte, ad petala ſuperiora alia tria corpuſcula brevia tenera, bracteata, baſim verſus angu-

ſtata, in medio latiora, in ſummo obiter ſinuata juxta ſe ſtant; quæ ſtamina abortiva, nam apicibus carent, videntur, ut floribus pentapetalis ſtamina duplicata reſpondeant. In Senna Italica duplicata etiam memini obſervaſſe ſtamina, &, ſi bene recordor, ſtamina tria ſuperiora apicibus gaudebant. Toti flores, petala, perianthia, ſtamina & apices luteum habent colorem, niſi quod apices per vetuſtatem fuſci fiant, & quod ſtamina illa nana mox margines ſubfuſcos acquirant. Embryo ſeu ſiliquæ rudimentum inter ſtamina tria inferiora falcata figura locatur; eſt vero viridis incana lanugine obſitus, quæ lanugo in hirſutiam viridem dein tranſit.

Embryo figura prima, ſecunda ſiliqua ea magnitudine, quam nobiſcum adhuc adepta eſt, (plerumque vero decidunt antequam ulterius provehantur) figura tertia ſtamina & apices, quarta ſtamina nana ſeorſum appicta ſunt. Figura quinta folium majus, cujuſmodi ſunt in ramis inferioribus, exhibetur. Ceterum ſiliqua illa provectior mediam videbatur maturitatem aſſequuta, & compreſſa erat, viridis, tenuibus ſepimentis diſtincta, pilis oblongis obſita.

Sole Virginem tenente quotannis floruit Elthami tam in ollis, quam in ſolo libero, novos ſingulis annis ſtolones ex eadem radice protrudens, qui ſtolones licet ſero, ſub æſtatem nempe, erumpant, citatim tamen creſcunt, ut mox inſignem altitudinem acquirant, & floribus onuſti conſpiciantur.

Eſt in *Plukenetii Alm. p.* 342. Senna ſpuria Virginiana, ſiliquis hirſutis, rotundifolia *D. Baniſter*. Sed noſtra folia oblonga habet; tamen cum ea obtuſiora multo ſint, quam Sennæ Alexandrinæ, conſiderandum & ulterius obſervandum, an noſtra hæc per nomen illud non indigitetur. Mihi quidem alia rotundiore folio ex Virginia nondum innotuit. Ceterum non tantum in Virginia, ſed & Carolina ſponte naſcitur hæc ſpecies.

DE SERRATULIS IN GENERE, ET DE RHAPONTICI ET RHAPONICOIDIS *VAILLANTII* GENERIBUS.

„ RHAPONTICUM eſt plantæ Capitatæ, quorſum enim Cynaro cephalacea-
„ rum appellatio? genus, flore ex floſculis nunc coronatis, ſed ejuſdem
„ magnitudinis, nunc non coronatis, conſtructo, cujus ſemina in quibuſdam ſpecie-
„ bus nuda ſunt, in aliis vero vel pilis, vel plumis coronata, in thalamo piloſo
„ recondita: calyx ſquamoſus e ſquamis componitur non ſpinoſis, quarum oræ,
„ cochlearis inſtar, excavantur, integræ, vel parum ſaltem inciſæ, aridæ & at-
„ tactu ſonoræ. Rhaponticoides flores obtinet Rhapontici prorſus ſimiles: ſe-
„ mina piloſa, in thalamo piloſo recondita: calycem non ſpinoſum, cujus ſqua-
„ marum extremitas integra & ejuſdem fere conſiſtentiæ cum baſi: in quibuſdam
„ ſpeciebus ſquamas in lingulam mollem produci," narrat *Vaillant Comment. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1718. *p.* 175. & 177. Videtur igitur hujus generis a priori differentiam a calyce præcipue deſumere, ſquamis nempe in medio, ubi abſcedunt, non anguſtatis, nec cochlearis inſtar in extremitate formatis, unde magis appreſſas concludere licet & non ſonoras.

Ego

P. 353.

T. CCLXI.

F. 340.

Serratula Carolin. Virgae Pastoris folio.

Ego quidem hæc genera lubens admitterem, ſi cetera reſponderent, cum notæ a calyce deſumptæ ſat bene ea a Jaceæ & aliis cognatis generibus diſtinguant. Exiſtimo autem ſemina nuda & pappoſa, pappum piloſum & plumoſum hic confundi, quæ differentiæ ipſi pro aliis novis generibus formandis ſufficiunt, v. gr. ad Polyacantham & Cirſium ab Onopordo & Carduo diſtinguenda. Quod vero in uno licet genere, cur non & in altero? Rhapontico quidem humili, capite magno ſtrobili *Vaill.* pappus plumoſus eſt, cum aliis piloſus tantum ſit, & Rhapontico pratenſi Jaceæ folio & facie, flore purpureo coronato *Vaill.* ſeu Jaceæ nigræ pratenſi latifoliæ *C. B.* itemque Rhapontico pratenſi anguſtifolio *Vaill.* i. e. Cyano repenti anguſtifolio *C. B.* ſemina ſunt nuda, quæ aliis pappoſa obſervantur, flores autem e floſculis conſtant diverſæ figuræ & magnitudinis, i. e. floſculi exteriores ſteriles ſunt, non ventrioſi, in longiores, quam interiores, lacinias diviſi & ſtructura ab illis diverſa donati. Præterea, calyce dempto, reliquis partibus & tota facie Jaceæ adeo ſimiles ſunt poſteriores duæ ſpecies, ut vix diſtingui queant, fueritque ideo Jacea cum ſquamis cilii inſtar piloſis *J. B.* quæ Jacea Auſtriaca ſexta *Cluſ.* pro Jacea nigra pratenſi latifolia *C. B.* habita a Rajo in Synopſis Stirp. Britann. Edit. prima & ſecunda.

Nec melius cohærere videtur Rhaponticoidis genus, nam Rhaponticoides major, folio in amplas lacinias diviſo *Vaill.* & Rhaponticoides major laciniata, flore obſolete purpuraſcente *Ejuſd.* Rhaponticoides lutea major, glauco folio laciniato capite magno *Ejuſd.* & Rhaponticoides lutea altiſſima, capite magno *Ejuſd.* ambigunt, & calycis ſquamas habent obtuſas, quarum ſuperiores Rhapontici inſtar formatæ ſunt & ſonoræ; cui accedit, quod habitu ſuo prius genus magis referant, quam poſterius. Pappus, quantum mihi conſtat, piloſus tantum eſt, at ſemina omnibus in thalamo piloſo recondita non ſunt, v. gr. Rhaponticoidi altiſſimæ, Perſicæ folio *Vaill.* & reliquis, quas hic deſcribimus, ſpeciebus, quæ ex doctrina ipſius Rhaponticoidis ſpecies forent.

Igitur cum duo illa genera non meliora ſint Jaceæ vulgaris genere, nempe plantas comprehendant, quæ in characteriſticis notis non conveniunt, poterant ſane ſub eodem genere remanere. Nobis donec iſta melius digerantur, nomen & genus antiquum Serratulæ relinquitur iis ex Jaceæ genere plantis, quæ non tantum foliis argute ſerratis, ſed & floſculis uniformibus, ſeminibus teretibus, pappo piloſo rigidiore coronatis, calycis ſquamis appreſſis cuſpidatis & toto habitu conveniunt, quamvis negandum non ſit Serratulæ vulgari & Serratulæ Virginianæ foliis rigidis *Herm.* capitula eſſe graciliora & thalamum piloſum, ſecus ac in noſtris his ſpeciebus obſervari ſolet.

SERRATULA CAROLINENSIS, VIRGÆ PASTORIS FOLIO CCLXI. F. 340.

HUMILIOR eſt reliquis, quas hic deſcribimus, ſpeciebus; altitudinem ſesquicubitalem enim raro excedit, nec, ut reliquæ, ſimplici ſtolone aſſurgit, ſed mox ab ima radice ramoſa fit, florum capitulis minus numeroſis, nonnihil majoribus, ſummis ceteroquin ramis magis panſis & in latera diſtentis. At folia notabile magis diſcrimen habent, ceu quæ profundius ſerrata ſunt, ad Virgæ paſtoris

ris folia proxime accedentia. Ceterum folia caulium ſuperiora reliquis ſunt multo breviora, minuſque profunde ſerrata, inferiora longiora & profundius dentata ſunt, quæ vero ad radicem locantur, ea reliquis exiſtunt latiora dentibusque majoribus inciſa obſervantur, quam Virgæ paſtoris rotundiora & breviora. Omnia hirſuta ſunt & ſcabra, (pilis tamen adeo brevibus, ut non conſpiciantur) venoſa, venis majoribus in latitudinem ſeu ex obliquo tranſverſim ductis, minoribus irregulari ductu oberrantibus, colore obſcure viridi ſuperne, inferne nonnihil pallidiore, ſuperficie, licet hirſuta ſint folia, nonnihil reſplendente.

Flores colorem obtinent purpureum, quorum ſinguli floſculi in quinque anguſtas lacinias dividuntur, incurvi plerumque & in latera ſeu exteriorem partem verſi. Calycum ſquamæ anguſtæ ſunt & breves, cuſpidatæ, virentes. Semina parva gracilia, ſtriata, pallida, pappo brevi piloſo rigidiuſculo terminantur. Nullus pappus, nec ſquamæ ſeminibus interſperguntur, ut nec in ſequentibus ſpeciebus.

Figura media caulis pars ſuperior & flores, num. 1. 2. 3. floſculi, 4. ſemina 5. folium inferius, 6. folium imum ſeorſum exhibentur.

Perennis eſt, ut reliquæ, quas hic exhibemus, ſpecies; maturius quam ſequentes, Sole nempe in Virgine & Leone exiſtente, floret. Orta nobis e ſeminibus Carolinenſibus; vidi etiam e Marilandia allatam. Ceterum nova nondumque deſcripta eſt hæc ſpecies.

SERRATULA MARILANDICA, FOLIIS GLAUCIS, CIRSII INSTAR DENTICULATIS

T. CCLXII F. 341.

CAULES ex eadem radice perennante profert plures rectos, pollicem ad baſim craſſos, verſus ſummitatem tenuiores, e fuſco & purpureo nigricantes, ſtriatos, glabros, altiores, quam præcedentis ſpeciei, ad tres uſque cubitos porrectos, humiliores vero, quam Noveboracenſis ſpeciei, non ramoſos, niſi ſummitatem verſus, ubi pedales & ſeſquipedales aliquot ramos emittunt, qui in plurimos & longe, quam in aliis, crebriores ramulos & pediculos dividuntur & ſubdividuntur, quibus velut in panicula frequentia in omnem partem ſpectantia innaſcuntur capitula, præcedentis ſimilia, ſed in eo ab illius & reliquorum capitulis diverſa, quod calyces obſcurius purpurei ſint, & quod pappus magis, quam in alia quacunque ſpecie, promineat, coloris pallidioris, ex albo ſubfuſci. Porro flores, quam præcedentis, ſaturatius purpureo & in violaceum vergente colore præditi ſunt, in quibus ea præterea differentia obſervatur, quod capitula minus oppleant flores, ſed ſucceſſive magis ab exteriori parte aperiantur, quamvis, ubi defloreſcit, flores tandem, illius inſtar, ſatis frequentes extrorſum vergant. Floſculi ceteroquin & ſemina reliquis ſimilia ſunt, & pappus in thalamo nullus obſervatur. Flores, reliquarum inſtar, non de ſuperiori, ſed media & inferiori ramulorum parte, nempe qui pediculis curtis inſident, primum aperiuntur.

Folia per caules frequentiora, quam in priori ſpecie, diſponuntur, minus lata & minus profunde laciniata, ad inferiorem caulium partem obtuſiora, in media & ſuperiore magis mucronata, glabra, parte ſupina ex glauco ſaturatim virentia,

prona

F. 341.

Serratula Mariland. foliis glaucis, Cirsii instar denticulatis.





P. 355. F. 342. T. CCLXIII.

Serratula Novebor: maxima, foliis longis serratis Herm.

prona pallidiora, glauca, tenui lanugine ad nervos & venas obſita, cetera parte glabra, per margines acutis denticulationibus, Cirſii Britannici inſtar, inciſa, inferiora præſertim & media folia, nam ſuperiora inciſuras vel paucas, vel nullas habent.

Figura marginali ſuperiori prima ſemina & pappus, ſecunda calycis ſquamæ inferiores, tertia mediæ, quarta ſuperiores exhibentur: figura quinta & ſexta folia aliquot inferiora ſeorſum appicta ſunt; eſt vero ultimum, quod obtuſius, altero humilius ſeu infra illud natum.

Octobri menſe floret, paullo poſt præcedentem, & paullo ante Noveboracenſem ſpeciem. Naſcitur non tantum in Marilandia, ſed & in Virginia & Carolina, verum quoniam ex Marilandia primum innotuit, inde denominationem ſumere libuit.

Non dubito, quin ſit, Centaurium medium Marianum, folio integro, Cirſii noſtratis more ſpinulis fimbriato *Pluk. Mant. p.* 42.

SERRATULA NOVEBORACENSIS MAXIMA, FOLIIS LONGIS SERRATIS T. CCLXIII. F. 342.

NOMEN eſt *Hermanni*, quod dedit in *Catalogo Plantarum nondum æri inciſarum ad Finem Paradiſi Batavi*, quarum Delineationes authenticæ ſervantur in Muſeo Sherardino, quæ me certiorem faciunt, veram a me hic exhiberi plantam. Figura, ut ceteræ, eſt nitida & accurata, ſed contracta, totam repræſentans plantam. Nobis ad vivum juſta magnitudine delineata, ut eo certius ab aliis noſcatur & diſtinguatur.

Proceriores, ut nomen indicat, quam alii cuicunque Serratulæ, huic ſunt caules, ceu qui ad decem & duodecim uſque pedum altitudinem aſſurgunt, plures ex eadem radice orientes, ſeſqui & bipollicares verſus baſim, inde paullatim tenuiores, læves, profunde ſtriati, pallide virentes, robuſti, rigidi & recta aſſurgentes, nec ullis ramis, niſi in ſummitate prædiți, & plerumque non niſi ubi in florum pediculos abeunt, quod in faſtigio fit, brachiati, in quibus undique folia alterna ſerie naſcuntur prælonga, latitudine pro longitudine anguſtiore, inferius latiora, in medio caule & ſuperiora verſus anguſtiora, venoſa & rugoſa, ſubhirſuta, (pilis licet deſtituta) ſuperne ſaturatim viridia, inferne ſubincana tenui lanugine obſita. Quæ folia ob longitudinem ſe ſuſtinere non poſſunt & plerumque pendent; & quoniam ob altitudinem ventis expoſita eſt planta, iis agitata folia mutuo attritu perſæpe lacera apparent.

Summus caulis veluti umbellam florum ſuſtinet, e paucioribus tamen, quam præcedentis, capitulis conflatam, minuſque ſparſam, nec magnitudini plantæ reſpondentem, videnturque capitula ſtrigoſiora, quam in aliis, nec floſculi æque extrorſum verſi, calycis autem ſquamæ, præſertim inferiores, anguſtiores ſunt, & in tenuia, oblonga cornicula deſinunt, quod non obſervatur in alia ſpecie. His ergo notis & altitudine, foliisque prælongis, hirſutioribus, a reliquis facile diſtinguitur hæc ſpecies. Serius etiam, nempe ſub Octobris finem, floret.

Ceterum flores umbellæ inferiores & medii, qui pediculis brevibus inſident, primo explicantur, dein reliqui, quæ vero ſubter umbellam e foliorum alis capi-

tula naſcuntur, ob ingruens frigus raro apud nos florent. Floſculi (vid. figura prima, ſecunda & tertia) in quinque lacinias, aliorum iſtar, dividuntur, colore præditi ſaturanter purpureo. Calyces cum levi purpuræ mixtura vireſcunt, quorum ſquamæ imæ tenuiores & tenuius filamentum habent, (vid. figuram quartam) mediæ latiores ſunt & breviores, (vid. figuram quintam) ſuperiores (vid. figuram ſextam) longiores ſunt & latiores. Semina oblonga teretia, albicantia pappum habent piloſum, rigidiuſculum, ſubfuſcum: in thalamo nullus pappus. Figura ſeptima folium de medio caule facie prona, octava aliud facie ſupina, nona folium inferius facie ſupina repreſentat.

Sponte naſcitur non tantum in Noveboracenſi, ſed & aliis Americæ Septentrionalis provinciis, nempe in Virginia & Carolina, verum quoniam ex priori primum innotuit, ab antiqua patria denominationem cum Hermanno reliquimus.

Nomen *Par. Bat. Cat.* ſupra recenſitum eſt, dicta vero hæc planta antehac fuerat *Hermanno* Serratula Noveboracenſis altiſſima, foliis Doriæ mollibus, ſubincanis *Flor. Bat. Flor. p.* 31. & in *Par. Bat. Prodr. p.* 375. Serratula Noveboracenſis, folio leviter crenato, molli ſubincano; id quod de parte prona intelligendum, nam ſupina potius hirſuta & rugoſa eſt. Sub quibus nominibus eandem plantam eodem loco bis recenſet *Rajus Hiſt. Plant .Tom. III. p.* 208. *num.* 1. *&* 2. Ubi ſub poſteriore numero ſynonyma, quæ ex errore Plukenetii Alm. p. 140. recenſentur, recidenda, deſcriptio autem hujus loci eſt, de qua notandum, quod caules longe altius, quam ibi dicitur, aſſurgant. Porro inter *Par. Bat. Prodr. Addenda* paucis mutatis dicta fuit, Serratula Noveboracenſis maxima, foliis Doriæ leviter ſerratis, ſub quo nomine figuram habet ineptam *Plukenet. Phyt. Tab.* 109: *fig.* 3. quam plantam dein ineptius vocat, Centaurium medium Noveboracenſe luteum, Solidaginis folio integro, tenuiter crenato *Alm. Bot. p.* 93.

SERRATULA NOVEBORACENSIS HUMILIOR, FOLIIS BREVIORIBUS ET LATIORIBUS SERRATIS.

HÆc quinque & ſex pedum altitudinem obtinet, nec facile eam ſuperat, in plures in ſummitate ramulos diviſa, flores fert copioſores, foliis, quam illa, nonnihil brevioribus & latioribus prædita, eodem ceteroquin modo ſerratis, duorum fere menſium ſpatio ante illam florens, cujus figuram, cum in ceteris non differat, omittimus.

SERRATULA VIRGINICA, PERSICÆ FOLIO, SUBTUS INCANO T. CCLXIV. F. 343.

QUOUSQUE in ſolo libero enaſcatur, dicere impræſententiarum non habeo; in fictili autem caules ex eadem radice plures, bicubitales & nonnihil altiores naſcebantur, recti, ſimplices, nec, niſi in faſtigio, ubi in flores explicantur, diviſi, profunde ſtriati, digitum craſſi, e viridi ſubrubentes, læves, aut vix obſervabiliter hirſuti, in quibus folia ab imo ad ſummum uſque alternatim diſponuntur ſatis crebra, quam Noveboracenſis vulgaris ſpeciei breviora & minus rugoſa, in medio magis ampliata, non pendula, ſed vel horizontaliter poſita, vel ex

Serratula Virginica Perficæ folio, subtus incano.

ex obliquo ſurrecta, minus ac illius ſerrata, minutim nempe in ambitu denticulata, coloris ſuperne luteo-virentis, inferne lanugine magis, quam illius, incana obſita. Ceterum folia in ſuperiore caule minora & anguſtiora ſunt, in medio latiora & longiora, in imo latiora & breviora, ab iis, quæ in figura noſtra inferius locantur, non diverſa, niſi quod nonnihil breviora ſint. Perſicæ foliis figura & minuta denticulatione proxime ſimilia ſunt hæc folia, ſuperficie autem differunt; nam parte ſupina rugoſa, prona ſubincana ſunt.

Flores Noveboracenſi vulgari ſimiles, & capitula ſimili modo diſpoſita, ſed nonnihil rotundiora, & calycum ſquamæ in cuſpides minus longas deſinunt. Thalamus pappo caret. Eodem cum Noveboracenſi ſpecie tempore floret. Sponte naſcitur in Virginia & Carolina.

Figura marginali prima, ſecunda & tertia flores nondum explicati & explicati cum ſeminibus, quæ cinerea, teretia, & pappo, qui piloſus, rigidiuſculus, ſubfuſcus, quarta & quinta calycis ſquamæ inferiores, ſexta & ſeptima mediæ, octava & nona ſuperiores exhibentur.

Hujus loci cenſeo Serratulam Virginianam minorem, anguſtifoliam, mollem *Breyn. Prodr. II. p.* 90. Serratulam præaltam alteram, anguſto Plantaginis folio *Bocc. Muſ. II. p.* 45. Serratulam præaltam anguſto Plantaginis aut Perſicæ folio *Ibid. Tab.* 32. quantum ex figura rudiore conjectare poſſum, nam deſcriptio nos non juvat, in qua præter altitudinem, quæ ipſi quinque & ſex pedum, quam & vulgaris habet, vix quicquam reperias. Male autem Plantagini anguſtifoliæ folia comparat Boccon, melius Perſicæ. Quam plantam *Tournefortius* vocat, Jaceam nemorenſem altiſſimam, Perſicæ folio *Inſt. R. Herb. p.* 444. Rhaponticoidem altiſſimam, Perſicæ folio *Vaillant Comm. Ac. Reg. Scient. Ann.* 1718. *p.* 178. *n.* 14. Centaurium medium foliis integris, purpureum *Pluk. Alm. p.* 93. Cui ſane eadem videtur, Eupatoria Virginiana, Serratulæ Noveboracenſis latioribus foliis *Ibid.* cujus qualiſcunque icon extat *Phyt. Tab.* 280. *fig.* 6. quam in *Mantiſſa p.* 72. flore purpureo eſſe dicit, ubi multus eſt, in quærendis *Hiſt. Mexic.* ſynonymis, ſed incaſſum, nec eſt, ut ſuſpicatur, Serratula Noveboracenſis maxima, foliis longis ſerratis *Cat. Plant. ad Calc. Par. Bat.* quæ eadem eſt cum Serratula Noveboracenſi maxima, foliis Doriæ leviter ſerratis *Par. Bat. Add.* cujus mutilam figuram exhibuit ipſe *Tab.* 109. *fig.* 3. Hermanno non duæ, ſed una tantum Noveboracenſis maxima nota fuit. Merito autem quis quærat, an ab hac differant, Serratula Floridana, foliis vix ſerratis *Pluk. Amalth. p.* 53. & Serratula Virginiana minor anguſtifolia mollis, flore purpureo *Ejuſd. Ibid. p.* 192. quam & ipſe eandem cum Breyniana hujus nominis, (cui flore purpureo fruſtra addit, omnes enim Serratulæ flores purpureos habent) ſuſpicatur.

SIDEROXYLI PRIMUM, DEIN CORIÆ INDORUM NOMINE DATA ARBOR T. CCLXV. F. 344.

EX Horto Uvedalenſi Sideroxyli, dein ex Hollandia Coriæ Indorum nomine in Hortum Elthamenſem pervenit arbuſcula hæc, quæ nunc novem decemve annos habet, tres cubitos & amplius alta, caudice recto, pollicem ampliorem craſſo, ſeſquicubitali cortice craſſiuſculo cinereo, nonnihil rimoſo, ſubhirſuto & maculis

culis parvis, ceu punctis luteſcentibus diſtincto, veſtito, unde ad ſummitatem uſque quatuor intervallis (totidem annuis incrementis) rami naſcuntur quatuor & quinque, craſſiuſculi, brevi diſtantia prodeuntes, horizontalem ex obliquo ſitum obtinentes, cortice etiam rimoſo cinereo veſtiti, extremitatibus rubeſcentibus, palmares in ſummitate, inferius vero dodrantales, in ima ramificatione pedales; in quibus folia naſcuntur oblonga, integra, Laurinis ſimilia, ſed obtuſiora, denſa rigidaque, ſuperne ſplendentia & ſaturanter virentia, inferne nonnihil pallidiora, nervo medio luteſcente diſtincta, a quo venæ obliquæ tenues & ſuperficiales procurrunt, modice cava, & nonnihil reflexa, præſertim inferiora. Folia autem pediculis brevibus glabris alterna ſerie denſe juxta ſe naſcuntur, & quæ in imis ramis naſcuntur, crebriora ſunt, quæ in ſuperioribus, minus crebra obſervantur, ſed totos fere ramos veſtientia, in imis vero ſaltem ramorum partem veſtiunt.

In his ramis flores, primo quo floruit anno, nempe Julio 1729. in parte foliis vidua e medio nati ſunt ligno, parvi, modo ſolitarii, modo gemelli & terni, globulorum forma ab initio prorumpentes, dein in quinque lacinias latiuſculas dehiſcentes: ſequenti anno longe crebriores ad foliorum alas nati ſunt, in tubercula ſubfuſca conglomerati, e quibus unus alterve prodibat flos perfectus, brevi pediculo hærens, ceteri vero ingruente hieme, ſero enim tum, nempe Septembri & Octobri, floruit, imperfecti deciderunt. Flores autem monopetali campaniformes, in quinque (ſubinde in ſex) ſubrotunda concava, ex herbaceo albicantia ſegmenta ad baſim fere diviſi, e quorum interſtitiis in interna parte alia quinque tenera cuſpidata & ad margines ſerrata egrediuntur ſegmenta, ſtamina autem e floris tubulo brevi juxta fundum inter hæc, nempe e latioribus ſegmentis, oriuntur quinque, candida craſſiuſcula, apicibus obſolete albis farinoſis terminata. Calyx monophyllos florem arcte ambit, in quinque brevia ſegmenta ad medium uſque diviſus. Embryo parvus viridis ſubrotundus, ſtylo brevi ſimplici terminatus, florem perfodit. Hic diſſectus quadricapſularis & quatuor ſemina minuta continere videbatur; ſed quoniam is nondum nobiſcum perſtitit, ideo de fructu & ejus genere judicare non licet. Flos & ejus naſcendi modus cum Groſſularia multa habet communia, ſed embryo florem perfodit, unde eo referri nequit.

Lignum ſolidum durum eſt: rami præciſi lacteſcunt: folia auſtera, adſtringentia.

Seorſum figura prima, ſecunda, tertia & quarta flores abſque calyce ſitu naturali cum ſtaminibus, figura quinta idem flos manu explicatus demptis ſtaminibus, ut ſegmenta interiora appareant, appicti ſunt, & porro figura ſexta eædem laciniæ ſeparatæ, figura ſeptima calyx, figura octava & nona embryo integer, decima & undecima diſſectus, duodecima ſemina appoſita ſunt.

Sideroxyli nomen primo occurrit in *Par. Bat. Prodr. p.* 375. 376. ubi Sideroxylum Africanum, ſeu Lignum ferrea duritie, folio oblongo, Lignum ferreum vulgo, & Sideroxylum ſeu Lignum ferrea duritie Americanum, folio ſubrotundo, atque Sideroxylon longiſſimo & anguſto folio ex Vera Cruce, recenſentur, quæ plantæ diverſarum generum eſſe videntur.

Simili more *Plukenetius* diverſi generis plantis idem tribuit nomen. Sic *Alm. p.* 346. habet Sideroxylum Africanum, ſeu Lignum ferrea duritie folio oblongo, cujus figura *Tab.* 223. *n.* 6. melior autem eſt, quæ exhibetur in *Hort. Amſt. Part. I. p.* 197.

P.358.

F. 344.

T. CCLXV.

Sideroxyli primum, dein Coriæ Ind. *nomine data arbor.*



Sinapistrum Or: triphyllum, Ornithopodii siliquis Tourn.

p. 197. Deinde eſt Sideroxylum Americanum, ſeu Lignum duritie ferrum æmulans, *Iron-wood* Barbadenſibus dictum Ligonis *Alm. p.* 346. *Tab.* 224. *f.* 2. & Obe *Oviedi* vocat Sideroxylum, ſeu Lignum ferrea duritie Americanum, folio ſubrotundo *Par. B. Pr.* quamvis perperam. Tandem in *Mant. p.* 172. Sideroxylum habet Sirinamenſe, Lentiſcinis minoribus foliis, rachi media appendicibus aucta. Quæ omnes arbores diverſi generis & diverſæ ſunt a noſtra, cui quidem Sideroxyli nomen non magis competit, quam ceteris. Patet enim cuicunque ligno duro Sideroxyli nomen impoſitum eſſe, quod nomen velim certo cuidam generi poſthac proprium eſſe.

Ceterum Africanum illud Sideroxylon, e quo baculos Hottentotti oleo ita indurant, ut ferro cædi nequeant, non eſt idem cum noſtro, immo nec ullum ex ſupra memoratis huic reſpondet. Enimvero in *Hiſt. Jam. Vol. II. Tab.* 211. *n.* 2. figura eſt noſtræ quadantenus plantæ ſimilis, ſed quoniam folia nimis venoſa & acuminata magis pinguntur & dicuntur, cortexque albus & lævis dicitur p. 108. nobis autem in noſtra fructus viſus non ſit, qui in illa baccæ exiguæ croceæ dicuntur, cum noſtra eandem arborem eſſe non dixerim. Ceteroquin vocatur illa, Arbor baccifera foliis oblongis acuminatis, floribus confertim e foliorum alis erumpentibus, fructu minimo croceo.

SINAPISTRUM ORIENTALE TRIPHYLLUM, ORNITHOPODII SILIQUIS TOURN. COROLL. INST. R. HERB. P. XVII. *T. CCLXVI. F.* 345.

A Pedali ad bipedalem nobiſcum naſcitur altitudinem, coliculis teretibus rectis, dilute virentibus, pilis brevibus rigidiuſculis obſitis & aſperis, in quibus folia naſcuntur graveolentia, oblonga, obtuſa, pediculo ſemunciali aſpero hærentia, terna in ſingulis pediculis, plerumque reflexa, utrinque pallide glauceſcentia, aſpectu glabra, ſed tangenti ſubaſpera, brevibus nempe crebriſque per margines pilis, ſed vix, niſi in junioribus foliis, conſpicuis obſita, e quorum alis alia minora naſcuntur, e ſummis vero alis flores prodeunt parvi flavi, irregulares, ſinguli e ſingulis alis, tenuibus pediculis, horizontali ſitu locatis, hærentes, e perianthio parvo tetraphyllo regulari & quatuor petalis parvis obtuſis, æqualibus, ſed inæquali ſitu diſpoſitis, conflati; inferius enim hiatus eſt, quem ſtamina occupant nonnihil inflexa, ſena ad ſingulos flores, apicibus parvis croceis capitata, & embryo nonnihil incurvatus, qui procedente tempore ſiliqua fit ſubhirſuta, per maturitatem nodoſa, Ornithopodio minori ſimilis.

Annua eſt planta, æſtate florens. Figura noſtra ad plantam in fictili nutritam facta, ubi minor & minus ramoſa naſcitur, in ſolo vero libero altior & magis ramoſa fit.

Buxbaum in Plant. min. cognit. Cent. I. p. 6. in agris circa Peram naſci refert. Deſcriptio ejus nimis eſt brevis, figura præter ſiliquas parum de ipſa planta monſtrat.

SOLANUM AMERICANUM LACINIATUM, SPINOSISSIMUM PAR. BAT. PRODR. P. CCCLXVIII. *T. CCLXVII. F.* 346.

SOLANI, cujus flores Borraginis floribus assimilantur, quatuor habemus species; duas veteres, & duas novas, aut minus saltem cognitas.

Sesqui & bipedali plerumque hæc est altitudine, caule calamum olorinum crassitie æquante, obscure rubente, ex tereti anguloso, frequentibus spinis albicantibus armato, ad genicula huc illuc inclinante & ramos in latera protensos spargente, ad quæ folia oblongis pediculis spinosis insidentia nascuntur, Acanthi instar divisa, sed minora, læte & saturanter viridia, utrinque glabra & nonnihil splendentia, venis albicantibus exarata, & ad venarum concursum utraque parte oblongis spinis albicantibus prædita, per margines etiam tenuibus spinulis in majoribus foliis obsita.

Flores sex septemve velut in spica brevi nascuntur, stellati & Borraginis florum instar expansi, colore violaceo tincti, quorum apices id peculiare habere videntur, quod magis, quam in aliis speciebus, ab invicem recedant. Ceterum apices oblongi lutei sunt, perbrevibus staminibus appensi & stria secundum longitudinem ducta exarata. Calyces, spinulis crebris albicantibus obsiti, in quinque angusta segmenta ad medium usque dividuntur. Baccæ, quas rarius fert, oblongo-rotundæ sunt, ex viridi & albicante ab initio variegatæ, per plenam maturitatem vero ut se habeant, observare non licuit, quoniam superveniens frigus eas perfunde-dit. Et quoniam bacca, quam adjunxi, non admodum vegeta erat, calycemque marcidum habebat, non constat mihi de ejus forma; suspicor autem, ac in reliqua planta se habet, similiter spinosum, vel potius naturaliter magis ad baccas, quam reliquos flores, quibus nullus fructus succedit, spinosum esse.

Foliorum majorum pediculi duas tresve uncias longi, & longiores, quam figura nostra monstrat, quod ne Tabula nimis lata fieret, ita fieri debuit.

Dicitur Solanum annuum nigricans Virginianum spinosissimum, late se spargens, flore cæruleo, glabrum *Pluk. Alm. p.* 351. *Tab.* 62. *f.* 3. quo nomine breviter describitur in *Hist. Oxon. Part. III. p.* 521. *n.* 14. & sequentibus nominibus mentio ejus facta a *Rajo:* nempe Planta spinosissima Virginiana, Borraginis flore Tradescanti *Hist. Plant Tom. I. p.* 674. *Tom. II. App. p.* 1876. & Solanum pomiferum fruteſcens Africanum spinosum nigricans, Borraginis flore, foliis minus profunde laciniatis, spinis multo longioribus, majoribus & crebrioribus horridum *Ibid. p.* 1799. *n.* 15. Comparat nempe Solano pomifero fruteſcenti Africano spinoso nigricanti, Borraginis flore, foliis profunde laciniatis *Herm. Hort. Lugd. Bat:* Minus bene autem Africanum vocat, & minus accurate pomiferum, cum bacciferum potius sit. Ceterum Africanum illud a nostro differt, quod perenne sit & foliorum processus atque sinus profundiores & rotundiores obtineat, minusque ramosum & sparsum sit.

SOLANUM

F. 346.

Solanum American laciniatum spino-
sissimum Par: B. Prodr.



F. 347.

Solanum Campechiense, calycibus echinatis.

SOLANUM CAMPECHIENSE, CALYCIBUS ECHINATIS T. CCLXVIII. F. 347.

FOLIIS & naſcendi modo præcedenti ſpeciei ſimilis eſt hæc, ſed differt, quod tota planta hirſuta ſit, quod flores pallidiores & paullo minores ſint, fructus autem major & non variegatus obſervetur, per maturitatem albus.

Ceterum pedali bipedalique naſcitur altitudine, ramis in latera undique ſparſis, qui licet ſatis longi evadant, tota tamen planta multum non aſſurgit, ſed humilior manet, ramis crebris, ex tereti anguloſis, virentibus, altera parte, qua Sol illabitur, obſcure purpureis, crebris ſpinis, nunc ſubfuſcis, nunc albicantibus, armatis.

Folia ſatis ampla ſunt, varie laciniata, molli hirſutia ubique obſita, ſuperne viridia, ſubtus e viridi albicantia, crebrioribus hac parte, quam ſuperiore, ſpinis nunc albicantibus, nunc flaventibus obſita.

Flores duo treſve pediculo communi ſpinoſo inhærent, pedicellis privatis tenuioribus nixi, mediocri magnitudine præditi, pallidi, colore nempe ex violaceo albicante præditi, quibus in perbrevibus ſtaminibus apices inſunt pallide flaventes, preſſe juncti, calyce excepti valde ſpinoſo, ſpinis, ubi aëre liberiore gaudet planta, e fuſco flaventibus, alias magis albicantibus, quibus baccæ ſuccedunt ſatis magnæ, ab initio viridantes, dein albicantes, lucidæ. Obſervari meretur quoſdam flores eſſe maſculos, quoſdam fœmineos, quod & in præcedenti & in nonnullis aliis Indicis Solani ſpeciebus, quæ fructus rarius ferunt, ſimiliter ſe habere ſuſpicor. Ceterum flores fœminini in hac ſpecie maturius comparent & calyces habent magis ſpinoſos; maſculi poſt illos aperiuntur, calycibus minus ſpinoſis incluſi: utrique in eodem pediculo communi naſcuntur & ſtaminibus, apicibus, ſtylo & embryone gaudent, ea differentia, quod apices fœmineorum farina careant, embryone fœcundo & ſtylo craſſiore & longiore præditi, qui ſtylus & embryo in maſculis breviores & tenuiores ſunt, abortivi & cum floribus decidui.

Tota planta ſpinoſa eſt, & peculiare porro huic ſpeciei eſt, quod præter ſpinas ramuli & foliorum æque ac florum pediculi crebra lanugine obſiti ſint.

Annua eſt planta, orta e ſeminibus a D. Houſtoun ad ſinum Campechienſem lectis & communicatis.

SOLANUM CAROLINENSE SPINOSUM, BORRAGINIS FLORIBUS SPICATIS T. CCLXIX. F. 348.

PEDALI & bipedali plerumque eſt altitudine, caulibus in ramos aliquot brachiatis, teretibus, hirſutis, ſpinis rarioribus, e viridi albicantibus, armatis, non recta protenſis, ſed ad genicula ex alterutro latere in alterum inclinatis, quibus folia adnaſcuntur oblonga, (palmari & ſeſquipalmari longitudine, latitudine duas treſve uncias æquante) quernis ſimilia, nempe per margines rarius & irregulariter ſinuata, proceſſibus & ſinubus non directe, ſed oblique ſibi reſpondentibus, tenui utrinque hirſutia obſita, venis obliquis, in proceſſus excurrentibus, a quibus aliæ quædam minores prodeunt, exarata, ſimpliciter utrinque virentia,

ſpinis

ſpinis aliquot ad nervum medium, tam ſupina, quam prona parte, prædita, ſubter quæ e contraria, velut in aliis Solanis, caulium & ramorum parte pediculi naſcuntur oblongi, in quibus utrinque flores ſatis longa ſerie (quinque & ſex in unoquoque latere) naſcuntur ſatis ampli, Borraginis florum figura, in quinque, ſubinde in ſex ſegmenta diviſi, coloris e violaceo dilutiſſime purpuraſcentis, calyce excepti monophyllo, virente, hirſuto, in totidem, quot ſunt floris laciniæ, ſegmenta diviſo, ſtaminibus & apicibus prædiți ſegmentorum floris numero reſpondentibus: ſtaminibus quidem perbrevibus, apicibus vero ſat longis & craſſis, laxiuſcule in umbonem coëuntibus, inter quæ ſtylus hæret tenuis ſimplex, capitulo viridi terminatus. Ceterum flores non e contrario, ſed alternato ſitu utrinque locantur, e tenuibus oblongis & incurvis pediculis penduli, in ſpica veluti nutante diſpoſiti. Fructus rarius nobiſcum fert, ubi vero eos profert, baccæ ſunt rotundæ, Piſi majoris magnitudine, coloris per maturitatem lutei.

Perennis eſt planta, Junio & Julio florens, & poſtquam floruit, ſub hiemem rami ejus denaſcuntur, qui dein vere renaſcuntur. Radix repens eſt.

A Solano pomifero fruteſcente Africano ſpinoſo nigricante, Borraginis flore, foliis profundius laciniatis *Herm. Hort. Lugd. Bat.* differt floribus ſpicatis, fructu minore, quod non fruteſcat, & minus profunde laciniatum ſit minuſque ſpinoſum.

Solanum annuum nigricans Virginianum ſpinoſiſſimum, late ſe ſpargens, flore cæruleo glabrum *Pluk. Alm. p.* 351. quod modo deſcriptum eſt, plurimum ab hac ſpecie differt; nempe illud annuum eſt, magis in latera ſparſum, magis ſpinoſum frequentius & magis profunde laciniatum, foliis glabris ſaturanter viridibus, floribus magis coloratis, paucioribus in eodem pediculo communi naſcentibus.

An vero noſtro idem, vel diverſum ſit, Solanum ſpinoſum ſinuatis foliis Floridanum, Borraginis flore lacteo *Ejuſd. Pluk. Amalth. p.* 194. hæreo. Color floris quidem variare poteſt, vel ex ſicca, in qua perit, Plukenetio determinatus videtur. Si vero Juripeba mas *Piſ. Libr. IV. C.* 41. ſuæ, ut vult Plukenetius, eadem ſit planta, a noſtra diverſam crediderim, quoniam illius flores minores & minus ſpicati, folia autem ſpinoſa picta non ſunt; ut taceam foliorum figuram huic ſpeciei exacte non reſpondere.

SOLANUM INDICUM SPINOSUM, FLORE BORRAGINIS ICON. ROBERT. TAB. XXVIII. *T. CCLXX. F.* 349.

VARIORUM Florum, æneis Tabulis ſcite expreſſorum, Faſciculi duo ſunt ab egregio artifice N. Roberto concinnati, alter (primus judico) abſque, alter (ſecundus) cum anno, nempe 1676. quorum ille Tabulas unam & triginta, hic ſedecim tantum continet, ſecundum exemplar Bibliothecæ Sherardinæ. Qui faſciculi, quoniam Libri rationem & jus non habent, in paucorum verſantur manibus, & hæc cauſſa eſt, quod figuram hujus plantæ, licet bene jam ibi depicta ſit, hic exhibeam, eo magis, quod ad differentiam præcedentium ſpecierum moſtrandam, fere neceſſaria videatur.

Fruteſcit autem hæc ſpecies ac ſublignoſa fit, ſecus ac illa, (cujus caules quotannis emoriuntur) & altius, nempe ad cubitalem & ſeſquicubitalem altitudinem, excreſcint, ſtipite digitum craſſo, cortice cinereo, lineis nonnihil rimoſis ſtriato, veſtito,

F. 348.

Solanum Carolinense ſpinoſum,
Borraginis floribus ſpicatis.





Solanum Indicum spinosum, flore Borraginis Ic. Rob.

ſtito, e quo mox ab imo ſtolones naſcuntur cubitales, juniores quidem recti, virentes, vetuſtiores vero & ipſe caulis diſtorti fiunt, ſubvireſcentes & lineis cinereo-fuſcis diſtincti, ſpinis ſubfuſcis brevioribus & fere rarioribus, quam ipſa folia, obſiti; folia autem nec ipſa ſpinis admodum abundant, eas vero ad nervum & venas, ſupina præcipue parte, habent pallide virentes.

Ceterum folia plana ſunt, longa ſatis & lata, per margines, præcedentis inſtar, ſed profundius, ſinuata, latiora etiam & obtuſiora, ab initio, juniora nempe, tomentoſa & ſubincana, dein vero ſimpliciter virentia, ſubtus nonnihil pallidiora, ſatis craſſa & valde hirſuta (proprie tamen eo tempore non tomentoſa) nempe pilis creberrimis tecta, ſed adeo brevibus & tenuibus, ut non tam viſu, quam tactu percipiantur. Obſervandum folia in ramis vetuſtioribus minora, & flores etiam minores eſſe, figuram autem noſtram ſtolonis junioris eſſe. Obſervandum etiam in figura Roberti, licet folia minora exhibeantur, flores tamen pleroſque nimis magnos (quoſdam licet in eadem planta minores) eſſe factos, & folia, ut ſpatio Tabulæ accommodarentur, non plana, ſed varie inflexa exhiberi.

Flores Julio & Auguſto menſibus plures aliquot, (quinque ſexve) pediculis oblongiſ communibus innaſcuntur, præcedenti plane ſimiles, ſed magis colorati, nec tam frequentes in ſpica æque longa diſpoſiti, Borraginis figura & ſpecie, ſed majores, pentagoni, ſtellati, verſus margines criſpati, coloris e cæruleo purpuraſcentis, calyce excepti hirſuto, in quinque anguſta reflexa ſegmenta diviſo. Florum pediculi & ſtolones ſuperiores, item juniores, tenuibus floccis villoſis aſperſi ſunt. Porro florum pediculi nunc ſpinoſi ſunt, ut Robertus pingit, nunc ſpinis deſtituti, cujuſmodi figura noſtra exhibet.

Fructus nobiſcum nondum tulit, pyriformes autem procul dubio ſunt, quoniam ſemina e Barbadenſi Inſula, nomine *Batchelor's Pear*, i. e. Pyri juvenilis, pluries delata ſunt, quo minus dubium eſt, huic idem eſſe, Solanum Americanum perenne ſubincanum, fructu pyriformi longiore *Pluk. Alm. p.* 350. *Tab.* 225. *fig.* 6. quæ figura eſt ad ſiccam facta, & tam folia, quam flores, nimis parva exhibet.

Solanum Barbadenſe ſpinoſum annuum, fructu aureo rotundiore, Pyri parvi inverſi forma, & magnitudine *Ej. Pluk. Ibid. Tab.* 226. *fig.* 1. præter differentias in nomine recenſitas, foliis latioribus & magis piloſis, ſeminibus nigricantibus, quæ in noſtro albeſcunt, ab eo differt.

Ceterum *Tournefortius in Inſt. Rei Herb. p.* 149. hujus ſpeciei ſynonymum facit, Solanum foliis & caule ſpinoſis *Moriſ. Hort. Reg. Bleſ.* At Moriſonus radicem per terram longe lateque repentem tribuit, quod in hac ſpecie non fit, prior autem Carolinenſis ſpecies radicem repentem habet, cui proin ſynonymum illud melius tribuitur.

SOLANUM BAHAMENSE SPINOSUM, PETALIS ANGUSTIS REFLEXIS T. CCLXXI. F. 350.

E Baccis e Providentia inſula, Bahamenſium primaria, acceptis, enatæ ſunt plantæ, caulibus rectis, non ramoſis, pedalibus & ſeſquipedalibus, foliis oblongis, parum ſinuatis, Caſtaneæ fere ſimilibus, veſtitis, quæ folia & caules ſpinis innumeris oblongis horrida erant, prouti figura num. 1. notata demonſtrat.

Secundo tertiove anno fruticuli facti ſunt bipedales, caulibus rectis, digitum minorem craſſitie æquantibus, foliis fere viduis & ſpinis rarioribus, tenuioribuſque obſitis, cortice e cinereo virente veſtitis, qui ſuperiore parte in plures ramulos (num. 2.) abibant virentes, teretes, ſpinis plerumque carentes, ſubinde tamen ſpinis aliquot virentibus præditos, tenui furfurea lanugine obſitos. Folia in his ramulis figura multum a prioribus abludebant; nam non tantum breviora & minora erant, ſed & minus profunde ſinuata, minus etiam ſpinoſa, præſertim inferiore parte; qua nullæ plerumque ſpinæ comparebant, ſuperiore vero crebriores quidem ſunt ſpinæ, ſed minime tam frequentes, nec æque longæ, ac in juniorum plantarum foliis erant. Color his ſpinis ſubfuſcus, folia vero ſupina parte atro-virent, & ſubhirſuta poroſaque ſunt, prona pallidiora, dilutius nempe vireſcentia, glabriora & minus punctata. Et quamvis folia ſint ſubhirſuta, nulli tamen in iis pili obſervari poſſunt.

Flores in ramulorum parte ſuperiore veluti ſpicatim digeſti naſcuntur plures, parvi, e cæruleo colore dilute purpuraſcentes, in quinque oblonga, anguſta ſegmenta ad baſim uſque diviſi, quæ mox a prima explicatione poſteriora verſus flectuntur, in quorum medio apices in columnam oblongam anguſtam coëunt, croceam, ſtaminibus breviſſimis hærentes.

Fructus nobiſcum nondum perfecit, baccæ autem ex America miſſæ rotundæ erant, piſi minoris magnitudine, e croceo rubentes, in quibus ſemina latebant ſubrotunda, compreſſa, quæ figura quinta, tertia vero & quarta baccæ deſignatæ ſunt. Junio & Julio floruit.

SOLANUM BONARIENSE ARBORESCENS, PAPAS FLORIBUS T. CCLXXII. F. 351.

QUUM primum nobis natum eſſet hoc Solanum, cubitali ſaltem & ſeſquicubitali erat altitudine, ſequenti vero anno, (in Hibernaculo enim repoſitum perennabat) ad quatuor uſque cubitorum altitudinem pervenit, caule recto, non multum ramoſo, pollicem inferius craſſo, ſuperiora verſus tenuiore, foliis ab imo ad ſummum uſque veſtito alternis, craſſiuſculis, parum hirſutis, quin fere glabris, Hyoſcyamo vulgari tam magnitudine, quam figura proxime ſimilibus, ſuperne atro-viridibus, inferne pallidioribus, nervo medio albicante, unde venæ obliquæ procedebant, diſtinctis, nullis ſpinis obſitis, quibus & carent rami & caulis pars ſuperior, media vero & ima ejus pars ſpinas hinc inde obtinebant rariores, breves, recurvas, Roſarum ſpinis ſimiles, ſed minores, nec adeo rigidas. Obſervaſſe tamen memini caules nullis ſpinis præditos, præſertim in natu majoribus plantis, in quibus & caules foliis nudati ſunt, arboreamque faciem planta induit.

Ceterum in ſummis caulibus & eorum ramis, qui numeroſi non ſunt, flores naſcuntur Solani tuberoſi florum ſpecie & figura, candidi, ad baſim ſegmentorum levi flavedine tincti, per margines fimbriati, in medio vero & per ſuam ſuperficiem ſulculis rectis & rugis obliquis exarati, quorum umbonem formant quinque apices oblongi crocei, brevibus ſtaminibus hærentes, leniter nutantes, medium ſtylum, ut in aliis, circumſtantes. Plures autem ex eodem pediculo communi naſcuntur flores, umbellatim veluti digeſti, ab initio, nolarum inſtar, penduli, anguloſi & ſulcati,

F. 350.

Solanum Baham. spinosum, petalis angustis reflexis.



F. 351.

Solanum Bonarienſe arboreſcens, Papas floribus.



F. 352.

Solanum dulcamarum Afric. foliis crassis hirsutis.

cati, poſtea, ubi explicantur, magis erecti. Pediculus flores ſuſtinens, non e foliorum alis, ſed ex contraria parte, ſitu non adverſo, ſed vel paullo humiliore, vel paullo ſuperiore egreditur, ceu & in aliis Solani ſpeciebus contingere obſervatur. Fructus ſubnaſcuntur globoſi, virides ab initio, per maturitatem lutei, pulpoſi, dein ſuccoſi, in quatuor loculamenta diviſi, in quibus latent plurima ſemina orbicularia, compreſſa, quæ ſeorſum ad num. 2. ad 1. vero & 3. baccæ tranſverſim ſectæ deſignantur.

Septembri menſe floruit primum anno 1727. dein ſequenti anno maturius, tertio anno, Junio menſe flores dedit, eoſque paullo minores, folia etiam tunc, ceu in pleriſque arboribus & arboreſcentibus plantis fit, minora facta erant, minuſque profunde laciniata, ab Hyoſcyami foliorum figura non parum abludentia: caules recti, foliis carentes, lignoſi, cortice e fuſco obſcure violaceo nigricanteve veſtiti, ſpinulis tenuibus raris ſubinde obſiti, plerumque vero iis deſtituti, ramorum ſummitatibus ſubinde etiam ſpinis brevibus aduncis armatis: florum pediculi ex adverſa foliorum pediolorum parte tum naſcebantur. Talis ſtatus plantæ figura altera minore ad dextram repræſentatur.

E baccis a ſpecimine ſicco, *Buenos Ayres* delato, decerptis, nata fuit hæc ſpecies.

Ex omni Solanorum familia nullum eſt quod huic comparari queat, præter Solanum ſcandens aculeatum, Hyoſcyami folio, flore intus albo, extus purpureo *Plum. Cat. p.* 4. quod tamen multis modis a noſtro differt, nempe caulibus ſcandentibus aculeatis, foliis ſpinoſis, florum colore & eorum ſegmentis anguſtioribus.

SOLANUM DULCAMARUM AFRICANUM, FOLIIS CRASSIS, HIRSUTIS T. CCLXXIII. F. 352.

NON ita multi ſunt anni, ex quo in Bataviam, & inde in Angliam pervenit nova hæc Solani ſpecies, Africanæ originis, ex Promontorio Bonæ Spei primum, ut videtur, tranſmiſſa. Mox poſtquam in Hortum Elthamenſem illata fuit, flores ſub æſtatis finem tulit plures, in pediculis huc illuc tortis velut umbellatim in ſummis ramulis diſpoſitos, Dulcamaræ vulgari ſimiles, ſed majores, nutantes & conniventes, nec niſi ad meridiem explicatos, dilutiores, coloris e violaceo pallidioris purpurei, apicibus in medio coëuntibus croceis, minus, quam in vulgari, cuſpidatis, ipſis etiam florum ſegmentis minus, ac illius, acuminatis, nec illius inſtar reflexis. Ramorum ſummitates in plures pediculos abeunt dichotomice diviſos & ſubdiviſos, e quibus flores pendent pleraque diei parte, ut dictum, conniventes. Ramuli verſus ſummitates, ubi flores oriuntur, anguloſi ſunt & aſperi, inferius teretes, hirſuti & minus aſperi. Flores poſtquam præterierunt, embryones eorum mox una marceſcebant & nobis fructum obſervandi ſpem eripuerunt.

Folia in ramis floridis minora, utrinque acuminata & integra ſunt, in ramis autem floribus deſtitutis majora & baſi latiore prædita obſervantur, vel integra & ſubrotunda, inferiora nempe, vel angulata, ſuperiora nempe, hederaceis non abſimilia, quæ in figuræ margine num. 1. & 2. ſeorſum adpicta ſunt. Utraque ſatis crebra alterna ſerie diſponuntur, craſſa, rigida & hirſuta, pilis creberrimis undique

undique obſita, ſed adeo brevibus, ut tactu potius, quam viſu percipiantur, utrinque viridia, hinc inde obſcure purpuraſcentia. Venæ ſuperficiales paucæ a nervo medio oblique procedunt.

Plantis quinquennibus & ſexennibus ſtipites erant pedem alti, pollicem craſſi, nodoſi, lenti, cortice rugoſo & rimoſo, ex fuſco & cinereo nigricante, id eſt obſoleto colore veſtiti: rami pedales & bipedales plures in ſummo caule naſcebantur horſum vorſum poſiti & ſibi implexi, lenti etiam, villoſi, obſcure vireſcentes, in quibus folia naſcebantur, quorum figura modo deſcripta eſt, coloris in ramis floridis viridis ſuperne, inferne nonnihil pallidioris, in ramis reliquis vel viridis obſcurioris, vel ex viridi & obſcure purpureo mixti.

In Hibernaculo repoſita planta tota hieme folia retinet, ut ſolent pleræque plantæ Capenſes, præſertim fruteſcentes.

Folia & cortices guſtati ex amaro acre ſapiunt & in ſubdulce quid deſinunt; tota etiam planta facie & habitu ad Dulcamaram magis, quam ad alias Solani ſpecies, accedit, unde Dulcamaram vocavimus.

SOLANUM ANNUUM HIRSUTIUS, BACCIS LUTEIS BOB. HIST. OXON. PART. III. P. DXX. N. III. *T. CCLXXIV. F.* 353.

UBI non tantum, ſed & a Rajo, ſub Solano lanuginoſo hortenſi ſeu vulgari ſimili *Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 672. *n.* 3. breviter deſcribitur, & uterque a Morgano habuiſſe, & de loco natali ſibi non conſtare refert; aſſerit autem Bobartus diſtinctam eſſe hoc Solanum ſpeciem, & e ſeminibus idem ſemper reſurgere, nec in aliud mutari, quod & in Horto Elthamenſi per plures annos comprobatum.

Tota planta molliter hirſuta & piloſa eſt, rami præſertim extremi pilis longis obſiti & hinc lanuginoſi fiunt, tenui ab ipſis caulibus violacea tinctura tranſlucente, quin & ipſi flores tenuem ad margines & exteriori parte lanuginem habent. Ceterum flores, quam vulgaris ſpeciei, aliquanto majores & tota etiam planta illa major & robuſtior videtur. Caules nunc erecti, nunc & plerumque humiliores ſunt, & ramos in latera reclinatos ſpargunt. Baccæ ab initio obſcure virent, per maturitatem croceæ (ſordidius tamen) fiunt, non exacte rotundæ, vulgaris inſtar, ſed oblongæ, quibus ſemina continentur compreſſa, albicantia, pellicula, ubi matureſcunt, pellucentia. Folia ſuperne obſcure virent, ſubtus pallidiora ſunt, Alkekengi Virginici facie & figura.

Æſtate floret, ſub auctumnum baccas & ſemina maturat & perit. Plukenetius Alm. p. 349. ſpontaneum in Anglia interdum ſe offendiſſe refert.

SOLANUM GUINEENSE, FRUCTU MAGNO, INSTAR CERASI NIGERRIMO, UMBELLATO BOERH. IND. ALT. PART. II. P. LXVIII. N. XVII. *T. CCLXXIV. F.* 354.

A Cubitali ad bicubitalem naſcitur altitudinem, caule craſſo, nonnihil anguloſo & ad angulos ſpinis hinc inde brevibus obtuſis obſito, erecto & non multum ramoſo & ſparſo, foliis Belladonnæ ſimilibus, glabris, (quamvis pilos quoſdam

Solanum annuum hirsutius, baccis luteis Bob.

Solanum Guin. fructu magno instar Cerasi nigri umbellato Boerh.



F. 355.

F. 356.

Solanum procerius patulum, vulgaris fructu.

Solanum nigrum vulgari simile, caulibus exasperatis.

quoſdam tenues in ſuperiori parte emittant) ſaturatim viridibus, ſubtus pallidioribus & plane glabris ſeu pilis deſtitutis. Folia cauli medio adnaſcentia, iis, quæ in ramis naſcuntur, longe ampliora ſunt.

Flores parvi ſunt, albicantes, ſubinde tenui violacea tinctura imbuti, unguibus ſubvirentibus, umbone ſeu apicibus ſordidioribus, ſubfuſcis nempe, prædıti.

Baccæ globoſæ ſunt, Ceraſorum nigrorum pæne magnitudine, ſed magis depreſſæ, ab initio virides, per maturitatem nigræ & ſplendentes, in quarum pulpa violacea ſemina latent compreſſa, albicantia, aliis hujus generis ſimilia.

Æſtate floret & ſub auctumnum baccas & ſemina maturat. Annua eſt planta.

SOLANUM PROCERIUS PATULUM, VULGARIS FRUCTU T. CCLXXV. F. 355.

TRICUBITALI & amplius naſcitur altitudine, caule robuſto, pollicem inferius craſſo, virente, tereti glabro, non ſpinoſo, lineis nonnihil exſtantibus ſtriato & veluti anguloſo, qui pedali & bipedali a baſi diſtantia in ramos ad ſummitatem uſque abit, & ſinguli rami alios denuo emittunt, ſimiliter virentes, glabros & ſpinis deſtitutos, lineis quibuſdam veluti angulatos, quibus folia adnaſcuntur glabra, integra, Guineenſi, niſi quod illius ad ipſos caules longe ampliora ſint, ſimilia, glabra, virentia.

Flores ſub auctumnum eidem pediculo communi tres, quatuor & quinque innaſcuntur, parvi admodum, candidi, diluta violacea tinctura imbuti, apicibus in umbonem parvum flavum preſſim junctis, ſtaminibus breviſſimis hærentibus. Baccæ dein ſuccedunt Solano vulgari ſimiles, rotundæ, ab initio virides, ad maturitatem nigræ.

Annua eſt planta, licet ſatis robuſta ſit & alte ſurgat, ramis patulis & longe in latera protenſis, quo naſcendi modo ab aliis ſpeciebus facile diſtinguitur.

Aguara quiya *Marcgr. Lib. I. C.* 26. eundem quidem habet naſcendi modum, flores & baccas ſimiles, ſed caules Marcgravio deſcribente lignoſos, ſecus ac noſtra planta. Verum quæ apud nos annuæ, perennes ſæpe in regionibus calidioribus ſunt plantæ & ligneſcunt, crederemque eandem, ſi folia melius reſponderent, hæc enim anguſtiora & verſus baſim magis contracta videntur, ſimiliaque ſunt Solano baccifero vulgari ſimili, maximo Surinamenſi *P. B. Pr.* cujus caules etiam ligneſcunt, Aguara quiyæ inſtar, quorum foliorum figura videri poteſt apud *Plukenetium Phyt. Tab.* 227. *f.* 2. ubi Solanum Indicum, Laurinis anguſtioribus foliis, maximum dicitur & idem eſt cum Surinamenſi illo & forte cum Aguara quiya *Marcgr.* Aguara quiyæ figura in *Hiſt. Oxon. Part. III. Sect.* 13. *Tab. I. Ser.* 2. *fig.* 6. ubi Solanum Indicum vulgaris fructu, foliis Capſici, dicitur, huic noſtro melius, quam illi, reſpondere videtur. Foliorum forma ſatis bene eſt expreſſa, ſed non modus naſcendi in figura, quæ totam plantam repræſentat. Deſcriptio p. 520. n. 5. juſto brevior & nimis generalis. Solanum Indicum vulgari ſimile, ſed procerius, floribus albis parvis *Pluk. Alm. p.* 349. noſtro etiam idem videtur.

SOLANUM NIGRUM VULGARI SIMILE, CAULIBUS EXASPERATIS T. CCLXXV. F. 356.

A Præcedenti ſpecie differt, quod non tam alte aſſurgat, & minus ramoſum ac patulum ſit, foliis ſuperioribus ſinuatis, mediis & inferioribus laciniatis & non raro Lycopi inſtar inciſis, floribus nonnihil majoribus & magis violaceis, caulibus magis anguloſis & ad margines ſeu angulos exaſperatis modiceque ſpinoſis.

Annua eſt planta e Virginia delata: Septembri & Octobri menſibus floret & fructus maturat.

Flos ab initio, ubi primum explicatur, violaceus eſt, dein pallidior fit, poſtea albeſcit: umbo flavus: baccæ rotundæ, ab initio virides, per maturitatem nigræ. Folia glabra ſaturanter virent, inferius ampliora, Stramonii non abſimilia, quo fit, ut credam, huic idem eſſe, Solanum Officinarum folio laciniato Stramonii, flore parvo albo, acinis nigris *Boerh. Ind. Alt. P. II. p.* 67. *n.* 7.

In *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 520. *n.* 2. Solanum baccis rubris phœniceiſve, caulibus modice ſpinoſis, deſcribitur & vulgari ceteroquin ſimile dicitur; at noſtri baccæ atræ ſunt, & hac de cauſſa nigrum vocavimus.

SPERGULA MULTIFLORA, FOLIIS INFERIORIBUS SAPONARIÆ, SUPERIORIBUS BEHEN SIMILIBUS T. CCLXXVI. F. 357.

EX radice perenni caules profert ſeſqui & bicubitales, digitum minorem verſus baſim craſſos, teretes, læves, glaucos, ad genicula nodoſos, ab imo ad ſummum uſque brevibus intervallis ramoſos, ramis ad ſingula genicula ſingulis, juxta primarium caulem prodeuntibus & de parte in partem aliam ſpectantibus, qui dein in alios dividuntur & ſubdividuntur, binaria & terna diviſione & ſubdiviſione, nempe quando ramuli in florum pediculos abeunt, ternaria diviſio & ſubdiviſio obſervatur.

Ceterum florum pediculi tenues ſunt & in omnem partem ſparſi, quibus flores inſident numeroſi, ab initio, præſertim antequam plene explicantur, purpuraſcentes, dein pallidiores & tandem candicantes. Singuli autem flores e quinque oblongis integris petalis conſtant, quibus ſtamina reſpondent pro petalorum numero duplicata, apicibus albicantibus capitata. Stylus bicornis embryoni inſidet in medio petalorum locato, qui in vaſculum abit tenerum membranaceum & ſimplex, ſubrotundum, ſeminibus ſubrotundis Papavereis repletum, coloris per maturitatem ſubfuſci. Calyx cylindraceus non eſt, ſed floreſcentiæ tempore expanſus, in quinque lacinias ad baſim uſque diviſus, unde & ex ſitu ac ramificatione florum, eorumque figura roſacea, hanc plantam Spergulæ eſſe ſpeciem colligitur.

Folia inferiora ſubhirſuta ſunt, ex glauco virentia, Saponariæ ſimilia, ſed craſſiora, ſuperiora anguſtiora fiunt, glabra & glauca, Behen vulgari ſimilia, quæ vero florum pediculis ſubjiciuntur, peranguſta & tandem plane capillacea fiunt.

Inferiora

F. 357.

Spergula multiflora, foliis inferioribus Saponariæ, superioribus Behen similibus.

F. 358.

F. 359.

Spermacoce verticillis globosis. *Spermacoce verticillis tenuioribus.*

Inferiora folia non multum a foliis inferiori geniculo in Tabula noſtra appictis differunt. Embryones, vaſcula & ſemina ſeorſum, nempe figura prima embryones, ſecunda & tertia vaſcula integra, quarta vaſculum maturum, quod ex rotundo tetragonum, quadrivalve fit, quinta ſemina, ſexta vaſculum tranſverſim ſectum appicta ſunt. Auguſto menſe floret.

Eſt Lychnis Orientalis Saponariæ folio & facie, flore parvo & multiplici *Tourn. Coroll. Inſt. Rei Herb. p.* 24. Cur multiplici dicatur flore, ignoro; ſunt enim omnes ſibi invicem ſimiles flores & ſimplices, nec porro faciem planta habet, præter inferiora folia, Saponariæ ſimilem.

Conſiderent Herbariæ rei periti, an huc referri queat, Linum ſylveſtre latifolium flore albicante *Barrel. Obſ.* 670. *Icon.* 1002 Deſcriptio deeſt: in figura flores deſiderantur: folia non male reſpondent, præſertim plantæ ſpontaneæ, reſpondet & ramificatio: icon videtur ad ſiccam facta. Idem valet de Alſine altiſſima, folio Plantaginis *Buxb. Plant. min. cogn. Cent. III. p.* 32. *Tab.* 61.

SPERMACOCE VERTICILLIS GLOBOSIS
T. CCLXXVII. F. 358.

A Seminis aculeati forma hanc & ſequentem plantam Spermacocen voco, qua proprium herbæ genus deſigno, quod ad id Plantarum genus ſummum, quod Stellatas inſcripſit Rajus ex floris & ſeminis formatione, neglecta foliorum, ab illis nonnihil diverſa, diſpoſitione & numero, refero, cui flores monopetali tubuloſi, in quatuor æquales lacinias diviſi, ſeminibus inſidentes gemellis, mucronatis & aculeatis pro characteriſtica nota ſufficiunt.

Ex radice alba fibroſa cauliculos profert hæc ſpecies erectos, dodrantales & pedales, quadrangulos, foliis ad genicula binis, inter Saturejæ & Hyſſopi folia mediis, Hyſſopi tamen foliis ſimilioribus, cinctos, e quorum alis in pediculis inferius longioribus, ſuperius brevioribus, folia alia adverſa faſciculatim congeſta naſcuntur, reliquis ſimilia, ſed minora. Tam caules, quam folia, hirſuta ſunt.

Caules ad genicula membrana albicante, dentatim inciſa, cinguntur, in ſummis vero ramulis ex intervallis aliquot capitula proferunt Sanguiſorbæ minoris æmula, ſed candida, & in eo diverſa, quod flores tubuloſi ſint, Aparines ſimiles, & quod ſemen quadrangulum non ſit, illius inſtar, ſed ex rotundo compreſſum, Valerianellæ arvenſi figura proxime accedens, duobus in ſummitate unculis terminatum. Semen gemellum læve eſt, & per maturitatem ab invicem ſecedit, duoſque continet nucleos ſeminales. Ceterum licet duæ tantum in hoc ſemine cuſpides nudo oculo appareant, non deſtituitur tamen aliis duabus brevioribus, intra has locatis, armato oculo diſcernendis. Flores numeroſi parvi candidi, in quatuor æquales lacinias diviſi, & quatuor ſtaminibus brevibus donati ſummo, ut in aliis Stellatis, inſident ſemini bicuſpidi; quæ ſemina num. 1. 2. 3. flores autem cum embryonibus num. 4. 5. 6. ſeorſum exhibentur: num. 7. folium inferius ſeparatim deſignatum eſt.

Æſtate floruit nobiſcum hæc ſpecies, nata ex ſeminibus prope fluvium Gambiam in Africa collectis.

Non novi aliam huic ſimilem plantam, quam Scabioſam Jamaicenſem hyſſopifoliam

foliam, ſeu Globulariam capitulis ad genicula, foliis plurimis, ſtellatim ambientibus, verticillatam *Pluk. Alm. p.* 336. *Tab.* 58. *fig.* 6. ſeu Pulegium fruticoſum erectum, verticillis denſiſſimis *Sloan. Cat. Jam. p.* 64. *Hiſt. Vol. I. p.* 170. Eam vero ob folia verticillos ſtellatim ambientia, quod in noſtra, ſi juniora erumpentia demas, non æque fit, eandem non dico; Quodſi eadem ſit, differentia a ſpecimine ſilveſtri, ubi omnia ſtrigoſiora magiſque conjuncta, & figura ad ſiccam minus exacte facta, procedit.

SPERMACOCE VERTICILLIS TENUIORIBUS
T. CCLXXVII. F. 359.

FOLIA hujus, quam præcedentis, latiora, magis aſpera & nonnihil breviora ſunt, ad baſim in pediculum breviorem, ſi modo pediculus dici mereatur, contracta: caules teneriores ſunt, flores minores, ſtaminibus non, ut in illa, extantibus, ſed intra floris tubulum latentibus & prope inconſpicuis, ſemina vero craſſiora, tumidiora & ſubhirſuta, in quatuor pæne æqualia cornicula terminata. Porro ad genicula in alterutro ſaltem latere ramuli juniores enaſcuntur, cum in illa ſurculi æquali longitudine bifariam divaricentur, quibus medius interhæret ramus, verticillis in hac ſpecie tenuioribus ſeu minus globoſis, crebrioribus vero & longiore diſtantia naſcentibus.

Flores puſilli candidi ſunt, regulares, in quatuor lacinias diviſi, Aparines floribus ſimiles, ſummo ſemini inſidentes & calyce exiguo quadrifido excepti. Genicula, antequam flores & ſemina comparent, membrana piloſa ſuccinguntur, quæ dein ad ſeminum augmentum diſparet. A pedali ad bipedalem naſcitur altitudinem. Tam hæc, quam illa inodora eſt; illa porro inſipida, hæc vero nonnihil acredinis herbaceo ſapori commixtum habet.

Num. 1. & 2. flores extracti & naturali magnitudine paullo majores, num. 3. & 4. naturali magnitudine & cum ſuo calyce exhibentur: num. 5. ſemen fere maturum, (ubi ita cohæret, ut unum & integrum videatur) num. 6. nonnihil hians, num. 7. maturum & capſulæ bilocularis inſtar hians, num. 8. ſeminis nuclei, qui ſubrotundi ſunt, ſiſtuntur: num. 9. folium ex inferioribus, quæ licet, quam prioris, latiora ſint, in extremitate tamen magis acuminata ſunt, ſeorſum deſignatum eſt.

Æſtate nobiſcum pluribus annis floruit & ſemina perfecit, cumque folia protulerit ſemper eadem, figuraque noſtra non majora, cumque ſpecimina ſicca habeamus in Carolina lecta, quibus folia non tam latiora, quam potius anguſtiora ſunt, vero videtur ſimile, diverſam eſſe plantam, quæ dicta fuit, Anonymos Americana foliis Parietariæ ſcabris, floribus albis, ad foliorum ortum vix conſpicuis *Pluk. Alm. p.* 33. *Tab.* 136. *f.* 4. Mollugo Americana Parietariæ folio Vaillant *Boerh. Ind. Alt. p.* 148. *n.* 3. cujus plantæ ſicca folia, præterquam quod latiora ſint, multo, quam noſtræ, ſcabriora obſervantur. Plurimum autem huic accedit & forte eadem eſt, Aparine paucioribus foliis, ſemine lævi *Sloan. Cat. Jam p.* 50. *Hiſt. Vol. I. p.* 145. *Tab.* 94. *fig.* 5.

Nec multum differre videri poſſet, Muriguti *Hort. Mal. Tom. X. Tab.* 32. *p.* 63. Alſinæ affinis planta Indica, flore candido *Commel. Not. Ibid. p.* 63. eadem

tamen

F. 360.

Symphoricarpos foliis alatis.



tamen planta non eſt, ob vaſcula, ut dicitur, polyſperma. Eſt in Phytophylacio Sherardino planta a Cunninghamo miſſa, cum deſcriptione ejus accurata, quæ obſervationem Horti Malabarici quoad vaſcula polyſperma confirmat, quare nemo eandem, immo nec hujus generis ſpeciem credere debet.

Sunt vero in Phytophylacio Sherardino duæ aliæ hujus, ni fallor, generis ſpecies: altera foliis ſubrotundis ſcabris, membrana genicula ſuccingente latiore & capſulas occultante: altera foliis oblongis glabris, capſulis ad genicula grandiuſculis, binis tantum, oblongis, ſtriatis & in vertice foliatis: utraque Americanæ videtur originis.

Ceterum plantæ hæ, ut ſupra demonſtratum, foliorum numero & ſitu, quin & floribus verticillatim diſpoſitis, a reliquis Stellatis non parum recedunt. Enimvero cum non alia, in quam æque commode recipi queant, Plantarum Claſſis pateat, ex floris & ſeminis formatione admittendæ erunt. Cui generi adſcribi meretur, Aparine ſupina pumila, flore cæruleo *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 114. ſeu Rubeola arvenſis repens cærulea *C. B. Pin. p.* 334. *Prodr. p.* 145. quæ ſeminis formatione a reliquis Stellatis plane differt, & cui hac de cauſſa peculiare genus olim adſcripſi in *Cat. Giſſ. App. p.* 10. & 96. quod Sherardiam dixi. Quoniam vero eodem pæne tempore, vel potius paullo ante me ex Verbenis nodifloris & aliis quibuſdam Indicis longius ſpicatis novum Sherardiæ genus inſtituit *Vaillant*, homonymiæ vitandæ ſtudio aliud huic generi nomen quæſivi, cujus ex flore & ſemine dicta Rubeola vera ſpecies eſt, licet capitulis radiatis, foliis & naſcendi modo nonnihil diverſa & reliquis Stellatis herbis ſimilis magis ſit. Ceterum quam ex Heliotropio Africano fruteſcente, Antirrhini minoris folio, flore albo *Hort. Maur.* Sherardiam inſtituit *Pontedera* in Epiſt. ad Guil. Sherard. Comp. Tab. Bot. ſubnexa, ad Chenopodii genus cum Boerhaavio Ind. Alt. Part. II. p. 267: non incongrue referri poteſt.

SYMPHORICARPOS FOLIIS ALATIS
T. CCLXXVIII. F. 360.

SYMPHORICARPOS nobis eſt plantæ genus, floribus monopetalis, regularibus campaniformibus, in quinque lacinias diviſis, calycibus monophyllis quinquefidis exceptis, ſub quibus fructus naſcuntur carnoſi, globoſi, figura & magnitudine pæne flores Arbuti referentes, in quatuor loculamenta, ſemina cartilaginea ſubrotunda continentia, diviſi: adde flores & fructus e foliorum alis denſe congeſtos naſci, & inde huic generi nomen adſcivi.

Hujus generis una tantum ſpecies mihi nota eſt, quæ fruticulus eſt cubitalis & bicubitalis, ab imo ad ſummum uſque ramoſus, ramis in latera oblique vergentibus, ſubfuſco cortice veſtitis, quo colore & extremi ramuli gaudent, graciles, tenui villo obſiti, quibus folia adnaſcuntur ex oblongo rotunda, Chamæceraſo dumetorum ſimilia, ſed minora & e pluribus pinnarum (ad decem & amplius paria) conjugationibus conſtantia, ſuperne viridia, inferne ſubglauca, tenui lanugine obſita, ſubhirſuta, venis obliquis exarata, e quorum alis ſuperioribus plures naſcuntur flores deorſum poſiti & alis plerumque protecti, faſciculatim congeſti, ex albido herbacei, monopetali campaniformes, in quinque ſegmenta brevia ad me-

dium uſque diviſi, calyce vix conſpicuo, in quinque exiguas lacinias diviſo, baſi ſua excepti, qui calyx & flos ſummo inſident embryoni ſubrotundo virenti, qui dein in fructum abit purpuraſcentem, mollem, non pulpoſum, globoſum, floris Arbuti effigie, obiter anguloſum, in quatuor loculamenta diviſum, in quibus duo tantum, nempe in majoribus loculamentis, deprehendi ſemina ſubrotunda, in ſingulis loculamentis ſingula, altera parte (interiore videlicet) plana, altera (exteriore nempe) elevata, candida, cartilaginea, Milii grani magnitudine. Procul dubio autem quatuor naturaliter ſingulis fructibus inſunt ſemina, quæ non omnia, ut nec ipſi fructus omnes, ad maturitatem pervenire ſolent. Ceterum fructus, florum inſtar, congregati ſunt & pediculis deſtituti. Stamina ſingulis floribus quinque brevia ſunt, flores non egredientia, quibus inſident apices parvi pallidi, ex herbaceo flavicantes.

Quoad fructificationem non parum habet ſimilitudinis cum Cuſcuta, ſed in Cuſcuta flos & calyx embryonem in ſinu ſuo fovent. Differt etiam Cuſcuta in eo, quod fructus ejus per maturitatem tranſverſim abſcedat, in duo tantum loculamenta, Plantaginis inſtar, diviſus; membrana nempe intermedia vaſculi lateribus non annectitur, ſed libera in medio hæret & cum ipſis ſeminibus elabitur, ut proprie bicapſularia non ſint Cuſcutæ & Plantaginis vaſcula.

Auguſto menſe floret, Januario & Februario menſibus fructus maturat. Planta eſt Americæ Septentrionalis incola, & ex Virginia primum in Angliam illata fuit, unde & noſtras hiemes facile tolerat.

Numero primo ramus cum floribus junioribus & foliis parte ſupina, ſecundo parte prona cum floribus explicatis, tertio fructus maturi in ſurculo foliis, quæ eo tempore decidunt, deſtituto, quarto fructus diſſectus, quinto flos ſeorſum, ſexto ſemina utraque parte exhibentur.

Veriſimile eſt hanc plantam figurari a *Plukenetio in Amalth. Tab.* 420. *fig.* 6. ubi folia juſto minora (a ſicca) facta ſunt, quamvis æque parva ſubinde in ramulis minoribus obſerventur. Quin & ipſe Plukenet. folia ampla tribuit & Hypericum ramoſum amplioribus ſubrotundis crenatis foliis, Americanum, floribus luteis vocat in *Mantiſſa p.* 104. Crenata folia minime ſunt, ſed ſubinde obiter ſinuata; qua de cauſſa autem Hypericum inſcribat, nemo non mirari debet. Flores eum vidiſſe non credo, alias enim pingi curaſſet, quodſi vero vidit, cur luteos vocat? Tales enim non ſunt, & ſi ſint, quid attinet commemorare flores luteos, cum pleriſque omnibus Hypericis lutei flores familiares ſint. (Immerenter enim antecedentem plantam Hypericum latiore folio, ſeu Androſæmum perforatum elegans, flore carneo Marilandicum *Mant. p.* 104. vocari exiſtimo, & Plukenetio non niſi ſiccam, quod vel figura ipſius *Tab.* 419. *num.* 6. teſtatur, plantam fuiſſe viſam exiſtimo.) Forte nomen vulgare Hortulanorum, *St. Peter's wort*, quo vulgo venit & forte primum tranſmiſſum fuit, appellationi iſti anſam dedit. Ceterum perperam noſtra hæc planta ad Vitem Idæam refertur & Vitis Idæa Caroliniana, foliis ſubrotundis hirſutis, ex adverſo naſcentibus, floribus minimis herbaceis, fructu parvo rubello, dicitur *Cat. Plant. Hortul. Londin. p.* 85. *Tab.* 20.

TAGETES

F. 361.

Tageter minor, flore fulvo maculato.



TAGETES MINOR FLORE FULVO MACULATO T. CCLXXIX. F. 361.

TAGETES vulgaris, cujus flos minor eſt, quam alterius cujuſdam ſpeciei, quæ majore & pallidiore gaudet flore, licet ab aliis pridem ſatis accurate deſcripta & depicta ſit, ita ut ſupervacuum videatur hanc ſpeciem, quæ illi valde ſimilis, de novo cudere & deſcribere; tamen quoniam in illius deſcriptione quædam omiſſa ſunt, nec figuræ antiquæ ligneæ moderno ſæculo ex omni parte placent, noſtræ hujus figuram, quam potui accuratam, & deſcriptionem cum ipſius differentiis tradere liceat.

Bipedali autem & tripedali aſſurgit hæc ſpecies altitudine, caulibus erectis, minus ſane, quam in vulgari, reclinatis minuſque ſparſis, ſtriatis glabris, rubentibus, vel e rubro & purpureo in viridem tendentibus colorem. Quibus digitalis ad baſim eſt craſſities, quæ ſuperiora verſus ſenſim imminuitur, & ad pediculos, qui flores geſtant, in gracilitatem ſtyli tandem vertitur. In ramos mox a primo ortu, paullo tamen altius, quam vulgaris ſpecies, dividitur, contrario ſitu enaſcentes, ſubinde tamen ſimplex in brachia, deficiente medio caule, diviſio obſervatur, quibus pro diviſuræ ratione folia adnaſcuntur modo adverſa, modo alterna, aliarum hujus generis ſpecierum inſtar alata & ſerrata, glabra, coloris ſaturanter viridis ſuperne, inferne vero pallidioris, Tanaceti foliorum proxime æmula, quæ quo faſtigio caulis & ramorum magis appropinquant, eo pedetentim in anguſtiora ſegmenta diviſa obſervantur.

Flores in ſummis naſcuntur ramulis, magnitudine fere vulgaris Tagetis, in eo notabiliter diverſi, quod fulvum florem maculæ oblongæ puniceæ diſtinguant, cum illius ſemifloſculi toti profunde fulvo & puniceo colore inſigniti ſint. Contingit aliquando, ſi planta ramis minus luxuriare deprehendatur, ut flores nonnihil majores naſcantur, id quod & in aliis plantis ſimili modo tractatis fieri obſervatur. Ceterum flores e ſemifloſculis octo & pluribus frontatis integriſque & floſculis plurimis in quinque, ſubinde in ſex lacinias diviſis componuntur, quorum & illi, & hi (vid. figura marginalis 1. 2. & 3.) ſeminibus inſident oblongis gracilibus, laciniis foliaceis teneris albidis, qua floſculis & ſemifloſculis nectuntur, terminatis. Integros dixi ſemifloſculos, quoniam, ſi preſſa explicentur, tales, dempto medio ſinu ſuperficiali, revera ſunt, ſibi autem relicti modice ſinuati & per margines obiter crenati apparent; in vulgari autem ſpecie florum radius e ſemifloſculis plerumque ſinuatis & per margines vere, tenuiter licet, crenatis conſtat. Calyx ipſis ſimplex & integer, ſummo margine denticulatus, ſecundum longitudinem vero ſulcatus, pro involucro inſervit. Odorem flores ſpirant eundem cum aliis ſpeciebus, jucundum nempe, ſed ſubgravem & cerebrum opplentem.

Num eadem ſit hæc ſpecies, cum Caryophylli Hiſpanici varietate ſeptima & octava *Col. Ecphr. Part. II. p.* 47. aſſerere non audeo, quoniam & figura deeſt, & deſcriptio adeo brevis eſt, ut dubios nos relinquat. Ea vocatur a *C. Bauhino Pin. p.* 133. Tanacetum Africanum minimum, ſericea hirſutia obſitum, formato nomine ex deſcriptione Columnæ. Cui ſpeciei idem videtur Tlapalcocatli Coaxochitl,

chitl, Caryophyllus Mexicanus quintus *Hiſt. Mex. p.* 156. Minima noſtra ſpecies dici nequit, hirſutiam autem & villoſitatem veram nec in hac, nec in alia ſpecie me adhuc obſervaſſe memini, niſi mollem quendam florum aſpectum, telam holoſericeam referentem, quo vulgaris præcipue minore flore puniceo donata ſpecies ſuperbit.

E ſeminibus Mexicanis nata floruit Novembri menſe, anno 1727.

Dodonæi relatu Tagetes vulgaris ex Africa, ubi pleriſque locis ſponte naſci refert, primum in Europam invecta, quando nempe Carolus V. Rom. Imperator apud Tunetum celebri potitus eſſet victoria, unde Africani & Tunetenſis floris denominatio ei contigit. Expeditio autem illa Africana incidit in annum 1535. Dodonæi vero Hiſtoria Plantarum Gallica prodiit anno 1557. & Belgica prima editio paucis retro annis. Decem autem circiter annis ante Dodonæum, nempe anno 1542. hujus floris mentionem fecit *Fuchſius Hiſt. p.* 47. 48. ubi ejus figuram ſatis bonam exhibuit & Tagetem Indicam nuncupavit, quo nomine, miſſo improprio Tanaceti, Caryophylli Indici & Floris Africani, ad hoc genus ab aliis diſtinguendum uſus poſthac Tournefortius. Tagetis vero nomen, ut Fuchſius refert, primo adhibuit Apulejus, & pro Tanaceto deſignando eo uſus eſt; poſteri vero miſſa Tagetis appellatione, Tanacetum vocarunt eam herbam, quæ vulgo Tanaceti nomine nota eſt. Fuchſius autem natales hujus plantæ non recenſet, ſed in hortis coli refert. Equidem prima hujus plantæ notitia incidit in expeditionem illam Africanam, ſed cum Dodonæus incerto nitatur Auctore, nec ad noſtra uſque tempora, quantum memini, de natalibus Africanis quicquam certi quis tradiderit, quidni Americanæ potius originis eſſe credamus, cum reliquas ejus ſpecies novi Orbis inquilinas eſſe ex Hiſtoria Mexicana conſtet.

Dodonæus porro infamem fecit hanc plantam, & venenoſæ qualitatis participem, dum non tantum in puero, qui flores mandere inceperat, labia inflata vidit, ſed & feles, quibus flores cum calycibus recenti caſeo permixtos dedit, mox inflatas & mortuas conſpexit. At Hiſtoriæ Mexicanæ Commentatoribus non omnia venena judicantur, quæ beſtias interimunt, nec quæ pueris, teneræ nempe ætati, os inflant, adultis ideo noxia cenſentur. Sane enim Piper, Arum, Angelica, Helenium &c. multo magis urunt, nec tamen egregia eſſe medicamina deſinunt. Mihi quidem folia & flores hujus ſpeciei guſtanti ea calida & aromatica viſa, labia tamen & fauces illæſa reliquerunt, nec niſi levem quendam ſuburentem in lingua ſenſum impreſſerunt. Quidni ergo credamus ventriculo conferre, menſem & urinam ciere & ſudores elicere, liberare obſtructa, & vitiis hepatis ſuccurrere hujus generis plantas, ut in Hiſtoria Mexicana aſſeritur.

TAGETES MULTIFLORA, MINUTO FLORE ALBICANTE T. CCLXXX. F. 362.

TAM in fictili, quam ſolo libero repoſita inſignem hæc nova Tagetis ſpecies altitudinem adepta eſt, ad decem & undecim uſque pedes in fictili, longiorem vero extra id proceritatem naſcens, caulibus robuſtis, brachialem pæne in ſolo, nonnihil minorem in fictili craſſitiem verſus radicem acquirentibus, rectis, rigidis, teretibus, glabris, coloris rubentis, in quibus folia ab imo ad ſummum uſque

Tageter multiflora, minuto flore albicante.



que naſcuntur, quam in aliis ſpeciebus minora, glabra, eodem, ni fortiore, odore graveolente prædita.

Caulium & ramorum ſummitates in ſpicam longam (pedalem & longiorem) excurrunt, quæ ſpica ex floribus e foliorum alis umbellatim velut naſcentibus compoſita eſt, quorum pediculis minuta foliola, ceu ligulæ, hinc inde appoſita ſunt. Calyces integri, oblongi, tubuloſi, glabri ſunt, in tres & quatuor minutas lacinias in ſummitate diviſi, non ſtriati, ſed læves & æquabiles, e tereti triquetri, lineis brevibus fuſcis variegati & veluti punctati. Flores valde parvi ſunt, e flaveſcente albicantes, quorum radius e duobus, tribus aut quatuor parvis ſemifloſculis, nunc bifidis latiuſculis, nunc trifidis anguſtiuſculis conſtat, quorum ſinu continentur floſculi minuti, diſcum non ſuperantes, & vix prominentes, luteoli, in quinque exiguas lacinias diviſi, utriculo farinifero & ſtylo bifido recurvo donati, nullis vel caſſis ſeminibus inſidentes, ſemifloſculi autem utriculo carent, ſoloque ſtylo recurvo, ceu alii Compoſiti flores, gaudent, & ſeminibus inſident oblongis gracilibus, compreſſis, per maturitatem nigricantibus, quatuor vel quinque filamentis, (tribus brevioribus & duobus longioribus) exſuccis albidis foliaceis terminatis. Seminibus nullæ ſquamæ appoſitæ vel interpoſitæ ſunt. Figuris marginalibus 1. 2. 3. flores aliquot, 4. ſemifloſculi, 5. & 6. floſculi, 7. 8. & 9. ſemina ſeorſum deſignata ſunt.

Ceterum proceritate, floribus minutis & eorum naſcendi modo tam peculiaris eſt hæc Tagetis ſpecies, ut ſolo titulo ab aliis diſtinctam nemo non agnoſcat, quare eam cum aliis comparare & differentias enumerare ſuperfluum foret.

Sero, & ſub auctumni finem, cum aliæ Tagetis ſpecies fere defloruiſſent, floruit anno 1728. Nata fuit e ſeminibus e ſpeciminibus ſiccis extricatis; hæc vero ſpecimina attulit ** Mylam Chir. e Bonarienſi agro, quorum quædam pedalem tantum, alia bipedalem longitudinem obtinebant; & quamvis regio illa valde fertilis ſit, in horto tamen in majorem multo altitudinem excrevit.

Lectores judicent utra, vel an non utraque huc referri queat, Tagetes Chilienſis exiguo flore, & Tagetes Chilienſis flore minimo *Feuill. Obſ. Phyſ. Tom. III. Hiſt. Plant. Med. p.* 64. de quibus ſequentia tradit: „Ces deux plantes n'ont „ rien de ſingulier, qui puiſſe les faire diſtinguer des autres eſpeces, que la pe„ titeſſe de leurs fleurs: celles que porte la premiere de ces plantes, ſont lon„ gues environ de quatre lignes, ſur une ligne d'épaiſſeur, évaſées de deux à „ trois lignes, & couronnées de cinq demifleurons. Les fleurs de la ſeconde ont „ à peu près la même longueur; mais elles n'ont pas plus d'une ligne d'épaiſ„ ſeur, & leur calice n'eſt débordé que de deux demifleurons oppoſez. Elles „ ſont l'une & l'autre extremement chaudes. Les Indiens en mangent au retour „ de leur pêche, pour ſe rechaufer." Figura deſideratur.

TELEPHIASTRUM FOLIO GLOBOSO
T. CCLXXXI. F. 363.

SUNT mihi Obſervationes quædam Botanicæ a Vaillantio provectæ, in quibus ad Telephii *Tourn.* genus, aliud annotatum reperio genus, quod Telephiaſtrum vocat. „Huic calycem tribuit bifariam, mitræ inſtar diviſum: capſulam

„ ſimplicem triangularem, e cujus baſi placenta ſurgat, ſeminibus undique onu-
„ ſta, quæ per maturitatem ab apice ad baſim uſque in tres partes æquales dehi-
„ ſcat." Itaque calyce præcipue a Telephio, cujus calyx in quinque ſegmenta dividitur, a Portulacea vero, quod flos ſummo fructui non inſideat, & quod calyx vaſculo non connaſcatur, quodque vaſculum per tranſverſum non aperiatur, differt hoc genus, quæ differentiæ, pro novo genere inferendo, omnino ſufficiunt. Hujus vero generis ſpecies facit Vaillant, Telephium maritimum Sedi folio, flore rubello *Inſt. Rei Herb. p.* 248. & Portulacam Africanam ſempervirentem, flore rubicundo *Hort. Amſt. Part. II. p.* 177. Illud vocat, Telephiaſtrum maritimum Kali folio, flore rubello; hanc, Telephiaſtrum Africanum ſempervirens, Sedi majoris folio.

In Horto Elthamenſi a pluribus annis planta colitur a Portulaca illa non parum diverſa, quam, ſive nova planta, ſive ejus ſaltem varietas ſit, hic deſcribere & iconem exhibere operæ pretium duxi.

Hæc ex radice fibroſa, paucos ſaltem, unum nempe alterumve profert caulículum, non repentem, ſparſumve, ſed oblique ſurrectum, aut humi ſaltem reclinatum, quadrantalem aut trientalem, non aut parum ramoſum, calami olorini craſſitie, carnoſo-lignoſum, cortice veſtitum lævi, cinereo aut ſqualide fuſco inferius, ſuperius virente, in quo folia naſcuntur crebra, alterna ſerie juxta ſe orientia, cauli temere abſque pediculis adnaſcentia & facile decidentia, (Sempervivo plane diſſimilia) craſſa valde & ſucculenta, longitudine & latitudine fere eadem (ſemunciali & unciali) craſſitie ad latitudinem dimidiata, inferius craſſiora & rotundiora, (per vetuſtatem rugoſa) in ſuperiori caulículi parte minus craſſa, ſuperficie lævi (non ſplendente) coloris e viridi ſubglauci pallidioris, avenia, punctis crebris virentibus (a ſubſtantia celluloſa & poroſa) notata, ſucco viſcido acido, in fila ductuli, referta.

In quibus caulículis ſurculi Julio & Auguſto menſibus naſcuntur palmares, teretes virentes, glabri, aphylli, nunc ſimplices, nunc bifurcati, in quorum ſummitatibus flores ſucceſſive explicantur amœne purpurei, in quinque petala ad unguem uſque diviſi, petalis nunc æqualiter, nunc nonnihil inæqualiter explicatis; duo enim petala ſuperiora tantum fere ſpatii occupant, quantum tria inferiora, quo non obſtante, cum differentia levis ſit, regulares & pentapetali cenſendi ſunt flores. Embryo (figura marginali prima) in medio flore hæret ſubrotundus, qui in ſimplici cavitate (figura ſecunda & tertia) plura continet ſemina (figura quarta) parva ſubrotunda; quale autem vaſculum futurum eſſet, obſervare non licebat, quoniam mox cum flore (non deciduo) embryo emarceſcebat. Stylus embryoni inſidet in tria candida apiciformia corpuſcula deſinens, & circa embryonis baſim ſtamina oriuntur plura, apicibus croceis capitata: Calyx ſubvireſcens ſub flore locatur, non deciduus, duobus foliis cuſpidatis conſtans.

Portulacam Africanam ſempervirentem, flore rubicundo *Hort. Amſtel. P. II. p.* 177. *fig.* 89. memini naſcentem vidiſſe, ramulis procumbentibus, foliis confertioribus, nonnihil ſulcatis, (Sempervivo tamen non multum ſimilibus) non æque craſſis; noſtra autem minime tam ramoſa & tam procumbens eſt planta, flores minores & minus, ac illius, pingitur, regulariter expanſos habet, ſurculi floridi nobiſcum ſemper erecti ſunt, folia craſſiora ſunt, ſaporis acidi, illius vero caulium & foliorum

F. 363.

Telephiastrum folio globoso.



F. 364.



Telephioides Græcum humifusum, flore albo Tournefortii.

foliorum ſapor idem dicitur cum Portulaca latifolia ſativa *C. B.* qui aquoſus eſt & inſipidus. Atque hunc, qui jam explicatus & icone expreſſus eſt, naſcendi modum nobiſcum conſtanter obſervat hæc planta.

Hujus porro generis ſpecies eſt, Telephium Americanum Portulacæ folio *Tourn. Inſt. Rei Herb. p.* 248. & Telephium maritimum Sedi folio, flore albo *Ejuſd. Ibid.*

TELEPHIOIDES GRÆCUM HUMIFUSUM, FLORE ALBO TOURN. COROLL. P. L. *T. CCLXXXII. F.* 364.

ANNUA eſt herba, quæ ex radice fibroſa coliculos plures palmares, dodrantales & pedales ſpargit humifuſos, teretes, glabros, virentes, ad baſim ſubfuſcos, in quibus folia naſcuntur alterna, Telephii legitimi *Imper.* facie, ſpiſſiuſcula, nitida, glabra, utrinque glauca, plana, aut leniter ſaltem in ſuperiori coliculorum parte concava, inferius rotundiora, ſuperius nonnihil longiora, pediculis tenuibus brevibus nixa, nervo & venis aliquot vix conſpicuis prædita.

Flores & vaſcula e foliorum alis naſcuntur ea ratione, ut ſexus differentia, quod prætermiſſum a Tournefortio, obſervetur. Nam e ſingulis geniculis flos pendet ſtaminibus & apicibus præditus, qui maſculus & a quibuſdam ſterilis apellatur, quod eum nullus fructus inſequatur, & alter abſque ſtaminibus & apicibus, ſolo ſtylo & embryone conſtans, qui, quod in fructum abeat, fœmineus dicitur & fertilis. In his porro floribus differentia petalorum obſervatur: maſculi quidem duplicia habent, altera longiora & tenuiora candida, obiter in extremitate inciſa, altera ad horum baſim locata breviora, ſubvirentia, profundius inciſa, fœmineis ſimilia, ſed nonnihil teneriora: flores autem fœminei circa embryonem petala habent unius tantum generis, nempe brevia herbacea craſſiuſcula, minus fugacia, in duas lacinias ſat profunde, Alſines inſtar, diviſa, teneris illis & fugacibus albidis carent. Quæ petala herbacea ob parvitatem ſuam fugerunt Tournefortium, qui alias petala caudicantia naturali magnitudine nonnihil majora & calyci minus bene æqualia exhibuit, crenam vero in medio omiſit *Tab.* 485. Ceterum tam illa, quam hæc quina ſunt. Calyces in quinque ſegmenta ad baſim uſque dividuntur, qui in maſculis floribus emarceſcunt, in fœmineis vero augentur & ad fructus uſque maturitatem perſtant & colorem glaucum retinent. Stamina exigua quinque ſunt, apicibus parvis luteis prædita. Embryo ſubrotundus ſtylum tenuem trifidum habet, ſingulis corniculis iterum bifidis & exili globulo terminatis, qui dein in fructum abit ſubrotundum, obtuſe trigonum, in tria (non ſex, ut Tournefortius vult) loculamenta diviſum, quorum ſingulis bina continentur ſemina, parte exteriorie rotundata, interiori angulata, unde obtuſe triquetra fiunt.

Quæ partes omnes ſeorſum in Tabula expreſſæ ſunt, nempe figura prima flos maſculus magnitudine naturali, ſecunda aucta magnitudine, 3. petala maſcula naturali & 4. aucta magnitudine, 5. petala maſcula minora fœmineorum æmula naturali, 6. aucta magnitudine, 7. flos fœmineus naturali, 8. aucta magnitudine, 9. petala hujus floris naturali, 10. aucta magnitudine, 11. ſtylus naturali, 12. aucta magnitudine, 13. vaſculum integrum, 14. diſſectum cum ſeminibus, 15. vacuum ſeu abſque ſeminibus, 16. ſemina, quæ per maturitatem ex cinereo albeſcunt.

Tele-

Telephioidis nomen huic generi impoſuit Tournefortius, ob ſimilitudinem, quam hæc ſpecies habet cum Telephio legitimo *Imper.* & hujus unicam tantum ſpeciem, hanc nempe recenſuit in Inſtit. Rei Herbariæ Corollario, aliam vero in Italia naſcentem addidit Micheli, quæ in *Hort. Piſano p.* 163. dicta fuit, Telephioides Italica humifuſa, flore herbaceo. Sed habet noſtra etiam planta, demptis teneris illis maſculinis petalis, herbaceos flores, ut eadem videri queat, quamvis in dicto Horto & Tournefortiana ſpecies ſeorſum enumeretur. Sane in ſpecimine exſiccato ab ipſo Micheli tranſmiſſo nullam differentiam inter Italicam & Græcam deprehendo, cujus porro Synonyma mihi videtur, Glaux procumbens, Myrti Tarentinæ folio *Bocc. Muſ. Part. II. p.* 168. *Tab.* 119. Plures vero aliæ in Indiis naſcuntur ſpecies, Nirouri & Kirganelli nominibus ex *Horto Malabarico* notæ: nempe Niruri *Tom. II. p.* 45. *Tab.* 27. Perin Niruri *Tom. V. p.* 85. *Tab* 43. Tsjeria Nirouri & Katou Nirouri *Ibid. p.* 87. *Tab.* 44. Kirganelli *Tom. X. p.* 29. *Tab.* 15. Tsjeru Kirganelli Ibid. *p.* 31. *Tab.* 16. Niruri *Ibid. p.* 53. *Tab.* 27. quamvis ego de ſecunda & penultima ſubdubitem, an veræ hujus generis ſpecies ſint. Certior eſt ſpecies, Telephioides fruteſcens Hyperici folio *Plum. in. Delineat.* & Fruticulus capſularis hexapetalos, Caſiæ Poëtarum foliis e Maderaſpatan *Pluk. Alm. p.* 159. *Tab.* 183. *fig.* 4. & duæ aliæ ſpecies Tabula eadem fig. 5. & 6.

Poſtquam noſtram hanc ſpeciem deſcripſiſſem & figuram æri incidiſſem, ramum ejus in *Buxbaum Plant. min. cogn. Cent. II. Tab.* 12. *f.* 2. figuratum obſervo, ſed abſque floribus, de quibus & in deſcriptione altum ſilentium. Ceterum recte ab eo annotatur, fructum non in ſex, ſecundum Tournefortium, ſed in tria loculamenta diviſum eſſe. Spontanea ea auctori obſervata in monte Olympo, deinde etiam in Media.

TETRAGONOTHECA DORONICI MAXIMI FOLIO T. CCLXXXIII. F. 365.

PRo foliorum & florum magnitudine, planta eſt non magna, nam caules ejus ſeſqui & bipedalem altitudinem parum excedunt, teretes, hirſuti, brevibus intervallis mox ab imo ramos foliaque conjugata emittentes, foliis nullis inſidentibus pediculis, ſed latiuſcula baſi caules amplexantibus, Doronici maximi foliis caulem amplexantibus *C. B.* foliis ſuperioribus ſimilibus, non æque tamen in culta planta circa medium in latum diductis, per margines vero rarius, laxius & magis obiter ſinuatis, ceteroquin illius inſtar ſubhirſutis.

Caulis circa medium e ramorum alis & in ſumma ſua parte in pediolis bi & triuncialibus flores profert flavos, Coronæ Solis figura, ſed in eo diverſos, quod ſemifloſculi laciniati & in tria ſegmenta diviſi ſint, & quod diſcus eorum e floſculis laxius congeſtis conſtet, quibus ſemina ſubjiciuntur nuda, nullis in ſummitate eminentiis foliofis, illius inſtar, terminata. Sed ea præcipue notabilis eſt differentia, quod totus flos calyce ſimplici, in quatuor ſegmenta velut triangularia, vel cordata potius, diviſo includatur; qui calyx id peculiare habet, quod, antequam flos explicetur, veſicam vel thecam referat quadrangularem, marginibus ſegmentorum ejus ita ſibi approximantibus, ut connexi & integri hinc videantur calyces.

F. 365.

Tetragonotheca Doronici maximi folio.



F. 366.

F. 367.

F. 368.

Teucrium fruticans Bæticum Clus.

Teucrium fruticans Bæticum, minore folio.

Teucrium fruticans Bæticum, ampliore folio.

ces. Floris autem maturitate appropinquante ſegmenta illa explicantur, & florem exponunt e ſemifloſculis decim undecimve, ſubinde & pluribus conſtructum, cujus diſcus ab initio denſior & in medio cuſpidatus eſt, deinde vero, ubi floſculi omnes explicantur, laxior multo fit, & capitulum ſquarroſum refert.

Floſculi in quinque lacinias breves dividuntur, & tubulum continent ab initio depreſſum, dein ad farinæ emiſſionem elongatum & floſculo ſupereminentem, coloris ſubfuſci, quinque in baſi cruſculis, ceu ſtaminibus, innitentem, in ſummitate vero in quinque exiguas crenas diviſum, unde ſtylus prominet bifariam diviſus & reflexus. Floſculis ſquamulæ interponuntur candidæ teneræ, carinatæ, quæ ab initio magis prominent & umbonem floris cuſpidatum efficiunt, ad floſculorum vero elongationem deprimuntur & fere diſparent. Semifloſculus ſeorſum figura prima, ſecunda, tertia, & quarta floſculi & ſemina, quinta ſquamæ deſignantur.

E ſeminibus Carolinenſibus nata floruit anno 1726. Septembris initio, ſequentibus annis paullo maturius, ea plane figura, qua deſignata eſt planta. Obſervari autem debet, ſpecimina, quæ habemus ſpontanea, inter genicula & folia habere breviora & pro longitudine latiora, frequentiuſque in ambitu dentata, Doronico illi maximo ſimiliora, cujuſmodi folium ſeorſum figura ſexta, & ſeptima folium inferius adpictum eſt.

Qui Græcis literis mediocriter fuerit imbutus, nominis, quod a ſingulari perianthii ſtructura meruit, rationem facile cognoſcet. Ceterum qui ad ſuperius allata attenderit, quomodo hoc genus a Corona Solis & aliis differat, facile deprehendet.

Dicitur, credo, Doronicum Carolinianum flore folioſo Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 244. *n.* 7. Alia ſynonyma non novi.

TEUCRIUM FRUTICANS BÆTICUM CLUS. HISP. P. CCXXIX. HIST. PLANT. P. 348. *T. CCLXXXIV. F.* 366.

TEUCRIUM FRUTICANS BÆTICUM, MINORE FOLIO IBID. F. 367.

TEUCRIUM FRUTICANS BÆTICUM, AMPLIORE FOLIO IBID. F. 368.

TEUCRII vulgaris fruticantis Bætici Hiſtoriam conſcripſit Cluſius, & figuram ejus ſatis accuratam, niſi quod caulis perperam rotundus pingatur, & quod foliorum ſinus, qui tamen non admodum obſervabiles, a pictore, ut ipſe queritur, non expreſſi, vel potius horum loco denticuli hinc inde appicti ſint, exhibuit.

Duæ vero aliæ, illi valde ſimiles, ex Bætica etiam non ita pridem innotuerunt ſpecies: altera paullo ramoſior, foliis minoribus & brevioribus prædita: altera foliis amplioribus gaudens, magis rugoſis, minus ſplendentibus, tenui lanugine in ſuperiore parte reſperſis, cum utriuſque illius foliorum ſuperior ſuperficies atro virore reſplendeat & ſubtus tantum incana folia obſerventur. Equidem ſpecies,

quæ ampliora folia habet, ſubtus etiam incana eſt, verum minus, ac illæ, candida, & id porro diſcriminis obſervatur, quod folia in hac ſpecie per exſiccationem ſuperne glauca fiant, inferne vero ferrugineum colorem acquirant.

Flores ſecundæ ſpeciei primæ ſimiles ſunt, niſi quod paullo pallidiores videantur, ex cæruleo nempe albicantes, & quod ſtamina aliquanto longiora appareant, apicibus minoribus fuſcis terminata, cum illius apices craſſiores ſint, & violaceo colore tincti conſpiciantur.

Tertiæ ſpeciei flores utriuſque floribus nonnihil breviores & minores ſunt, licet folia ejus ampliora ſint, colore non cæruleo, ſed purpuraſcente tincti, venis & ſtriis magis conſpicuis exarati, ſtaminibus apicibus obſolete vireſcentibus capitatis.

Folia primæ ſpeciei ad margines, præſertim ſuperiora, nonnihil ſinuata, ſeu undata ſunt, & limbos inflexos habent, quod non æque in duabus reliquis obſervatur.

Ceterum omnium harum ſpecierum flores, ut genus docet, unilabiati ſunt, ſeu galea deſtituti, labio in quinque partes ſecto, quarum extrema propendet, ceteris amplior & concava eſt, ſecundum longitudinem in medio ſinuata, vel laciniata potius, mediæ anguſtiores ſunt, minus cavæ, utrinque in latera explicatæ, poſteriores ſurrectæ ſunt, galeæ locum implentes, ex obſoletiore herbaceo pallide purpuraſcentes. Flores ad ſingula genicula gemelli, ſinguli nempe e ſingulis foliorum alis naſcuntur, pediculis tenuibus inſidentes. Calyces in quinque ſegmenta æqualia, niſi quod ſuperius & poſterius nonnihil anguſtius ſit, dividuntur.

Æſtate omnes nobiſcum florent, & licet primæ & vulgaris ſpeciei figura Cluſio & aliis jam tradita ſit, ramulum tamen, ad differentiam clarius percipiendam, reliquis adjicere volui.

Synonyma primæ ſpeciei ab utroque Bauhino enumerata ſunt, quibus addi debent ſequentia: Teucrium exoticum fruticans Pariſienſium *Pillet Syn.* Teucrium Bæticum arboreſcens *Munt. Cult. p.* 626. Teucrium Bæticum flore cæruleo *Pein. Hort. Boſ. A.* 1690. Chamædrys fruticoſior flore violaceo, foliis ſubtus incanis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 422. *n.* 7. *Sect. XI. Tab.* 22. *fig.* 7. (Cluſ.) Teucrium cæſio & amplo Roſmarini flore, Bæticum Cluſio *Barrel. Obſ.* 348. *ic.* 338. Teucrium Bæticum, calyce campanulato *Boerh. Ind. Alt. p.* 181. *n.* 3.

Ad ſecundam ſpeciem referendum videtur: Teucrium argenteum, ſubrotundis foliis non ſinuoſis, flore cæruleo *Pluk. Alm. p.* 363. Teucrium Bæticum humilius & ramoſius, folio ſubrotundo *Act. Phil. Num.* 395. *p.* 127. *pl.* 196. *Cat. Plant. Hortul. Lond. Tab.* 3.

Ad tertiam refero: Teucrium Hiſpanicum, latiore folio *Tourn. Elem. Bot. p.* 176. *Inſt. R. Herb. p.* 208.

TEUCRIUM VIRGINICUM, ORIGANI FOLIO
T. CCLXXXV. F. 369.

CAULICULO ſurgit dodrantali & pedali, in ramulos adverſos decuſſatim ſeu cruciato ſitu diviſo & ſubdiviſo, foliis ad genicula ſimili ſitu locatis, figura foliorum Origani ſylveſtris, ſubhirſutis, ut ſunt & caules ramulique. Quadrangulares ii ſunt, angulis tamen ita obtuſis, ut teretes fere appareant.

Summi

Teucrium Virginicum, Origani folio.

TEUCRIUM VIRGINICUM, ORIGANI FOLIO



Thlaspi Bonar. multifidum, flore invisibili.

Summi ramuli capitula ſuſtinent ab initio nutantia, ad floris autem explicationem erecta; calyces nempe ſunt breviuſculi, in quinque ſegmenta inæqualia, tria ſuperiora longiora & majora, & duo inferiora breviora & minora diviſi, e quibus flos prorumpit violacei coloris, figura florum Teucrii, unilabiatus nempe, ſegmento medio propendente, cochlearis inſtar excavato, punctis ſaturatioribus violaceis notato, reliquis ſurrectis, galeæ inſtar, magis ſane, quam in aliis Teucrii ſpeciebus, & pro reliqua floris magnitudine præter proportionem in hac ſpecie amplis. Flores brevi decidunt, poſt quorum lapſum calyces ſurrecti & aperti manent, ſemina continentes ſubrotunda. Calyces hac de cauſſa campaniformes dixit Tournefortius, Chamadryos autem tubulatos, quibus hæc genera præcipue diſtinguit. Addi debet floris figura, cujus laciniæ ſuperiores in Teucrio magis, quam in Chamædry, erectæ ſunt, nec negligenda propria plantæ facies.

Auguſto & Septembri menſe nobiſcum floruit hæc planta, orta e ſeminibus a Car. Du-Bois, Soc. Ind. Or. Theſaurarii, communicatis. Figura marginali prima, ſecunda & tertia flores, quarta, quinta & ſexta calyces aliquot ſeorſum deſignati ſunt.

Eſt Scutellaria cærulea Majoranæ folio, Americana Baniſteri *Pluk. Alm. p.* 358. *& Am. p.* 191. *Tab.* 441. *fig.* 8. quæ figura ad ſpecimen ſiccum plantæ ſpontaneæ facta, in qua folia minora, flores autem vitioſe exprimuntur. Quam longe vero a Scutellariæ vel Caſſidæ genere differat, ex ſupra relatis conſtabit. Quodſi ergo Caſſida Canadenſis pumila, Origani folio Sarraceni *Inſt. R Herb. App. p.* 665. *Edit. Sec. p.* 185. eadem ſit, ut vult Plukenetius in Amaltheo, tum non minus Sarracenus, quam Tournefortius, in genere plantæ erraverunt.

THLASPI BONARIENSE MULTISCISSUM, FLORE INVISIBILI T. CCLXXXVI. F. 370.

BIPEDALI & altiore eſt magnitudine, ramoſum, ramis oblongis in latera ſparſis, per quos multa naſcuntur folia faſciculatim congeſta, Tanaceti foliorum æmula, ſed minus frequenter inciſa; ſegmenta enim, quæ in Tanaceto criſtata ſunt, in hoc in lacinias pauciores diviſa obſervantur, utrinque viridia, averſa parte & per margines minutis pilis obſita, ſaporis acris.

In ſummis ramis oblongæ naſcuntur ſpicæ, in quibus flores & vaſcula diſponuntur parva, compreſſa, in apice inciſa & cordata, intus ad planum ſeu latitudinem capſulæ tranſverſim diviſa, ſemina continentia duo, in ſingulis nempe loculamentis ſingula, compreſſa per maturitatem & colore luteſcente prædita. Flores ab initio congeſti ſunt, dein quo magis defloreſcit, eo longius ſpica excreſcit, & flores & vaſcula eo longius ab invicem removentur. Flores autem tam puſilli ſunt, ut eos nudo oculo ne lynceus quidem detegere queat, vitrea autem lente adhibita quatuor obſervantur petala teretiuſcula ſtaminiformia, candida, reflexa, inter perianthium, quod e quatuor foliolis exiguis virentibus (piloſis) conſtat, locata. Stamina & apices tantum duos obſervare potui, contra aliorum hujus generis normam.

Flores hi figuris marginalibus 1. 2. 3. magnitudine naturali paullo ampliores, & magis adhuc figura 4. aucti, 5. vero & 6. ſemina naturali magnitudine ſeorſum expreſſa ſunt.

Foliorum

Foliorum diviſione & naſcendi modo, florumque exiguitate ab omnibus aliis Thlaſpi ſpeciebus abunde differt.

Floruit Majo menſe, e ſeminibus priori anno ſatis, quæ e Bonarienſi agro nacti eramus.

THLASPIDIUM HISPANICUM AMPLIORE FLORE, FOLIO CRASSO DENTATO T. CCLXXXVII. F. 371.

DUo ſunt plantarum diverſa genera, quæ Thlaſpidii nomen meruerunt apud *Rivinum* & *Tournefortium*. *Rivinus* hujus generis notas ex floribus, qui irregulares ipſi, vel ſi mavis inæquales, ex inæqualibus nempe petalis conflati ſunt, deſumit: *Tournefortius* autem differentiam a fructu deſcribit, qui nempe poſt ſingulos flores e duabus ſiliculis planis una junctis conſtat. Flores ſpecierum, quas *Tournefortius* eo refert, æqualia petala gerunt, dempto Thlaſpidio fruticoſo, Leucoji folio, ſemperflorente *Inſt. R. Herb. p.* 214. Sed nec fructus hujus exacte ſimilis eſt reliquis Thlaſpidii *Tournefortii* ſpeciebus, quapropter conſultius id ad Thlaſpidium *Rivini* refertur. Ad homonymiam autem tollendam velim ad deſignandum *Tournefortii* genus poſthac uſurpari ſatis appropriatam *Lobelii* Biſcutellæ appellationem.

Igitur Thlaſpidii ſpecies eſto hæc, quam deſcribendam habemus, nova ſpecies. Ea Thlaſpidio Perſico ſempervirenti & florenti, modo ex *Tournefortio* memorato, proxime accedit, ſed planta non eſt æque fruticoſa & lignoſa, folia in extremis marginibus dentata, flores autem & umbellas nonnihil ampliores habet, vaſcula in apice fiſſa, ſecus ac in illo contingit.

Eodem, quo ſata fuit, anno, ſub auctumni finem nobiſcum floruit, caulibus ex eadem radice pluribus, ſatis craſſis, virentibus, ſtriatis, humi aliquouſque reclinatis, dein leniter ſurrectis, a pedali ad ſeſquipedalem longitudinem protenſis & in plures ramos diviſis, in quibus folia alterna ſerie diſpoſita, ex anguſtiore principio ſenſim dilatata & in obtuſum mucronem terminata, per ſuperiores margines obiter dentata, craſſa, glabra, venis, excepta media, pæne carentia, ſuperne atrovirentia, ſubtus nonnihil pallidiora. Flores in extremis ramulis plures in umbellæ formam digeſti nati ſunt, ab initio candidi, dein dilute purpurei, inodori, ſpecie Heſperidis hortenſis vulgaris, ſed e petalis inæqualibus conflati; duo enim latiora ſunt & longiora, duo breviora & anguſtiora, petalis majoribus exteriorem, minoribus interiorem umbellæ partem ſpectantibus. In florum medio ſtamina ſex, apicibus oblongis, ab initio luteis, dein ex fuſco in obſcure purpureum colorem deſinentibus terminata. Calyces tetraphylli decidui, foliolis inter ſe æqualibus, virentibus, ad margines vero purpuraſcentibus. Fructus tum non dedit, quoniam flores nimis ſero tulit, eoſque ſuperveniens frigus corrupit, in plantæ vero ſpecimine exſiccato, quod in Hiſpania prope Gibraltariam lectum erat, ii in faſciculos umbellatim congeſti erant, plani & foliacei, in ſummitate bifidi, in duas capſulas tranſverſim diviſi, quarum ſingulis ſingula inerant ſemina latiuſcula, compreſſa, coloris ſubfuſci. Cauliculi rigidi & lignoſi erant, unde perennem conjicere licet plantam: folia, quam in culta planta, minora & obtuſius dentata, quorum

faſciculus

F. 371.

Thlaspidium Hispan. ampliore flore, folio crasso dentato.



F. 372.

Tithymaloides Laurocerasi folio, non serrato.

fasciculus seorsum figura quarta, at prima, secunda & tertia capsulæ & semina incisa sunt.

In Hibernaculo vero repositæ plantæ aliquot, quin & in solo libero servatæ sequenti anno, Majo mense, flores protulerunt copiosos, amplos, diu perstantes, umbellas, quam figura nostra monstrat, majores, &, quam Thlaspidii sempervirentis & florentis, elegantiores, vascula etiam sub auctumnum ad maturitatem pervenerunt.

Thlaspi Alpinum folio rotundiore carnoso, flore purpurascente *Inst. R. Herb. p.* 212. seu Thlaspi montanum folio serrato Cepææ, flore purpurascente umbellato *Barrel. Icon.* 848. quod videri posset, non est idem cum nostra specie: flores ejus sunt minores, vascula minora, rotundiora, in apice non divisa, folia item minora & rotundiora, totaque planta minor est & minus robusta.

TITHYMALOIDES LAUROCERASI FOLIO NON SERRATO T. CCLXXXVIII. F. 372.

„ TITHYMALOIDES, inquit Tournefortius Inst. R. Herb. p. 654. est plan-
„ tæ genus flore monopetalo, calceolum quendam referente, cujus pistil-
„ lum abit in fructum Tithymali æmulum." Quibus notis addi potest, flores esse irregulares & clausos in segmenta difformia, non expansa, sed presse juncta, per summitatem divisos, stylum simplicem esse & flores in ramorum fastigio plures absque radio folioso, qualis in Tithymalo, nasci. Species hujus generis ipsi sunt: (1) Tithymaloides frutescens, folio Myrti amplissimo, *i. e.* Tithymalus Curassavicus myrtifolius, flore coccineo mellifero *Par. Bat.* cujus reliqua synonyma recenset C. Commelin in Præl. Bot. p. 26. 27. (2) Tithymaloides frutescens, folio Anacampserotis *Plum.* (3) Tithymaloides frutescens foliis Nerii *Plum.* sed vereor, ne posterior planta Plumeriæ potius species sit, alteram vero a Curassavico myrtifolio Tithymaloide diversam esse vix credo.

Aliam vero novam & veram hujus generis speciem, ex Indiis, ni fallor, Orientalibus allatam & in Horto viri Nobilissimi & strenuissimi Dn. Car. Wager, Thalassiarchæ Anglici primo cultam habemus, illius instar fruticantis, ramosam, a pedali ad cubitalem, sesquicubitalem & ætate procedente ampliorem procul dubio altitudinem enascentem, caulibus & ramulis crassis, teretibus, lævibus, saturanter viridibus, quibus pediculis brevibus longiuscule a se distantia folia alterna serie adnascuntur, saturanter item viridia, subtus nonnihil pallidiora, superne sulco, inferne nervo acuto extante distincta, non decidua, Padi exoticæ, quæ Lauro-Cerasus vulgo dicitur, figura, avenia, glabra, sed non splendentia, nisi juniora sint, quæ læte virent & splendent, subindeque venas aliquot levidenses habent; rami etiam juniores dilutius virent & nonnihil splendent. Ceteroquin folia Padi illius instar, margines reflexos habent, crassa item sunt & rigida, in extremitate obiter sinuata, per margines vero æquabilia & non, velut in illa, serrata, quamvis serraturæ illæ Padi superficiales & in virente planta, ob margines reflexos, minus etiam conspicuæ sint.

Flores in summis ramis profert plures (septem, octo, novemque) successive prodeuntes; duo autem plerumque eodem tempore perfecti extant, reliqui ca-

pitulorum oblongorum virentium ſpecie ſub his latent, binis foliolis conniventibus arcte incluſa, quæ poſtea ab invicem abſcedunt & capitulum folioſum efficiunt. Ceterum flores monopetali irregulares ſunt, e ſegmentis difformibus compoſiti, Calceoli muliebris ſimilitudine, vel ut Hermannus & Breynius vulgarem ſpeciem comparant, aviculæ, præſertim junioris, capitis figura, quorum ſuperius cranium referens brevius eſt, colore ſanguineo inſigne, a quo laciniæ aliquot oblongæ (duæ videntur) extremitatem verſus protenduntur, eodem colore imbutæ, lateralibus floris partibus connexæ & ab iis non facile diſtinguendæ: cetera vero lateralis & inferior floris pars, roſtrum gulamve referens, integra eſt, aut ſaltem obiter in inferiori extrema parte inciſa, e qua embryo emicat trigonus & tricoccus, ſtylo brevi ſimplici terminatus, ad cujus latera & in ſuperiori parte ſtamina plura exeunt oblonga, apicibus didymis obſoleti coloris terminata. Quæ ſtamina e fundo floris oriuntur & nunc longiora, nunc breviora ſunt; prima nempe longiora, poſteriora breviora ſunt, omnia vero, ſi perfectæ maturitatis, ejuſdem longitudinis fiunt. Subter calyptram cranium referentem duo latent corpuſcula globoſa lucida, per lentem vitream tenuiter rugoſa, quæ in Tithymalo Curaſſavico myrtifolio, flore coccineo mellifero *Par. Bat.* ſtamina & apices ſphæricos lucidos minus bene interpretantur Hort. Amſtel. Obſerv. Auctores p. 32. circa quæ humor ſpargitur melliformis, (cujus gutta etiam in extremitate floris plerumque obſervatur,) cetera vero plantæ pars lacte acri turget.

Figura marginali prima flos ſecundum longitudinem diſſectus, ſecunda embryo cui ſuo ſtylo & pediolo integer, tertia idem tranſverſim diſſectus exhibetur. Reliquæ marginales figuræ flores vario ſitu monſtrant. Sole in Cancro verſante floret.

TITHYMALUS APHYLLUS MAURITANIÆ

IMPER. HIST. NAT. LIB. XXVIII. CAP. I. *T. CCLXXXIX. F.* 373.

„ TITHYMALUS aphyllus nobis dictus, qui Xabra a nonnullis & Camarro-
„ num *Rhaſis* eſſe exiſtimatur, caule eſt erecto atque nudo, Spartii ſeu
„ Geniſtæ inſtar, utplurimum abſque foliis, vel ſaltem pauciſſimis medio veris
„ atque auctumni, floribuſque ſubpallidis in apice caulium, qui modico decidunt
„ intervallo, caulibus reliquo anni totius tempore nudis relictis. Poſt florem au-
„ tumnali tempore ſemen producit, quod licet maturum terræ inſitum apud nos
„ non germinat. Frequens eſt autem hæc planta in locis Africæ maritimis, ubi
„ proprio ſub nomine educatur, quod noſtra lingua Piper longum ſignificat. La-
„ ctis candidi luxurioſam ſtillat copiam, ſaporis acuti & ferme cauſtici, quo in
„ pulverem ſiccato Mauri condimenti loco æque, ac nos pipere, utuntur. „ Hæc Imperatus. Xabra autem & Camarronus *Rhaſis* viſa fuit hæc planta *Rauwolfio, qui Itin. Part. I. L. 4. p.* 62. de ea breviter agit & plantam lactariam vocat, de qua, quoniam abſque floribus, ſemine & foliis reperit, nec ſibi, nec aliis ſatisfacere potuit. Icone tamen, quam ex ſicca fieri curavit, non aliam, quam hanc ſpeciem, deſignari, ex ramorum ortu & eorum figura evincitur. Longe melior eſt figura Imperati, præſertim quæ in prima Italica, ſeu Neapolitana editione p. 761. habetur,

F. 373.

Tithymalus aphyllus Mauritaniæ Jmper.



betur, quæ ipſi plantæ bene reſpondet, nec alium habet defectum, præterquam in floribus, qui plerique omnes tetrapetaloides facti, cum petalis vel ſegmentis potius æquabilibus ſubrotundis, cum pentapetaloides potius ſint, & ſegmenta habeant crenata & in medio ſinuata, quem defectum ut ſuppleam, & ut de ipſa planta, miſere ab aliquibus Herbariæ rei Auctoribus cum aliis confuſa, clarius conſtet, deſcriptionem & iconem accuratiorem dare volui.

A cubitali ad bicubitalem & tricubitalem altitudinem aſſurgit, caudice per vetuſtatem ſatis craſſo, hinc inde a ramis vel abſciſſis, vel deciduis nodoſo, lignoſo, cortice craſſo, e cinereo ſubfuſco, hirſuto & rimoſo veſtito, cui ordinarie ad baſim plurimi circumnaſcuntur ſtolones glauci, æqualis fere ab imo ad ſummum craſſitiei, frequentibus transverſis lineis nodoſis (a foliis deciduis) notati, pedales, bipedales & longiores, non aut parum ramoſi, qui vero ex ſuperiori caule & ramis naſcuntur ſtolones frequentiores ſunt & breviores, alterno, aut nullo potius ordine orientes, ſimilibus oblongis & transverſis exanthematibus nodoſis notati; ſunt enim ſtolones pleraque ſua parte nudi, verſus ſummitatem tantum folioſi, non raro foliis omnino deſtituti, in medio craſſiores, quam inferius, in extremitate vero magis, quam ad baſim, attenuati, glauci etiam, lenti & flexiles, nec niſi multorum annorum ſpatio ligneam duritiem acquirentes, frequenter etiam, antequam eo pertingant, emorientes; interior nempe ſubſtantia fungoſa facile putreſcit, exterior vero ſeu cortex, qui ſatis craſſus, tabeſcit & in inanem cineream fiſtulam abit, quod & Rauwolfio in hac planta obſervatum.

Folia, ab inferioribus incipiendo, nullo certo anni tempore nobiſcum decidunt & renaſcuntur, unde fit, ut ſtolones & foliati, & ſemifoliati, & nudi in eadem planta & eodem tempore obſerventur, ordinarie autem folia in ramis, qui flores tulerunt, exareſcunt. Ceterum folia nova de ſummitate renaſcuntur, ſingula ſingulis lente, prout ramuli elongantur, ſuccedentia, ab initio in cuſpidem convoluta, dein ſenſim explicata, Lino ſimilia, ſed nonnihil craſſiora, glauca, lævia, plana, aut leniter ſaltem, præſertim verſus extremitatem, concava, avenia, nervo vix conſpicuo prædita, cauli temere abſque pediculis lata baſi adnaſcentia, toto anno, ſi a frigore cuſtodiatur planta, virentia, ſed facile decidentia.

Flores æſtivis menſibus in ſummis ramis ſex, ſeptem & plures ex eodem pæne centro, dempto uno alterove inferiori, oriuntur, quibus folia ad baſim duo triave, & ſingulis pediculis ſubter flores aliquot minora adnaſcuntur, ut proprie umbellam ex eodem principio foliatam non habeat planta. Ceterum flores ex luteolo herbacei ſunt coloris, regulares, in quinque plerumque ſubrotunda, in medio ſinuata & per margines crenata ſegmenta diviſi, in quibus ſtamina latent plura, ſucceſſive prodeuntia, apice didymo terminata, & capitula e floribus primum erecta naſcuntur, ſtylo in tria filamenta bifida diviſo terminata, quæ dein in florum ſegmenta procumbunt, trigona, lævia; flore autem præterito denuo, ut Imperatus pingit, erecta ſtant, nobiſcum autem ea ad maturitatem non pervenerunt.

Nunc, quid Auctoribus de hac planta viſum, tradamus. *J. Bauhinus* Tithymalum aphyllum vocat *Hiſt. Plant. Tom. III. Part. II. L.* 34. *p.* 676. & deſcriptionem ac iconem Imperati adhibet, Xabramque *Rhaſis* eo recte refert:

Pluke-

Plukenetius Alm. p. 368, 369. non tantum Xabram & Tithymalum aphyllum *Imp.* ſed & Felfel-Tavil *Alp.* & Tiru-Calli *Hort. Mal.* unam & eandem plantam ſtatuit, & C. Bauhinum reprehendit, quod Felfel *Alp.* idem ſtatuerit cum Pipere ſuo longo Floridano, cujus pictura habeatur in *Phytographia Tab.* 215. *f.* 2. cum ipſe in duplicem, ni triplicem errorem eadem opera inciderit. Nam qui Tiru-Calli *Hort. Mal. Tom. II. f.* 44. cujus ipſe novam, ſed minime æque bonam figuram dedit *Phyt. Tab.* 319. n. 6. ſaltem iconem, ſi ipſam plantam non viderit, aſpexerit, & cum figura Imperati contulerit, nunquam eandem plantam eſſe ſomniaverit. Idem valet de Felfel *Alp.* cujus figura de *Plant. Ægypt. Cap.* 30. *fol.* 40. *& Veſling. Obs.* 30. longe a Tithymalo arboreſcente caule aphyllo *Pluk.* ſeu Tiru-Calli *Hort. Mal.* icone & deſcriptione differt. Nec audiendus eſt Veſlingius, qui & ipſe Felfel Tavil Tithymalo aphyllo *Imp.* conjunxit & Plukenetio hac in parte errandi forte anſam dedit.

Plukenetiana illa bona fide tranſcripſit *Rajus* & *Hiſt. ſuæ Plant. Tom. III. p.* 428. *num.* 6. inſeruit, & denuo Tithymalum aphyllum *Imp.* & *J. B.* alio loco nempe *p.* 433. *n.* 4. ex J. Bauhino recenſuit, referendo tamen ad Tithymalu marboreſcentem caule aphyllo *Pluken.* Tiru-Calli vero ex *Horto Mal.* deſcripſerat *Hiſt. Tom. II. p.* 1710. & Tithymalum Indicum fruteſcentem vocaverat.

Moriſonus, vel potius Bobartus *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 336. *n.* 12. Tithymalum aphyllum *J. B.* ſynonymum fecit Tithymali myrtifolii arborei *C. B.* a quo longiſſime differt.

Tournefortius Inſt. Rei. Herb. p. 85. Tithymalum noſtrum vocat, Tithymalum arboreum Africanum; alia, præter J. Bauhini, ſynonyma caute omiſit.

Recte autem obſervat *C. Commelinus Præl. Bot. p.* 23. „ Felfel caules varios „ ex eadem radice emittere, qui vix trium pedum altitudinem acquirant, cum „ Tiru-Calli unicum tantum truncum ex radice proferat, & in fruticem decem „ pedibus altiorem excreſcat.” Felfel in Horto Elthamenſi longius quidem, ad duos nempe & tres cubitos, procrevit, ſed nunquam caudicem, Tiru-Calli & Tithymalli aphylli *Imp.* inſtar, formavit, verum hujus loco plures ei ex eadem radice ſarmenta verius, quam caules, teretia, calamo non facile craſſiora, lactiflua, ab imo ad ſummum ejuſdem ubique craſſitiei naſcuntur, viridia, aut ex viridi ſubfuſca, in ramos vel ſarmenta adverſa, cum intermedio inter hæc locato, abeuntia, in ſe invicem implexa & non raro contorta, lævia, tuberculis & nodis deſtituta, foliis plane carentia; in qua planta nec mihi, nec aliis, quantum novi, flores adhuc viſi.

Tiru-Calli planta eſt in Horto Elthamenſi tres cubitos longitudine ſuperans, caudice ſingulari, craſſiore & robuſtiore, quam Tithymali aphylli Mauritanici *Imp.* ab imo ad ſummum uſque per omnes ramos læte virente glabroque cortice veſtito, nullis ad radicem ramis aut ſtolonibus enaſcentibus, cui non longe a baſi rami & in his radiatim plures virgæ enaſcuntur, in quarum interſtitiis aliquæ alternato ordine prodeunt, quæ, tam hæ, quam illæ, verſus ſummitatem graciliores fiunt, & in omnem partem arboris inſtar ſparguntur, nullis vel paucis foliorum veſtigiis nodoſis notatæ. Ipſa autem folia peranguſta & brevia ſunt, & pauca tantum in ſummis ramulis naſcuntur, virentia, aut ex viride purpuraſcentia, quæ omnia contrario modo ſe habent in Tithymalo *Imp.* & Felfel *Alp.* Flores nobiſcum

Tithymalus Hibernicus, vasculis murricatis erectis.

biſcum nondum dedit, ei vero in Hort. Mal. plures e ramorum divaricationibus confertim prodeuntes appinguntur, valde parvi & a Tithymalo aphyllo *Imp.* plane diverſi.

Porro Tithymalus Canarienſis fruteſcens Linariæ folio *Hort. Amſtel. Part. II. p.* 209. *fig.* 105. noſtro idem cenſendus non eſt. Folia is, quàm noſter, habet longiora & utrinque anguſtiora, præſertim verſus baſim.

TITHYMALUS HIBERNICUS, VASCULIS MURICATIS, ERECTIS T.CCXC. F. 374.

EX radice repente & perennante plures erigit caules pedales aut paullo altiores, erectos, aut modice, exteriores nempe, in latera verſos, non ramoſos, teretes, fungoſos & læves, coloris e viridi albicantis, lituris rubentibus hinc inde notatos, in quibus ab imo ad ſummum uſque folia frequentia alterno ordine naſcuntur, Laureolæ ſempervirenti ſimilia, ſed minus craſſa & rigida, ſuperne glabra & nonnihil ſplendentia, e glauco ſaturanter viridia, ſubtus pallidiora, & tenui quadam vixque conſpicua lanugine obſita, nullis ad margines, præterquam ad nervum averſa parte, pilis apparentibus. Quæ folia omnia ejuſdem pæne magnitudinis ſunt, exceptis imis, quæ minora & rotundiora obſervantur. Ceterum nervo medio albicante diſtinguuntur folia, ſubtus prominente, ſuperne latente & excavato, a quo frequentes venæ obliquæ parallelæ decurrunt, pallidæ, tenues & non impreſſæ, ſed in ſuperficie folii hærentes.

Summi caules in umbellam deſinunt e pluribus radiis conſtructam & pluribus ad baſim foliis, tot nempe foliis, quot ſunt umbellæ radii, ſeu florum & vaſculorum pediculi, cinctam, iis, quæ in caule ſunt, ſimilibus, ſed nonnihil minoribus; ſinguli vero radii bifariam rurſus dividuntur, & ad divaricationes foliola gemella latiuſcula, in pediculis vero divaricationum ſingulis bina alia minuſcula folia appoſita habent, quorum figura ex icone cerni poteſt. Proferunt autem caules quinque plerumque radios, e quinis radiatim expanſis foliis prodeuntes, ſubinde tamen, in robuſtioribus nempe & mediis caulibus, cujuſmodi caulem figura noſtra monſtrat, unus alterve præter hos radius oritur, quibus unum alterumve folium proxime ſubter umbellam ſubjicitur, reliquis nonnihil majus.

Ceterum in ſingulis pediculis ſinguli naſcuntur flores & vaſcula, ita ut gemina in ſingulis radiis ſint, quæ tamen non omnia, ſed alterutrum tantum, ad maturitatem plerumque pervenire ſolent, ſuntque vaſcula non proprie rugoſa, ſed multis aculeis mollibus armata, in tumidiore & extante præſertim capſularum parte, ad angulos enim læviora ſunt, trigona & triſperma, ut aliorum Tithymalorum, quibus ſtylus inſidet ad baſim uſque trifidus, & ſingulæ partes bifidæ rurſus ſunt, in extremitate tuberculis exiguis ſubfuſcis terminatæ.

Vaſcula porro, licet ſatis craſſa ſint, non pendent, ſed in tenuibus brevibuſque pediculis ſurrecta ſtant, contra aliorum Tithymalorum plerorumque morem. Flos vaſculo ſubjicitur luteolus, in quinque plerumque, ſubinde in quatuor craſſiuſcula peltata ſegmenta diviſus, inter quæ ſurriguntur tenuia foliola viridantia tot, quot ſunt peltata ſegmenta, in floris autem fundo ſtamina & apices latent plurima, e flore non, aut parum prodeuntia.

Sponte naſcitur in Hiberniæ montoſis Munſterienſibus, unde viviradices miſit D. Stephens, Botanices in Univerſitate Dublinenſi Profeſſor, pro Horto Elthamenſi ornando, ubi, Sole Cancrum peragrante, altero a plantatione anno, nempe 1729. floruit & ſemina perfecit; quæ ſemina figura ſecunda & tertia, prima vero vaſculum & flos ſeparatim expreſſa ſunt.

Caules præciſi copioſum lac ſtillant cauſticum, totaque planta, radices præſertim, ad venenoſitatem uſque acris eſt, ita ut funeſta ſymptomata ejus uſum ſæpe ſequantur. Utuntur autem Hiberni radice hac in lacte decocta pro cathartico, ut refert Rajus Hiſt. Plant. Tom. III. p. 666.

Planta eſt ab omnibus, quot novi, Tithymali ſpeciebus diverſa. In Phytophylacio Sherardino eſt Tithymali ſpecies a *D. Goiffon*, celebri Medico Lugdunenſi obſervata, Tithymali Lugdunenſis Laureolæ folio nomine, quæ foliis huic perquam ſimilis eſt, at in umbella maximum obſervatur diſcrimen; ea enim multo ramoſior eſt & magis diviſa, foliis divaricationum angulis ſubjectis rotundis, Smyrnii perfoliati inſtar eos amplexantibus.

Tithymalus ſylvaticus lunato flore *C. B. Pin. p.* 290. ſeu Tithymalus ſylvaticus toto anno folia retinens *J. B. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 671. foliis quodammodo noſtro accedit, verum ea minora, utrinque lanuginoſa, & ad pediculum magis contracta ſunt; umbella autem, flos & fructus plane diverſa. Similior eſt quoad folia, Tithymalus montis Pollini, Amygdali anguſtiori folio pallido, hirſutus *Cup. Hort. Cath. Suppl. Alt.* niſi quod ea glabra non ſint, ſed utrinque lanuginoſa. In ceteris vero multum differt, nam planta eſt longe altior & ramoſior, primum in quinque radios, cum totidem foliis, dein in ternos, hinc in binos diviſa & ſubdiviſa, floribus tetrapetaloidibus, e quibus vaſcula ab initio pendent, plene autem matura erecta ſtant, rotunda & non anguloſa, Tiliæ fructus forma, lanuginoſa, non verrucoſa, nec aculeata.

Igitur cum ab aliis ſpeciebus plane differat, & extra Hiberniam, (quæ enim loca in Anglia natalia, ex obſervatione Doodyana in tertia Synopſis Rajanæ Editione, memorata ſunt, ulterior aliorum obſervatio nondum comprobavit, ut Doody alienam plantam vidiſſe videatur) adhuc obſervata non ſit hæc ſpecies, deſcriptionem & figuram ejus apud tranſmarinos Rei Herbariæ auctores fruſtra quæras.

Prima ejus mentio facta eſt in *Phytologia Britannica*, Tithymali Hibernici nomine; dein iterata ejus mentio facta fuit in *Cat. Horti Oxon. Edit. Alt.* Tithymali Hibernici tuberoſi, ſive *Makinboy*, titulo. Simili nomine, omiſſa tantum tuberoſi appellatione, recenſetur a *Merreto in Pinace & Rajo in Cat. Plant. Angl. inque Syn. Ed. Prima*; in *Secunda* vero *Editione p.* 183. nimis quam brevis & ſuperficiaria ex ſicca adjicitur deſcriptio, quæ repetitur in *Hiſt. Plant. Tom. II. App. p.* 1888. Plura non reperio de hac planta, niſi quod eodem cum Hort. Oxon. nomine recenſeatur a *Plukenetio in Alm. Bot. p.* 371.

TOXICO-

TOXICODENDRON RECTUM, FOLIIS MINORIBUS GLABRIS T. CCXCI. F. 375. F. 376.

ARBOR hæc, quin totum hoc genus, mas eſt & fœmina. Utraque caudice recto eſt, ſatis robuſto, nullis e radice enaſcentibus ſarmentis, cortice veſtito e cinereo ſubfuſco. Cum hæc ſcriberem, plantæ erant quinquennales, caudice duos circiter digitos craſſo, altitudine fere tricubitali, paullo ſupra ſui medium in plures ramos quoquoverſus ſpectantes brachiato. Sexus ratione in foliis quædam differentia obſervatur; mas enim (Fig. 375.) folia habet aliquanto latiora & longiora, in acutiorem mucronem producta, pediculos virentes: fœmina vero (Fig. 376.) folia gerit breviora & obtuſiora, pediculis rubentibus hærentia. Utriuſque folia utrinque glabra ſunt & venoſa, ſuperne læte viridia, ſubtus nonnihil pallidiora. Terna vero in eodem pediculo naſcuntur, pendula & modice reflexa, quorum nervus in lateralibus foliis non mediam folii partem, ut in extremo, ſecat, ſed ad latus, partem nempe folii internam, vergit.

Sub foliis tam in mare, quam in fœmina, e foliorum pediculorum alis flores racematim digeſti naſcuntur: mari quidem majuſculi, e luteolo albicantes, quibus apices inhærent lutei, tot, quot ſunt petala, ſtaminibus vix conſpicuis inſidentes, abſque embryone & abſque ſtylo: fœminæ minuſculi ſunt flores, herbacei, ſtaminibus & apicibus deſtituti, quibus embryo in medio, cui duo, ſubinde tria puncta nigra ſtyli loco imponuntur. His fructus ſuccedunt rotundi, Coriandri ſeminis magnitudine & figura, quinque lineis ſtriati, qui toto anno in ſtirpe ad florum novorum uſque proventum permanent, quo tempore cuticula exterior abſcedere ſolet, & materia cretacea, totidem lineis impreſſis diſtincta, in conſpectum venit, qua ablata grana cinerea dura, cornea inveniuntur, ſingula in ſingulis, ſubrotunda, parte ſuperiore leviter diviſa & velut reniformia, quæ num. 1. flores autem fœminei num. 2. ſeorſum exprimuntur. Tam illi, quam hi flores in quinque, ſubinde in quatuor tantum æqualia ſegmenta ad baſim uſque dividuntur, calyce poſterius minutiſſimo, in lacinias exiles, petalorum numero reſpondentes, ſecto excepti. Petala hæc in mare ſeorſum non decidunt, nec facile a ſe recedunt, pentapetalos tamen eſſe, diviſio profunda, & flores fœminini, quorum petala ſeparata decidunt, ſuadent. Odor maſculinis tenuis & ſuavis, florem Convallium referens: fœminei inodori ſunt.

Sole e Geminis in Cancrum tranſeunte florent hæ ſtirpes, quæ nobis natæ ſunt e ſeminibus ex America Septentrionali tranſmiſſis.

A Toxicodendro vulgari latifolio differt, primum, quod illud ſit planta minus robuſta, caudice minus firmo, cortice punctato cinereo veſtito, e quo, immo & ex ipſa radice, ſtolones & ſarmenta, & non raro fibræ radicoſæ, velut in Hedera, enaſcuntur: dein, quod folia illius ſint altero tanto ampliora, minus glabra, ſubtus tenui lanugine obſita, quodque foliorum pediculi ſint multo longiores, quam in hac ſpecie. Porro illius folia per margines plerumque, quamvis obiter, ſinuata ſunt. Fructus etiam in illo major eſt.

Vulgare illud primo, ſed nimis breviter, deſcripſit *Cornutus in Plant. Canad. Hiſt. Cap.* 40. *p.* 96. Ederæ trifoliæ Canadenſis titulo: Figura eſt fœminæ, in qua

qua folia juſto minora, nec margines ſinuati exhibentur. Melius ea expreſſit *Muntingius Phytogr. Tab.* 60. Vitis Canadenſis nomine. Sed non placent flores majores, &, ut videntur, maſculini fructui in eadem planta appicti, quaſi in eadem ſtirpe & ex eodem loco naſcerentur. Cornutus fœmineos tantum, eoſque ſatis bene, expreſſit flores. *Tournefortius* maſculos tantum notavit flores, nec ſexus differentiam advertit *Inſt. Rei Herb. p.* 610. *Tab.* 381.

TOXICODENDRON AMPLEXICAULE, FOLIIS MINORIBUS GLABRIS.

HUJUS figuram, ut non neceſſariam, omittimus, nam foliis, floribus & fructu præcedenti plane ſimile eſt; differt in eo, quod plures ex eadem radice caudices & ſtolones proferat, qui & rami inde naſcentes ſibi incumbunt & invicem convolvuntur, & hac ſola ratione differt ab illa ſpecie. Mas eſt & fœmina, illius inſtar: fructus juniores ſubhirſuti ſunt, velut in illa ſpecie: flores maſculi majores, fœminei minores, illius inſtar. Eodem tempore floret & fructus profert.

Plantas ſcandententes & caulibus vicina amplectentes amplexifolias vulgo dicunt Herbariæ rei Scriptores, improprie, ut reor; quare amplicaulem vocavi hanc ſtirpem.

TOXICODENDRON FOLIIS ALATIS, FRUCTU RHOMBOIDE T. CCXCII. F. 377.

CAUDICE recto cinereo lignoſo, abſque ſarmentis (in fictili quidem nobiſcum) e radice enaſcentibus, primæ rectæ ſpeciei inſtar, aſſurgit, & eandem magnitudinem & craſſitiem obtinet hæc ſpecies, ſed minus in ſummitate eſt ramoſa. In foliis vero non tantum a præcedentibus, ſed reliquis hujus generis ſpeciebus maximum diſcrimen obſervatur; ea enim non trifoliata ſunt & pendula, ſed alata & ſurrecta, quatuor nempe & quinque (ſubinde plures) utrinque in eodem pediculo alæ, cum impari in extremo pinna obſervantur, ſurrectæ & modice marginibus inclinatis concavæ, ſuperne virides & glabræ, ſubtus pallidiores & tenui lanugine (quæ in ſiccata planta evaneſcit) pubeſcentes, per margines integræ, aut leviter ſubinde ſinuatæ, venis obliquis ſuperficialibus exaratæ, nervo medio ad latera interiora inclinante, ſuprema autem impar pinna in æquales partes a vena media dividitur.

Foliorum pediculi oblongi ſunt, purpurei, in ſummis ramis quoquoverſum ſpectantes, e quorum baſi in pediculis oblongis virentibus plurimi flores in ſpicam racemoſam digeſti naſcuntur, parvi, herbacei, pentapetali, calyce parvo quinquefido excepti, in quorum medio embryo & ſtylus exiguus, tribus capitulis virentibus terminatus, ſedet, ſtamina vero & apices deſunt, nec maſculos flores videre contigit, cum duæ arbores, quas Hortus Elthamenſis habet, fœminæ vel fructiferæ tantum ſint. Ceterum magis numeroſos, quam præcedentes ſpecies, profert fructus, nam e ſingulis fere foliorum alis fructus enaſcuntur. Porro fructus a prioribus & aliis ſpeciebus in eo differt, quod non prorſus rotundus ſit, ſed leniter

Toxicodendron rectum, foliis minoribus glabris.

F. 377.

Toxicodendron foliis alatis, fructu rhomboide.

niter compreſſus, ex ovato rhomboides, non ſtriatus, ſed glaber & ſplendens, Lacrymam Jobi figura, lævore & colore per maturitatem æmulans. Membrana vero exteriori lucida remota ſubſtantia, ab initio quidem pulpoſa, non tamen veræ baccæ inſtar ſucculenta, per maturitatem autem areſcens, cretacea, ſtriata obvenit, pauca, reticulo fibroſo intertexta, in qua oſſiculum latet, quam in prioribus ſpeciebus aliquanto majus, ſulcatum & veluti bipartitum, quod num. 2. at 1. reticulum ſeorſum exhibetur.

Serius, quam vulgaris & præcedentes, hæc ſpecies floret, circa Junii nempe menſis medium & finem. Patria eſt eadem: ceterum in paluſtribus naſci dicitur.

Arborem Americanam alatis foliis, ſucco lacteo venenatam dixit *Pluk. Alm. p.* 45. cujus folii figuram dedit *Phytogr. Tab.* 145. *fig.* 1. quæ, quam noſtra, breviora ſunt, deſumpta nempe ex inferioribus. In *Mant. p.* 24. foliis, addit, terebinthinis; accedunt enim ad Terebinthum peregrinam, fructu majore Piſtaciis ſimili, eduli *C. B.* niſi quod magis ſint mucronata. Quæ de Synonymis in Almageſto conjectat Plukenetius dubia ſunt & aliena: *Piſonem* conſulenti patebit Ahoay-miri & Tangaracæ, præter deleteriam facultatem, nil commune eſſe cum hac arbore. Nec certiora affert in Mantiſſa p. 24. de Quauxiotl *Hernandez* apud *Recch. p.* 406. Figura modum naſcendi non male quidem repræſentat, ſed folia pinguntur alterna & fructus reniformes cruciatim digeſti, nec deſcriptio reſpondet. Arbor vero, quam conjecturaliter etiam recenſet, peregrina Romæ in quodam Horto Columnenſi, ſimilis in totum Rhoi, quæ Sumach dicitur, foliis lacte manantibus *Cæſalp. App. Cap.* 5. *p.* 19. ſi conjecturæ locus, melius quadrare videtur Rhoi quinquefoliæ Sinarum lacteſcenti, rachi media alata, foliis molli hirſutia pubeſcentibus *Ejuſd. Pluk. Amalth. p.* 183. Ceteroquin Arbor Americana venenata, Juglandis folio Petiv. Hort. Sicc. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 242. *n.* 102. Toxicodendro noſtro eadem videtur, quamvis folia, quam Juglandis, minora multo ſint.

Hæc porro ſpecies eſt, quæ breviter deſcribitur, & cujus noxiæ qualitates recenſentur in *Tranſ. Phil. Num.* 367. *p.* 145. *& ſeqq.* ſub Arboris, cujus lignum venenatum ſit *(Poyſon Wood Tree)* nomine, hinc, cum & aliæ ſpecies Arborum venenatarum nomine innotuerint, factum eſt, ut Toxicodendri nomen huic generi impoſuerit *Tournefortius Inſt. R. Herb. p.* 611. quamvis deleteriæ facultatis nulla adhuc experimenta certa proſtent, cum non tam interne, quam externe tantum noxa inde percepta fuerit, ab effluviis nempe vaporoſis, unde oculi & facies, quin & ipſæ manus inflammantur. Folia quidem hujus & præcedentis ſpeciei guſtata urere & linguam inflammare novi, alia vero experimenta non feci, nec a contrectatione plantæ noxam aliquam percepi.

Rami præciſi lac manant, ſed modice, quod in atrum tranſit & capillos denigrare dicitur.

Non erat animus, nec cogitatio ſubibat, immo ſi ſubiiſſet, copia non erat colligendi lacrymam; poſtea vero quam hæc ſcripſeram, *Kæmpferi* pervolvens *Amœnitates Exoticas*, adverti *Sitz* vel *Sitz dsju*, i. e. Sitz plantam, vulgo *Urus*, ſeu *Urus noki*: Arborem verniciferam legitimam, folio pinnato Juglandis, fructu racemoſo Ciceris facie *Faſc. V. p.* 791. 792. item *Faſi noki*: Arborem verniciferam Spuriam ſylveſtrem anguſtifoliam *Ibid. p.* 794. 795. (a qua illa non niſi cul-

tura differt) esse simillimam, & quidni indubitanter dixerim, eandem cum nostra plantam. Non ita multi sunt anni, quod innotuerit verum Tartaricum *Gin-seng* nasci etiam in Canada, Nova Anglia & Marilandia, (vid. Lettr. Edif. & Cur. Tom. X. p. 172. Act. Phil. Angl. Num. 337. p. 237. & seqq. Vaill. Serm. de Struct. Flor. p. 43. & Lafitau Memoire concernant la precieuse plante de Ginseng de Tartarie;) & superius etiam demonstratum est, Phytolaccam nostram Mexicanam baccis sessilibus videri eandem cum *Sjoorïku*, vulgo *Jamma Gobó* Japonum: (conferantur etiam *Kakusju*, vulgo *Kawara sisági:* Arbuscula foliis lappaceis, nonnunquam auriculatis, flore pentapetaloide, siliquis prælongis angustis, semine reniformi tenuissimo, utrinque barbato *Kæmpf. Amæn. Exot. Fasc. V. p.* 841. 842. & Bignonia Urucu foliis, flore sordide albo, intus maculis purpureis & luteis aspersо, siliqua longissima & angustissima *Cæt. Hist. N. Car. p.* 49. *F.* 49. (cur videatur insolens, Arborem verniciferam nasci in Americæ plagis, eadem cum Japonia latitudine gaudentibus, Nova nempe Anglia, Virginia & Carolina. Quæ commoda in colonias Anglicas vel ex hac arbore, reliquisque speciebus (nam similem lachrymam fundunt) vel ex radice illa redundatura sint, ipsæ prospexerint. Nec forte inutilis suspicio & perquisitio fuerit, num & frequentissimæ nunc sorbillationis Thea in illis oris reperiri queat. Mihi quidem, si non possit inveniri, videtur operæ pretium fore, ut quacunque impensa regiones illæ conquirant Theæ fruticem, cum nullum sit dubium, quin æque bene, ac apud Sinas & Japonos, proventura sit, de eo vero nemini non constare queat, Theam, modo rite colligatur & siccetur, ob itineris commoditatem meliorem inde in Europam afferri posse. Mirum autem tantam plantam ad nos nondum perveniisse, cum jam a quadraginta & amplius annis, nempe anno 1687. hujus arbusculas sedecim ex Japonia per Georgium Meisterum miserit in Hortum Promontorii Bonæ Spei Andreas Cleyerus, ut testatur Meisterus in Tractatu, quem de Itinere suo & Plantis in Japonia & Java majori visis, conscripsit lingua Germanica p. 227.

Ceterum historiam Verniciferæ arboris Japonicæ, diligenter & accurate more suo exsequutus est laudatus Kæmpferus, cujus & descriptio & figura, quin & planta sicca, quæ in Japonia lecta servatur in Phytophylacio Sherardino, nostræ huic speciei examussim quadrat; id tantum, sexus nempe differentia, prætervisa fuit auctori: Quoniam autem ille liber non in omnium his in locis, multo minus in America, manibus versatur, non alienum videtur, si qui, quorum interest, hæc legerint, ut norint, quæ ille de collectione & præparatione Vernicis illius habet, hoc loco transcribere.

„ Cortex, inquit, arboris cultro crenatus lacteum fundit liquorem, humore
„ crystallino, ex aliis ductibus stillante, permixtum, qui ad aëris contactum ni-
„ gresсit. Eundem furculi divulsi, foliorum pediculi & nervi produnt, nullius
„ gustabilis qualitatis participem, nisi calefacientis sine acredine. Venenatos ta-
„ men spiritus hæc arbor exhalare dicitur, vehementer adeo, ut pueris circa
„ eandem commorantibus exanthemata in corpore pariant, qualia etiam ligna
„ tractantes alii, non omnes, (quod convenit cum observatione Dudlejana in Act.
„ Phil. Num. 367. p. 146) experiuntur. Collectio *Urusji* sive Vernicis, ut insti-
„ tuatur, caudices præcipue triennes, paucis crenis vulnerandi sunt, ex quibus
„ stillans liquor subinde excipitur, iterata in recenti loco sectione, donec exsucci

„ marce

„ marceſcant." (Obſervandum ex relatu Auctoris pag. 794. Japonenſes in cul-
ta arbore collectionem lacrymæ inſtituere, non in ſylveſtri, ceu quæ parciſſimam
fundit, ut eam colligere non ſit operæ pretium.) „ Emulſi atque omni ſucco orbati
„ caudices illico amputandi ſunt; ſic nova e radice provenit ſoboles, quæ trien-
„ nis facta, collectioni denuo ſubjicitur. Colitur frequens in provinciis *Tſi Koc-*
„ *ko* & *Figo*, in quibus inſerti agris ſcapi radices agunt, & caudices edunt, poſt
„ triennium vernicem ſuppeditantes. Optima regionis, quin totius mundi, ver-
„ nix perhibetur circa urbem *Jaſſino* colligi. Vernicem Ceres Japonica largitur
„ oppido nobilem & pretioſiſſimam, ſed admodum parcam, nec pro operibus,
„ quæ regio conſtruit, ſufficeret, niſi prius cum *Nam Rack*, i. e. Vernice ignobi-
„ liore ex Siamo invecta pro baſi illinerentur. Siamenſis Vernix promitur in
„ provincia *Corſama* & regno *Cambodiæ*, ex arbore Anacardo, incolis *Tonj*
„ *Rack* dicta, cujus fructus Officinis noſtris Anacardium dictus, *Luk Rack*, liquor
„ *Nam Rack* appellatur. Perforatus truncus, immiſſo tubulo, tanta copia fun-
„ dit liquorem, ut *Sinæ*, *Tunquino* & *Japoniæ* pro deliniendis utenſilibus ſuffi-
„ ciat. Quin jam Bataviam & alia Indiæ loca, vaſis ligneis incluſa appellit; ut
„ mirer, cur non etiam invehatur Belgio? Vernix nativa vix præparatione indi-
„ get. Japonica per duplicatam chartam ſubtiliſſimam, telæ aranearum pæne ſi-
„ milem, & eam in rem ſingulariter conſtructam, docta enchiriſi torqueri ſolet,
„ ut a particulis heterogeneis & craſſioribus mundetur; mundatæ pauxillum
„ admiſcetur (centeſima fere pars) olei *Toi* dicti, ex fructu arboris *Kiri*. Sic va-
„ ſibus ligneis indita per Japoniam venalis tranſvehitur, ſine periculo expiratio-
„ nis, niſi in ſuperficie, quæ ſtatim nigricante tenſa cuticula obducitur. Proſtat
„ non ſincera modo, ſed & colorata, vel Cinnabari nativa Sinenſi, (quam Bata-
„ vi antea, nunc Sinenſes advehunt) vel atramenti popularis materia. Utraque
„ Japonica & Siamenſis Vernix venenatum expirat halitum, ex quo labia tume-
„ ſcunt, & caput dolet, unde in deliniendo artifices ſtrophiolo os & nares obligant.
Legi in hanc rem merentur quæ de Vernice Sinenſi & noxiis ejus exhalationibus
proſtant in Tranſact. Phil. Num. 260. p. 525. & Num. 274. p. 947. Quæ con-
gruunt cum ligni Toxicodendri reſinoſo liquore & ejus noxia qualitate, vel ſolo
tactu, vel per evaporationes communicata, obſervata in America Septentrionali
a Paul. Dudley; vid. dictæ Tranſ. Num. 367. p. 145. 146.

„ Fructus, porro inquit Kæmpferus, utriuſque Verniciferæ arboris, una cum
„ arboris *Sindan* baccis tuſi & cocti, calentes prelo ſubmiſſi ſevum linquunt minus
„ fœtens, adeoque pro fundendis candelis aptius, quam quod ex baccis utriuſque
„ Lauri *Taab* & *Tſuns* excutitur.

Ceterum jam ante Kæmpferum arboris illius Japoniæ figuram dedit Cleyerus Eph. Germ. Dec. II. An. 5. 1686. Obſ. 40. p. 79. fig. 12. nomine Arboris Japonenſis, *Faſzwky* ſive *Namra* dictæ, ſed minus bonam, nec deſcriptio ejus accurata eſt. Lacrymam incolas cum oleo ex nucibus *Kokos* expreſſo diluere dicit; an vere, nos latet. Forte diverſi præparandi modi ſunt.

TRIOSTEO-

TRIOSTEOSPERMUM LATIORE FOLIO, FLORE RUTILO T. CCXCIII. F. 378.

TRIOSTEOSPERMUM eſt plantæ genus herbaceum, floribus monopetalis tubuloſis, in quinque ſubrotunda ſegmenta diviſis, calyce quinquefolio incluſis, & una cum calyce ſummo embryoni innaſcentibus, qui dein in fructum abit ſubrotundum, carnoſum, in quo tria latent ſemina oſſea (unde nomen) ſubtriquetra, parte ſuperiori latiora, inferiori anguſtiora.

Caules huic ſpeciei bipedales, teretes, pallide virentes, lineis quatuor viridioribus, a geniculis ad genicula ductis, diſtincti, piloſi, ad quorum genicula ſat longis intervallis folia naſcuntur conjugata, ad baſim connata, & a caule perforata, molliter piloſa & ſubhirſuta rugoſaque, ſuperne dilute viridia, inferne pallidiora, baſim verſus ſinuata, non crenata, per margines vero ſubinde undata, in media & ſuperiori parte latiora & longiora, baſim caulis verſus breviora & obtuſiora, e quibus alia quædam minora, in inferiori caulis parte conſpicua, naſcuntur. Folia autem majora palmum & amplius longa, tres plerumque uncias lata ſunt.

Ceterum caules plures ex eadem radice prodeunt, & ſingulis annis emoriuntur, novis ex eadem radice quotannis enaſcentibus, qui poſt quartum a ſatione annum flores nobis tulerunt verticillatim ad genicula digeſtos, monopetalos tubuloſos, conniventes, in quinque ſegmenta ſubrotunda, craſſiuſcula, æqualia, ſed inæqualiter locata, diviſos; inferius enim ita locatur, ut nonnihil brevius videatur lateralibus, & hæc etiam duobus ſuperioribus nonnihil breviora videntur, ut irregulares veluti flores fiant, Echioidis *Rivini* proxime ſimiles, extus intuſque tenui villo obſiti, coloris purpurei obſcurioris, qui interiori parte, ob minuta albicantia, puncta nonnihil dilutior eſt. Segmenta florum, ut dictum, ſubrotunda ſunt, ab initio leniter cava, poſtea vero plana. Flores cito decidunt & ſuper folia ſæpe recubant. Stamina tot, quot floris ſegmenta, e tuba floris oriuntur, & apices oblongos gerunt. Stylus ſimplex tubam floris perfodit & in capitulum rugoſum viride deſinit. Calyx ab initio contractus, ad floris vero apertionem expanſus & in quinque oblonga anguſta ſegmenta ad baſim uſque diviſus, tenuiter, ut flores, villoſa, plana, ſubinde leniter carinata, coloris e viridi obſcure purpuraſcentis, quorum duo inferiora reliquis aliquantum majora ſunt, & irregularitatem floris, ſi vera ſit, augent. Singuli verticilli e ſex ordinarie floribus conſtant ternis floribus urrinque verſus longitudinem folii poſitis, quibus contrario ſitu, nempe verſus folii latitudinem ad baſim embryonum, ad ſingulos ternarios ligula foliacea utrinque ad latus apponitur, ita ut ad ſingulos verticillos quatuor iſtiuſmodi ligulæ obſerventur.

Tam calyx, quam flos, ut ſupra demonſtratum, ſummo inſident embryoni, ovatæ figuræ, tenuiter villoſo, in tria loculamenta diviſo, in quibus ſemina minuta gracilia continebantur. Hi vero embryones prioribus annis ad maturitatem non pervenerunt; ſequentibus magnitudine aucti fructus dederunt, ex rotundo obtuſe triquetros, ſaturatim ab initio virentes, poſtea luteſcentes, qui in carnoſa cute, non molli & ſucculenta (plene autem maturos examinare occaſio non fuit) tria incluſa habebant ſemina oſſea, nigricantia (per ſiccitatem cinerea) profunde ſtriata,

F. 378.

Triosteospermum latiore folio, flore rutilo.

F. 379.



Tuna elatior, spinis validis nigricantibus.

ſtriata, vel ſulcata potius, obtuſe triquetra, parte exteriori ſubrotunda, interiori utrinque, velut in Convolvulis, reſecta, ſuperius latiora, inferius anguſtiora. Calyx ſummo fructui tum adhuc inhærebat, e viridi purpuraſcens. Fructus quatuor, quinque & ſex e foliorum ſinu naſcebantur, in ſuperiori caulium parte bini tantum, tenui villo obſiti. Sub auctumnum hi matureſcunt, flores autem æſtate comparent.

Figura marginali 1. & 2. flores aliquot ſine & cum calyce, 3. embryonum ſemina, 4. & 5. embryones tranſverſim ſecti cum & abſque calyce, 6. caulis pars inferior cum fructibus, 7. & 8. fructus ſeorſum integri & cum calyce, 9. fructus tranſverſim ſectus, 10. 11. 12. & 13. officula vario ſitu ſeparatim deſignata ſunt.

Hujus plantæ mentionem fecit *Bobartus Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 535. in fine: „ Semina, inquit, alterius hujus generis majora a *D. Baniſter* accepimus, qui So„ lanum verticillatum latifolium molle, floribus obſolete rubris, baccis luteis ap„ pellavit; ſed cum planta penes nos non ſit, ideo impræſentiarum de ea ἐπέχω." Deſcripſerat autem antea num. 8. aliam ſpeciem anguſtiore folio & floribus luteis prædítam, quam Periclymeno affinem plantam Virginianam, floribus ochroleucis, fructu Periclymeni vulgatioris dixit, & Solani ſomniferi nomine a *Baniſtero* accepit, cujus figuram dedit Sect. XIII. Tab. 1. Ser. 3. num. 8. in qua figura bini tantum ad ſingula genicula flores exhibentur, cujus etiam icon ad ſiccam facta in *Phyt. Pluken. Tab.* 104. *f.* 2. ubi & in *Almag. p.* 287. vocatur, Periclymenum herbaceum rectum Virginianum, *Dr. Tinkar's Weed* vulgo. Quam longe vero a Periclymeni & aliis plantarum generibus differat, ex ante dictis conſtat.

TUNA ELATIOR, SPINIS VALIDIS NIGRICANTIBUS T. CCXCIV. F. 379.

VULGAREM Tunam, Ficus Indica vulgo dictam, aliquibus ridicule Opuntiam dici, jam pridem libere annotavit Geſnerus de Hort. German. fol. 258. Opuntia autem nomen eſt Plinii Nat. Hiſt. Libr. 20. Cap. 18. ubi „ cir„ ca Opuntem Opuntiam eſſe herbam refert, etiam homini dulcem, mirumque e „ folio ejus radicem fieri, ac ſic eam naſci." Quæ mutuatus eſt e Theophraſto, qui Hiſt. Plant. Libr. I. Cap. 12. poſtquam miram Ficus Indicæ (ſub Katou-Alou in *Hort. Mal. Tom. III. p.* 73. deſcriptæ & depictæ) „ e ramis ra„ dices demittentis naturam demonſtraſſet, ſimile quid, vel potius quodammodo „ mirabilius in foliis contingere refert herbulæ cujuſdam circa Opuntem, ut tra„ datur, naſcentis, quæ etiam cibo grata ſit & ſuavis guſtus." Quæ quam longe a Tuna abſint, vel me tacente conſtat, ne memorem hoc plantæ genus ante inventas Indias Occidentales nec in Bœotia, nec in aliis Veteris orbis provinciis gliviſſe. Quidni ergo explodamus incongruum Opuntiæ & ſubſtituamus patrium, quod eſt Tune, Tunas, vel latine Tuna nomen.

Quoniam vero vulgarem Tunam ejuſque naſcendi morem, florem, fructum, folia & eorum partes, externas æque ac internas, tam accurate deſcripſit J. Bauhinus Hiſt. Plant. Tom. I. Libr. I. Cap. 81. p. 154. ut nihil fere addi queat, ideo mihi in hac & ſequentibus ſpeciebus quoad generalia breviori eſſe licebit. Robuſtior autem & elatior, quam alia quæcunque, ex mihi notis Tunis, hæc ſpecies viſa fuit, humanam proceriorem, in planta circiter ſeptenni, altitudinem ſuperans,

foliis longis latiſque, longitudine altera tanta ad latitudinem, niſi in imo folio, quod in annoſioribus plantis longitudinem habet productiorem, craſſius fit & caudicis naturam, inſtar vulgaris Tunæ, aſſumit. Ceterum folia e viridi ſaturatius glauceſcunt, & ſpinas habent longas rigidasque, e fuſco nigricantes (quem colorem ſemper obtinent) quincunciali ordine diſpoſitas, penicillo piloſo ad baſim cinctas perbrevi, nec, niſi in modo naſcentibus foliis, conſpicuo, venoſis prominentiis rhomboidali figura a ſpinis ad ſpinas decurrentibus, ſed minus elevatis ac conſpicuis.

Flores ſupra idem folium plures proferebat, teneriter ſtriatos, pro magnitudine plantæ minus amplos, conniventes & minus, ac in aliis (forte quod tam ſero floreret) expanſos, coloris obſoletius purpuraſcentis, e flavo nempe in purpureum vergentes, ſtaminibus intus numeroſis purpureis, apices graciles tranſverſos purpureos gerentibus. Stylus inter hæc columnæ ſpecie ſtat, capitulo in quinque partes diviſo terminatus. Fructus tum e viridi glauci erant, tuberculis piloſis ad baſim obſiti, ſubinde ſpinulas emittentibus, plerumque iis carentibus; qui fructus ad maturitatem non pervenerunt, ſed inſequenti hieme deciderunt. Septembris fine & Octobris initio floruit.

Folia plantæ media altero tanto majora erant, quam figura noſtra, quæ ſuperiora repræſentat, monſtrat.

Hæc ſpecies non dubito, quin ſit, Opuntia foliis longiſſimis atro-viridantibus, maxima Americana *Breyn. Prodr. II. p.* 79. Ficus Indica major ſpinis nigricantibus, floribusque purpureis Curaſſavica *Hort. Beaum. p.* 19. An vero ſecundum Plukenetium Alm. p. 147. ſit, Atlatocnochtli, ſeu Tuna ex albo in rufum colorem inclinans *Hiſt. Mex. p.* 77.? ſubdubito. „ Folia, ibi dicuntur, anguſta „ oblonga, impenſe aculeata & nonnihil purpuraſcentia, quod huic tantum gene„ ri peculiare, cum ceteris omnibus viridia ſint: fructus valde ſpinoſus: flos ex„ tra luteus, intra vero ipſius Tunæ colore." Figura deeſt. Folia noſtræ quidem oblonga, ſed ſimul ſatis lata ſunt, quæ ipſa quidem non purpuraſcunt, ſed ſpinas tantum habent ex purpureo nigricantes.

TUNA MAJOR, SPINIS VALIDIS FLAVICANTIBUS, FLORE GILVO T. CCXCV. F. 380.

FICUS INDICA, SEU OPUNTIA EX INSULIS CARIBBÆIS HERM. *IBID. F.* 381.

TUNÆ majori ſpinis validis flavicantibus, flore ſulphureo valde ſimilis eſt, ſed folia habet longiora, magis plana, minus vero in latum diducta, eminentiis rhomboidalibus non æque apparentibus. Spinæ illi ſimiles ſunt, ſed nonnihil longiores & frequentiore ordine per folia, ſuprema præſertim, diſpoſita. Præcipua autem differentia in foliis inferioribus eſt, quæ præter proportionem longa ſunt, longitudine ad latitudinem ſeſquialtera, & quod inferius folium in caudicem tandem abeat, vulgaris Tunæ inſtar, cum illius folium imum latam folii naturam ſervet. Porro quoad flores notabile diſcrimen obſervatur; hi enim colore obſoletiore flavo, cui purpurei quid commixtum, (qui gilvus nobis dicitur)

tincti

F. 380.

F. 381.

Ficus Indica seu Opuntia ex Insulis Charibbæis Herm.

Tuna major, spinis validis flavicantibus, flore gilvo.



tincti ſunt, nonnihil ampliores & magis folioſi, apicibus (qui craſſiuſculi ſunt) ſtaminibus croceis inſidentibus, ſecus ac in illa obſervatur, in qua flores toti & apices cum ſtaminibus ſulphureum colorem obtinent. Stylus columnaris in ſeptem partes craſſiuſculas coronatim diviſus eſt, in illa vero ſpecie ſex tantum diviſuras obſervavi; an vero id ſemper ita ſe habeat, pro certo non habeo. Denique fructus, quam illius, nonnihil major eſt, & penicillis piloſis ad baſim uſque cinctus.

Octobris initio florebat; flos autem, quum depingerem, non erat maturus, nec, ex caloris defectu, plene expanſus, coloris obſolete lutei, petalis crebris tenuiter ſtriatis.

Ceterum tum hæc, tum antecedens, tum ſequens ſpecies ſpinis in omnibus foliis, ab imo ad ſummum uſque, abundant.

Speciem hanc *Raquettes* & *Poirier piquant* titulo deſcribere & depingere videtur *Labat Itin. Amer. Tom. IV. p.* 31. & *ſeqq.* cum color floris, quem *p.* 36. aureolum vel pallide rufeſcentem tribuit, reſpondere videatur, cetera enim deſcriptio parum refert, icon vero rudior eſt & tantopere contracta, ut cuique ſpinoſæ ſpeciei tribui queat.

Synonyma ejus mihi cenſentur: Ficus Indica major; ſive Opuntia major, validiſſimis ſpinis armata *Breyn. Prodr. I. p.* 35. Ubi, „ Ficui, inquit, majori Indi„ cæ vulgari, ſive Opuntiæ majori ſimilis, exceptis foliis dilute viridantibus, ſpi„ nas longiores multoque validiores & flaveſcentes habentibus.

Opuntia Indica major, folio ſpinis longiſſimis & validiſſimis armato *Amm. Hort. Boſ. p.* 25. Ficus Indica ſeu Opuntia major, folio ſpinis longiſſimis & validiſſimis armato *Par. Bat. Prodr. p.* 334. *Hort. Lugd. Bat. p.* 243. Ficus Indica major ſpinoſiſſima, flore luteo *Hort. Beaum. p.* 19. Ficus Indica, ſeu Opuntia major ſpinoſiſſima *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1690. Ficus Indica: Opuntia major Hyſtricis ſpinis *Cup. Hort. Cath. p.* 78. Opuntia major folio oblongo-rotundo, ſpinis longiſſimis & validiſſimis confertim naſcentibus obſito, flore luteo *Sloan. Cat. Jam. p.* 193. *Hiſt. Vol. II. p.* 149. *Tab.* 224. *fig.* 1. (fructus) *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. Dendr. p.* 9. Opuntia major validiſſimis ſpinis munita *Tourn. Elem. Bot. p.* 205. *Inſt. Rei Herb. p.* 239. Sub quo nomine inter Icones Broſſæanas ineditas figura eſt laudabilis, noſtræ reſpondens, niſi quod ſpinæ nonnihil longiores & robuſtiores ſint. Ficus Indica major, folio ſpinis longiſſimis & validiſſimis armato *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. & *ſeqq.* Opuntia major folio ſpinis longiſſimis armato *Heuch. Ind. Hort. Vit. p.* 22. Opuntia folio longiſſimis & validiſſimis ſpinis armato *Wehm. Hort. C. Boſ.*

Placet Ficus Indicæ, ſeu Opuntiæ ex Inſulis Caribbæis *Herm. Cat. ad Calc. Par. Bat.* Iconem ex Delineationibus ejus adjicere, quæ junioris ex ſemine natæ plantæ eſt, quod an in hac ſpecie ita ſe habeat, ulteriori obſervationi relinquo.

„ Tunarum fructus, ex Hiſtoria Mexicana, refrigerant, ſitim explent & arentia „ viſcera humefaciunt, unde in febribus & morbis bilioſis conferunt. Gummi „ fert planta renum & urinæ calorem temperans. Ungunt Mexicenſes carpen„ torum rotas nimio motu æſtuantes foliorum ſucco, atque ita peruri inflammari„ que prohibent.” Qui plura cognoſcere avet, adeat dictæ Hiſtoriæ Libr. III. Cap. 44. & Hiſtoriam Jamaicæ Vol. II. p. 150. 151. ubi ampla virium & uſus hujus plantæ recenſio.

TUNA MAJOR, SPINIS VALIDIS FLAVICANTIBUS, FLORE SULPHUREO T. CCXCVI. F. 382.

PLANTA nobis deſcripta ſex circiter annos habebat & quinque pedum altitudinem obtinebat, in qua ſex ſeptemve erant foliorum articulationes, foliis inferioribus & mediis dodrantem & pedem longis, ſeſquipalmum latis, ſuperioribus nonnihil minoribus, digitum craſſis, ex anguſtiore baſi mox ampliatis, foliis inferioribus in medio, ſuperioribus verſus ſuperiorem marginem in latum diductis, minus planis, ſed fere ſemper nonnihil intortis, quorum margines & ſuperficies penicillo ſpinarum, quincunciali, ſed nonnihil, ac in duabus præcedentibus, rariore ordine diſpoſitarum, armantur; ſpinis inferioribus duabus tribuſque (in inferioribus foliis quatuor & quinque ſubinde) reliquis longioribus, craſſioribus & rigidioribus, a ſe invicem recedentibus, reliquis vero pertenuibus in unum penicillum collectis, coloris ex albo & herbaceo flavicantis. Folia e viridi glauceſcunt, & velut coſtas ſeu lineas latiuſculas habent leniter prominentes, rhomboidali figura a ſpinis ad ſpinas ductas, in quarum medio alia perpendicularis decurrit linea, & quædam laterales obliquæ, ſed vix advertendæ, quæ lineæ in inferioribus & mediis magis, quam in ſuperioribus foliis, obſervabiles ſunt.

In ſummis foliis flores naſcuntur pallide flavicantes, nudi, polypetali, ſummo fructui inſidentes, petalis a baſi anguſta in marginem latum diductis, teneris, ſtriis valde ſubtilibus exaratis, ſtaminibus & apicibus intus numeroſis, ejuſdem cum flore coloris, e quorum medio clava vel piſtillum erigitur, capitulo ſtriato vel ſulcato, in ſex nempe partes diviſo, terminatum. Flores, ut in aliis ſpeciebus, ſuper fructu marceſcunt, nec toti extrahi poſſunt, niſi per vetuſtatem; tum enim in fundo cohærentes, una cum piſtillo, floris baſi innaſcente, avelli poſſunt, ut dubium videatur, an polypetali, vel monopetali potius dici debeant.

Fructus, ut in ceteris, ante florem comparet, primo anno viridis, ſequenti obſcure purpureus, ovatus, in ſummitate excavatus, corona parvorum penicillorum piloſorum, & ſubinde quibuſdam aliis in reliqua fructus parte diſperſis, præditus. Ceterum fructus, hujus generis inſtar, unicapſularis, ab initio carnoſus eſt, poris, in circulum diſpoſitis, notatus; quibus poris ſemina non deſignantur, ea enim in centro fructus latent, quæ nobiſcum ad maturitatem non pervenerunt, quamvis ipſi fructus maturi eſſent, pulpoſi & ſucco ſanguineo repleti.

Octobri florebat & fructus aliquot præcedentis anni maturos habebat.

Hanc Hortus Elthamenſis habet, pro Ficu Indica ſeu Opuntia maxima, folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 243. cujus ulteriora Synonyma ſunt: Ficus Indica platycaulos *Hort. Beaum. p.* 19. Ficus Indica ſeu Opuntia maxima, folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo, ad imum compreſſo *Pluk. Alm. p.* 147. Ficus Indica maxima, folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo *Pein. Hort. Boſ. Ann.* 1699. & *ſeqq.* Opuntia maxima, folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo *Inſt. Rei Herb. p.* 240. Opuntia folio oblongo latiori *Vat. Cat. Hort. Vit: p.* 26.

Obſervandum autem ſolia hujus ſpeciei licet latiora ſint, non tamen eſſe longiora duarum præcedentium foliis, & minus bene ideo longiſſima dici.

Ad

F. 382.

Tuna major, spinis validis flavicantibus, flore sulphureo.





F. 383.

Tuna mitior flore sanguineo, cochenillifera.

Ad hanc ſpeciem quærit *Herm. Boerhaave Ind Alt. Part. II. p.* 82. *n.* 1. an ſit, Opuntia *Hort. Eyſt. Auct. Ord. IV. fol.* 7. *fig.* 1. 2. 3. ubi folium ſuperius cum fructibus prægrande (tres ſpithamas longitudine, pedem fere latitudine æquaſſe in deſcriptione dicitur) pingitur, quod minime huic quoad ſpinas reſpondet, & deſcriptione Ficus Indicæ vulgaris, pagina præcedente Horti Eyſt. tradita, lecta patet, eſſe menſuram plantæ, folio 6. pro Opuntia vulgari deſcriptæ & depictæ. Obſervandum autem annoſam & luxuriantem fuiſſe plantam, quæ tanta fuiſſe dicitur, ut octodecim pedum proceritatem vinceret, tamque ſpecioſam, ut circuitum ſexaginta pedum expleret, & in titulo iconi ſubjecto dicitur, Ficus Indica Eyſtettenſis, ex uno folio enata luxurians.

TUNA MITIOR, FLORE SANGUINEO, COCHENILLIFERA T. CCXCVII. F. 383.

SEx pedum, quum floreret, erat altitudine, foliis inferioribus pedem longis, palmum latitudine æquantibus, aut aliquantum ſuperantibus, craſſis & robuſtis, caudiciſque naturam aſſumentibus, cinereis, rimoſis, mediis & ſuperioribus læte virentibus, glabris, latitudine & longitudine fere eadem, qua inferiora, præditis, craſſitie vero tenuiore, ſuperioribus & junioribus ex his naſcentibus foliis longe minoribus, quæ id peculiare habent, quod tuberculis crebris, in dentes incurvos, molles & herbaceos deſinentibus, obſita ſint, qui dentes mox decidunt & tubercula nuda relinquunt, magis, quam ab initio, depreſſa, nullis, vel pauciſſimis ſaltem, ſpinulis tenuibus nigricantibus prædita.

Flores Septembris fine aliquot annis tulit parvos conniventes, e tenuibus petalis, extus ex coccineo rubentibus, non (nobiſcum) ſtriatis, intus verſus baſim macula oblonga, ceu ſtria lata rubra pictis, conflatos, e quibus ſtamina numeroſa porrigebantur, vivide rubentia, & piſtillum inter hæc incarnatum ſtabat, in capitulum luteo virens, in octo radios diviſum, deſinens.

Fructus læte virens tuberculis parvis piloſis, pallide fuſcis obſitus, quibus una alterave ad baſim ſpinula adhæret cinerea: a tuberculis lineæ, ceu in foliis, ducuntur obliquæ, quincunciali ordine diſpoſitæ, interſtitia vel areolas rhomboides, ceu in foliis, ſed longe minores, efficientes. Hi vero fructus nobiſcum maturi facti non ſunt, ſed floribus præteritis mox deciderunt.

Ceterum hæc ſpecies creditur eſſe ea, e qua celeberrima illa inſecta tinctoria, Cochenillæ & Coccinellæ nomine nota, in Nova Hiſpania colliguntur, quod eo magis vero eſt ſimile, quod Nocheznopalli ſeu Nopalnocheztli icon in *Hern. Hiſt. Mex. p.* 78. & *p.* 459. ſatis bene reſpondeat. Flores quidem in figura illa parvi etiam ſunt, ſed explicati, qui nobis conniventes tantum viſi ſunt; forte quod ſerius apud nos floreret, & forte in regione natali & calida latius, quam apud nos, explicantur, quamvis ab aliis, qui in noſtris oris florentem viderunt hanc ſpeciem, flores ſimiliter conniventes obſervatos recorder.

Aliam abſque floribus figuram dedit *Plukenetius Phyt. Tab.* 281. *n.* 2. Ficus Indicæ majoris lævis, ſeu non ſpinoſæ, vermiculos, quos cochenilla vocant, proferentis titulo, de qua in *Almag. p.* 146. quærit, an ſit, Ficus Indica folio oblongo, media *Hort. Reg. Par?* a qua longe differt. Illa enim ſecundum iconem

Broſſæanam (ineditam) folia habet breviora & rotundiora, flores vero flavos ampliores, & tota planta longe minor eſt, humilis nempe & procumbens.
Opuntia maxima folio oblongo-rotundo majore, ſpinulis mollibus & innocentibus obſito, flore ſtriis rubris variegato *Cat. Jam. p.* 194. *Hiſt. Vol. II. p.* 152. *Tab. VIII. f.* 1. 2. noſtræ eadem eſt.

Vis roborans & cardiaca, cochenillæ vulgo adſcripta, dubia & a cocco ilicino male tranſlata mihi videtur, nec aliam præter diureticam virtutem ipſi ineſſe ſuſpicor. Melius inſervit tinctoribus & pictoribus, ad colorem non tantum purpureum, Lacca dictum, ſed & vividiſſime ſanguineum, qui coccineus vulgo dicitur, extrahendum, quo cum cæruleo commixto, violaceus producitur, & hoc reperto decantata Antiquorum purpura neglecta fuiſſe videtur, tinctores etiam cocco ilicino & Polonico uti deſierunt.

TUNICA RAMOSIOR, FLORE CANDIDO, CUM COROLLA PURPUREA T. CCXCVIII. F. 384.

QUos Caryophyllos & Caryophylleos flores dixerunt plerique Rei Herbariæ Scriptores, malim Tunicas cum Officinis vocari, ad evitandam homonymiam Caryophylli veri aromatici. Neque enim Betonicæ Coronariæ a J. Bauhino uſurpatum nomen eadem de cauſſa, homonymiam nempe, adoptari poteſt.

Dodrantali aut majori hæc ſpecies naſcitur altitudine, & ex radice fibroſa coliculos profert teretes glaucos, in plures ramos tenues, teretes & glaucos diviſos, ab initio ſurrectos, dein ſequentibus annis reclinatos, quibus folia adnaſcuntur e viridi glauceſcentia, inter Saturejæ & Alſines pratenſis gramineo folio anguſtiore *Tourn.* folia media, inferius latiora, ſuperius anguſtiora, viſu quidem glabra, ſed quæ tactu ſubaſpera potius, quam glabra, apparent, lenia tamen potius, quam rigida ſunt.

Flores in extremis ramulis naſcuntur mediocri magnitudine præditi, per margines extremos dentati, inciſura media reliquis profundiore, candidi quidem, ſed non plane immaculati candoris, inferne enim dilutam viriditatis, ſuperne a ſtriis quibuſdam pertenuibus, tenuiſſimam purpuræ tincturam habent, verſus medium vero corolla eleganti purpurea diſtinguuntur. Nullæ floribus ſunt maculæ aliæ vel puncta micantia, pili autem, qui intra & circa corollam illam e petalis prodeunt, adeo tenues ſunt, ut vix conſpiciantur. Stylus tenuis e duobus corniculis plumoſis conſtat: ſtamina pro petalorum numero duplicata, alternis vicibus, aliorum hujus generis inſtar, progrediuntur, apicibus violaceis terminata. Calyces graciles, ex glauco virentes, nunc unum tantum, nunc duo ad baſim ſquamarum appreſſarum virentium (inferiori ſuperiori anguſtiori) paria habent. Junio menſe floret. Flores autem mane explicantur, ſub veſperam connivent, ſolentque ſinguli pluribus vicibus explicari. Ceterum flores inodori ſunt.

Figura noſtra ad plantam juniorem facta, ubi cauliculi ſunt erectiores & minus frequentes; annoſiores autem plantæ cauliculos habent longe frequentiores & magis, exteriores præſertim, reclinatos, ſurculos verſus radicem plures & longiores folioſos proferunt. Flos figura marginali prima expreſſus, abſque ſtaminibus exhibetur,

P. 400.

T. CCXCVIII.

F. 384.

F. 385.

Tunica rupestris, folio caesio molli, flore carneo.

Tunica ramosior, flore candido, cum corolla purpurea.

hibetur, ut ſtylus clarius conſpiciatur: figura ſecunda & tertia vaſcula, quæ quatuor tantum laciniis dehiſcunt, quarta ſemina nigricantia compreſſa demonſtrat.

In collibus Angliæ naſci dicitur, ſpontanea tamen mihi nondum obſervata. Nobis a Rob. Furber, Hortul. qui eam ex Horto quodam in Comitatu Hartfordienſi Londinum detulit, communicata fuit.

Deſcriptionem, figuram aut nomen, quod ipſi reſpondeat, non invenio apud Rei Herbariæ Auctores.

In foliis & naſcendi modo plurimum ipſi ſimilitudinis cum Caryophyllo minore repente *Raj. Syn. Stirp. Brit. Ed. II. p.* 198. *III. p.* 335. *Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 988 *n.* 6. Utriuſque floris eadem eſt figura, ſed corolla in hac ſpecie eminens eſt, & puncta, quæ illi peculiaria, deſunt plane in hac, quæ cauſſa eſt, ut illius varietatem credere nondum queam, præſertim quod hujus noſtræ ſpeciei calycis folia inferiora breviora, nec in æque, ac illius, longum mucronem producta ſint. Porro noſtræ hujus flos ſub veſperam tantum connivet, illius vero plane clauditur.

A ſequenti ſpecie differt cauliculis ramoſis, numeroſos flores ſparſos alentibus, foliis minus glaucis & minus mollibus, floribus inodoris candidis corollatis, calyce graciliore incluſis.

TUNICA RUPESTRIS, FOLIO CÆSIO MOLLI, FLORE CARNEO T. CCXCVIII. F. 385.

QUÆNAM hæc ſit ſpecies, paullo laborioſioris diſquiſitionis opus eſt, quod antequam aggrediar, deſcriptionem ejus veram ſimplicemque præmittere conſentaneum videtur, nam hac cognita de aliorum ſententiis facilius pronuntiare licebit.

Spargit autem hæc tunica ex radice lignoſa plures quoquoverſum ramulos breves, lignoſos, graciles, humi procumbentes, e quibus crebri ſurculi folioſi breves enaſcuntur, & inter hos numeroſi hinc inde ſurgunt cauliculi ſemipedales & dodrantales, graciles, teretes, foliis ad genicula, ut in aliis, adverſis cinctos, in quorum faſtigiis flores modo ſolitarii, modo gemelli, Sole Geminos peragrante, erumpunt, dilute purpuraſcentes, ſubtus nonnihil pallidiores, per oras denticulati, tribus verſus umbilicum floris ſtriis nonnihil ſaturatioribus picti, & pilis, circa has ſtrias purpureis, hirſuti. Stamina his, ut aliis, pro petalorum numero duplicata ſunt, quæ non una, ſed ſucceſſive emergunt, duo nempe triave primo, dein reliqua, apicibus violaceis prædita. Dilute, ut dictum, purpuraſcunt hi flores, ſeu carnei ſunt coloris, cui violacei tantillum admixtum eſt: pilis tantum ſtriiſque, quæ tamen vetuſtate mox evaneſcunt, variegati ſunt, nulla autem puncta candicantia vel alius coloris habent. Veſperi ſe aperiunt flores, & per plures dies aperti manent ſinguli, odorem ſpirantes ſubtilem caryophyllaceum. Cum Sol Geminos egreſſus fuerit, diſparere incipiunt flores, ut circa finem Junii menſis Juliique initio nullos omnino hujus ſpeciei relictos flores videas. Calyces ad baſim duobus, ſubinde uno tantum, ſquamarum obtuſarum arcte appreſſarum, coloris obſcure purpurei, paribus cinguntur. Folia glauca anguſta minus rigida, leniter ſulcata, per oras minutiſſime crenata ſunt, quod & in aliis Tunicæ ſpeciebus obſervatur, ſed adeo tenuiter, ut nullo penicillo exprimi queat.

Sponte

Sponte naſcitur in cautibus altis, *Chedder-Rocks* dictis, in agrô Somerſetienſi; non longe ab oppidis *Chedder* & *Axbridge*, locis admodum præruptis, ut abſque ſcalis & perticis vix copia ejus fieri queat. In hortum tranſlata facile apprehendit diuque durat; præcipue ſi ſolum ſit nonnihil arenoſum, nec udum.

Caryophyllus ſilveſtris primus *Cluſii Hiſt. p.* 282. quem Caryophyllum ſilveſtrem humilem flore unico vocat *C. B. Pin.* 209. *n.* 6. floribus huic proxime accedit, at coliculos habet & folia breviora anguſtioraque, denſius congeſta, rigida, Juniperinis ſimilia, pungentia, minus glauca, ac noſtra ſpecies, nec ſurculis folioſis æque abundat, minuſque repit.

Caryophyllus minor repens *Raj. Syn. Edit.* I. *p.* 138. II. 198. III. 335. *Hiſt. Tom. p.* 988. *n.* 6. planta eſt tam a præcedenti Cluſii, quam a noſtra, plane diverſa. Cauliculos, quam noſtra rupeſtris, habet longiores, magis reſupinos, radicem tenuiorem, folia viridiora ſubhirſuta, Hyſſopi foliis ſimilia, ſed minora, calycis ſquamas cuſpidatas, flores minores, indoros, ſerius comparentes, Junio nempe & Julio menſe, quo tempore noſtra plane defloruit, colore ſaturatiore tinctos; parte nempe ſupina vividiſſime purpurantes, ſubtus autem obſcuriores & fere plumbeos, quorum ſingula petala lambdoeide linea coccinea ſaturatiore & multis punctis argenteis ſuperne diſtinguuntur. Flores gerit tum hæc minor repens, tum illa Cluſii, tum noſtra rupeſtris ſpecies modo ſingulos, modo binos & ſubinde ternos, ut ab eorum numero in his ſpeciebus nulla diſtinctionis nota deſumi queat.

Cum vero in hanc repentem ſpeciem inciderimus, non alienum videtur de Synonymis ejus quædam monere. Eſt vero huic eadem Betonica coronaria, ſive Caryophyllus minor folio viridi nigricante, repens, flore argenteis punctis notato *J. B. Hiſt. Tom. III. L.* 29. *p.* 329. Ubi tam bene deſcribitur & depingitur, ut mirer *Rajum* pro ſua non agnoviſſe, ſed diſtincto loco verbis J. Bauhini recenſuiſſe *Hiſt. Tom. II. p.* 990, *n.* 11. Quam ſpeciem Caryophylli ſilveſtris ſeptimi titulo breviter deſcribit & figura non aliena ex Lobelianis illuſtrat *Cluſius Hiſt. p.* 285. Caryophyllum ſimplicem ſupinum latifolium dixit *C. B. Pin. p.* 208. *n.* 5. ad differentiam Caryophylli virginei *Tab.* quem Caryophyllum ſimplicem ſupinum anguſtifolium vocavit *Ibid. n.* 6. per ſe enim non eſt latifolius, ſed potius anguſtifolius. Advertit hæc Synonyma *Vaillantius Bot. Par. p.* 31. *n.* 2. labitur autem, dum credit Armerium florem tertium *Dod. Pempt. p.* 177. quem ſub Caryophyllo ſilveſtri humili flore unico locet *C. B. Pin. p.* 209. *n.* 6. huc referri debere, ideo quod Auctor dicat, quod flores quandoque duos aut tres ferat. Et figura & deſcriptio Dodonæi deſumpta eſt ex Cluſio. Dicit *Cluſius* Caryophyllum ſuum ſilveſtrem primum interdum binos gerere flores *Hiſt. p.* 282. Dodonæus vero adjecit tres. Id vero novum non eſt in hiſce ſpeciebus, flores modo ſolitarios, modo duos, modo tres in eodem cauliculo naſci. Planta vero Cluſii longe diverſa eſt ab hac ſpecie, quam nec Dodonæum, nec Vaillantium cognoviſſe credo. Hujus ſane, nempe Caryophylli minoris repentis *Raji*, quem Tunicam campeſtrem ſupinam, flore micante voco, & non alius figuram, eamque parum bonam dedit *Pluken. Phyt. Tab* 81. *f.* 3. quem Caryophyllum ſilveſtrem, Alſines holoſteæ arvenſis glabræ foliis, flore unico, calyce barbato vocat; monſtrant id calycis foliola, quamvis ea juſto anguſtiora

ad

ad baſim pingi curaverit. Aſſeruit ſane mihi Car. Du-Bois ſe non aliam dediſſe Plukenetio ſpeciem, eamque non in Borealibus, ut Plukenetius refert, ſed in Auſtralibus potius, nempe in colle quodam prope *Croyden*, vocato *Dubbers-Hill*, lectam. Quem errorem in Synopſis Rajanæ Editione tertia, Plukenetio anſam dante, commiſſum corrigant B. L.

Deſcripſimus, differentias dedimus, diximus quid non ſit, jam quænam ſit noſtra ſpecies videamus. Minime autem videtur dubium, quin ſit Armeriæ ſpecies, flore in ſummo caule ſingulari Doody *Syn. Ed. I. App. p.* 242. *II.* 199. *III.* 336. *n.* 2. cum aſſeveret Doody a repente vulgari plurimum diferre. Non alia autem adhuc innotuit in Anglia naſcens ſpecies, quam rupeſtris illa, cui nomen illud tribui queat, quæ minime eadem cum Caryophyllo ſilveſtri humili flore unico *C. B.* quem ſuæ eundem ſuſpicabatur Doody. Debuiſſet tamen locum ſpecialem enarrare Doody, quod cum non fecerit, ſuſpicor eum ſpecimen tantum hujus plantæ ſiccum vidiſſe. Minus clarum eſt, rupeſtris ne, vel campeſtris indigitetur per Armeriam ſilveſtrem humilem, flore unico rubello in *Phyt. Brit.* Color quidem floris illam (rupeſtrem) at locus & nomen Anglicum hanc (campeſtrem) videntur ſuadere ſpeciem. Fit enim ibi vulgaris, & in collibus pratiſque ſiccioribus naſci dicitur & appellari *Pinks or Maiden Pinks.* Synonyma, quæ ibi recenſentur, nempe Caryophylli ſylveſtris humilis, flore unico *C. B.* non competunt, unde ea non inconſulto omiſit *Merretus in Pin.* ut & locum, ut ſane hic rupeſtrem potius, quam campeſtrem, intellexiſſe videatur.

Figura Caryophylli alterius minimi, flore ſimplici, micis aureis aſperſo *Lob. Icon. p.* 444. videtur non male repræſentare Tunicam noſtram rupeſtrem, folio cæſio molli, flore carneo. Hanc figuram *Lobelius* in *Hiſt. Belg. p.* 530. habet cum inſcriptione Belgica ſequenti: *Andere aldercleynſte recht op gaende zeer aerdighe gheplekte wilde Ginofflen*, cui titulum latinum modo memoratum ſubjicit. Lobelius vero, in deſcriptione nimis brevis, dubios nos relinquit. Quæ habet ſequentem in modum ſonant p. 531. „ *Dander is met recht opgaende Steelkens,* „ *hebbende bladerkens ende bloemkens den voorgaenden niet ongheliick, welcke* „ *de Heere van S. Aldegonde in ſiinen Hof ghecreghen heeft tot Holland: de* „ *Steelkens ziin onghetack, eenen voet oft onderhalven hooghe, draghende een* „ *oft twe bloemkens op d'opperſte.* Quæ in nomine de micis habet aureis, eas in deſcriptione tacet. Cum vero Lobelius & Tunicæ campeſtri ſupinæ, flore micante, maculas aureas argenteaſque tribuat, quas tamen argenteas tantum habet, videri poſſet Lobelius ſtrias illas piloſas ſaturatiores, quæ macularum ſpeciem præbent, intellexiſſe, & ex figura ſua aureas commentus fuiſſe. Lobelianam plantam *C. Bauhinus Pin. p.* 208. *n.* 4. vocat Caryophyllum ſimplicem minorem, flore punctato, nec plura Synonyma habet. *J. Bauhinus Hiſt. Tom. III. L.* 29. *p.* 329. ubi Betonicam coronariam minimam, micis aureis aſperſam vocat, præter figuram & nomen Lobelii atque C. Bauhini nil habet, nec ſe plura de hac ſpecie noſſe fatetur. Nec inter Recentiores Botanicos aliquis huic plantæ lucem attulit. Quam enim Tunicam ſilveſtrem ſupinam, floſculis eleganter micantibus *Ruppius Fl. Jen. Edit. II. p.* 94. vocat & Caryophyllo ſimplici minori flore punctato *C. B.* jungit, facit contra mentem Lobelii, dicentis cauliculos erectos,

ut minime ſit dubium, a Ruppio indigitari Caryophyllum ſimplicem ſupinum latifolium *C. B.* Gerardi Emaculator *Johnſonus* lucis loco tenebras & confuſionem attulit huic plantæ & Auctori ſuo: figuram habet Lobelii, at nomen & deſcriptio falſa ſunt: vocat Caryophyllum montanum album p. 594. *Gerardus* vero *p.* 476. ſub dicto Caryophyllo montano albo exhibuerat cum nomine figuram Tabernæmontani, deſcriptio autem Gerardi alia eſt, ac Tabernæmontani, & ad figuram illius efficta: Tabernæmontanus flores inodoros, Gerardus vero ſatis odoratos dicit, quaſi vidiſſet & odore percepiſſet plantam. Sic Johnſonus alienum nomen & commentitiam deſcriptionem tribuit alienæ plantæ, & hujuſmodi errores plures occurrunt apud Emaculatorem, graviores ſane, quam Tabernæmontani compilatoris Gerardi. Hunc Tabernæmontani Caryophyllum montanum album *C. Bauhinus* vocat Caryophyllum ſylveſtrem vulgarem anguſtifolium *Pin. p.* 209. *n.* 2. ut ſupra relatum, qui longe differt a *Lobelii* Caryophyllo altero minimo, flore ſimplici, micis aureis aſperſo. Propius vero ad Lobelianum accedit, Caryophyllus Virgineus *Tab. Icon.* 283. *Hiſt. L.* 2. *p.* 2. Hunc non deſcribit Tabernæmontanus; *Gerardus* vero *p.* 477. ubi nomen & figuram Tabernæmontani exhibet, ne nil dixiſſe videatur, quædam commentitur, & ex nomine colorem hariolatur, floreſque incarnatos dicit, ac ſi vidiſſet. Nemini ſane præterquam ipſi Tabernæmontano notus fuit Caryophyllus virgineus ille: *J. Bauhinus* ad Caryophyllum ſilveſtrem primum *Cluſii* refert *Hiſt. Tom. III. L.* 29. *p.* 328. *C. Bauhinus* diſtinguit & Caryophyllum ſimplicem ſupinum anguſtifolium vocat *Pin. p.* 208. *n.* 6. Floris figura & modo naſcendi convenit melius cum Tunica noſtra rupeſtri folio cæſio molli, flore carneo, quam cum alia quacunque nota ſpecie, nec dubitarem eandem pronunciare, ni Tabernæmontanus folia noſtra anguſtiora pingeret, quæ tamen differentia accidentalis eſſe poteſt.

An Caryophyllus Cambrenſis Poole *Park. Par. p.* 311? quem ſequentem in modum deſcribit: „ The Poole Flower, growing naturally upon the Rocks near „ *Cogſhot Caſtle* in the *Iſle of Wight*, is a ſmall Flower, but very pleaſant to „ the Eye, by reaſon of the comely proportion thereof; it is of a bright pale „ red, thick ſpeckled, and very ſmall with white, that it ſeemeth to be but „ one Colour; the Leaves of the Flower are but ſmally jagged about: It is con„ ſtant." In qua deſcriptione ſunt nonnulla, quæ noſtræ ſpeciei reſpondent, quædam vero diſcrepare videntur. Flores ſunt aſpectu jucundi, colore dilute purpurante, ſed maculas crebras non habent, nec puncta alba, quoniam tamen pili ſaturatim purpurei macularum ſpeciem præbent, & quoniam mixturam albedinis habent flores, & quoniam Parkinſonus adeo tenuiter albis punctis notatam dicit, ut non niſi ſimplex color appareat, videtur deſcriptio ejus cum noſtra planta conciliari poſſe. Parkinſonus figuram nullam habet. Qui eo iter facient, inquirant.

P. 386.

Valerianella Canariensis frutescens, Simpla nobla dicta.

VALERIANELLA CANARIENSIS FRUTESCENS,
SIMPLA NOBLA DICTA T. CCXCIX. F. 386.

VALERIANELLÆ vulgari, flore & ſemine tantopere ſimilis eſt hæc planta, ut ejus generi annumerare minime dubitem, quamvis in nonnullis differat: nempe foliis ad genicula ternis & caulibus racemiſque trifariam diviſis & ſubdiviſis, floribus & ſeminibus longioribus pediculis inſidentibus, & quod flores ſimulac dehiſcunt, infundibuliformem figuram, laciniis revolutis, amittant. Enimvero hæ differentiæ tantæ non ſunt, ut novo generi fabricando ſufficiant. Umbelliferis autem annumerari non poteſt hæc planta, ut nec Valerianella debet, quoniam primum umbellam proprie dictam non gerit, dein quod flores, ſi accurate examinentur, monopetali ſunt.

Ceterum perennis & fruticoſa eſt hæc planta, altitudine plerumque cubitali & ſeſquicubitali, caule digitum craſſo, lento fungoſo, ſordide pallido & inæquali, qui in ramos ſuperiora verſus tergemina diviſione brachiatur, quibus ad ſingula genicula terna, raro bina, adnaſcuntur folia ſimplicia, utrinque anguſtata, in medio latiora, venoſa, lævia & ſplendentia, parte ſupina viridia, prona pallidiora, nervo medio albicante diſtincta. Intergenicula teretia ſunt, pallida, totidem lineis virentibus, quot ſunt ad genicula folia, ſtriata, & ſingulis geniculis ternæ inter foliorum pediculos apponuntur ligulæ laciniatæ, punctis nigris lucidis terminatæ. Folia ſuperiora verſus minora fiunt, e quorum alis plurimi racematim digeſti flores & ſemina naſcuntur; nempe e ſingulis geniculis terni naſcuntur pediculi, qui ternaria diviſione in plures alios, Spergularum inſtar, dividuntur & ſubdividuntur, horum vero baſi non terna, ſed bina ſaltem apponuntur folia parva, quæ ad extremos pediculos tam parva fiunt, ut laciniæ potius, quam folia dici mereantur.

Extremis pediolis eodem tempore ſemina & flores innaſcuntur, qui, antequam explicantur, geminatorum globulorum ſpeciem præbent, flore vero ad explicationem ſe accingente figura illa perit. Ceterum flores ab apice in quinque æquales lacinias dehiſcunt, quæ laciniæ derepente exteriora verſus ad baſim uſque convolvuntur, ut pentapetali videantur flores, accuratius autem inſpecti annulum habent & in baſi cohærent, Veronicæ vel Anagallidis inſtar. Puſilli ſunt hi flores, coloris ab initio herbacei, per vetuſtatem in ſubfuſcum vergentis, quo tempore toti cohærentes decidunt, ut monopetalos eſſe dubitare non liceat. Apices e medio florum pendent longiuſculi, totidem, quot ſunt floris ſegmenta, ſtaminibus breviſſimis vix viſibilibus appenſi, coloris ab initio flavicantis vel herbidi, dein, excuſſa farina ſpermatica, ſubfuſci. Stylus e duobus corniculis cirroſis conſtat. Calycem deprehendere potui nullum, nec ſupra, nec infra embryonem, ſaltem eminentiæ quædam exiles, velut in Valerianella in ſummo fructu adſunt. Fructus autem, vel ſemen gemellum, Valerianellæ inſtar, cohæret, oblongum, leniter per maturitatem compreſſum. Quod ſemen & flores ſub diverſo ſtatu in margine ſeparatim appinguntur: nempe figura prima flores antequam aperiuntur, 2. 3. jam ſe aperientes, 4. magis explicati, 5. ſegmentis ſe revolventibus cum ſtaminibus collectis,

6. cum

6. cum ſtaminibus ſparſis, 7. ſine ſtaminibus, cum laciniis autem revolutis plerique flores in figura majori & primaria picti ſunt: fig. 8. ſemen maturum exhibetur cohærens. fig. 9. dehiſcens, 10. folium inferius demonſtrat.

Sole in Geminis & Cancro verſante floret, in Leone exiſtente ſemina maturat. Poſtquam floruit, folia ejus exareſcunt & rubiginoſum colorem contrahunt, mox novis ſuccreſcentibus planta ob ſplendorem gratiorem aſpectum præbet, alias valde amœna non eſt, & raritatis ſaltem gratia in Curioſorum Hortis colitur.

Planta inodora eſt: folia ſaporem habent ſubadſtringentem, herbaceum, leniſſime amaricantem, non ingratum. De viribus quidem nil conſtat, eſſe vero apud Canarienſes in uſu nomen gentis, ſupra & jam denuo memorandum, teſtatur. Dicitur vero, referente *Plukenetio Alm. p.* 347.

Simpla nobla Canarienſibus; Planta oblongis amplioribus ſplendentibus foliis ternis, caulem ambientibus, venoſis ipſi *Pluk.* dicto loco, & Bupleuroides, quæ Simpla nobla Canarienſium Pluk. *Boerh. Ind. Alt. p.* 72.

VERBENA BONARIENSIS ALTISSIMA, LAVANDULÆ CANARIENSIS SPICA MULTIPLICI T. CCC. F. 387.

SOLANUM & Tagetem Bonarienſes ſupra recenſui ſtatura egregia plantas; tertiam nunc adjicio altitudine nulli ex prioribus ſecundam. Ad quatuor autem & amplius hæc aſſurgit cubitorum altitudinem, caulibus quadrangulis, robuſtis, digitali ad baſim craſſitie, hirſutis, quos folia inferius cingunt (vid. figura marginalis prima) ſubrotunda, dentata, at quæ medios occupant caules, longiora fiunt (vid. figura ſecunda) & ſenſim ſuperiora verſus anguſtiora, ſimilibus denticulationibus per margines inciſa, valde quam hirſuta, rugoſa & aſpera, multis venis obliquis & tranſverſis undique exarata.

Summos caules & ramulos plurimæ terminant ſpicæ, Lavandulæ maritimæ Canarienſis, ſpica multiplici cærulea *Pluken. Alm. p.* 209. *Tab.* 303. *f.* 5. ſimiles, & ſimili more, ſed denſius fere congeſtæ, ab initio tenuiores & breviores, ut ipſa figura primaria demonſtrat, per maturitatem vero craſſiores & longiores, cujuſmodi ſpica ſeorſum appicta eſt figura tertia. Ceterum ſpicæ craſſiores quidem fiunt, quam Lavandulæ illius ſpicæ, ſed non æque, ac illius, longæ. Singulæ vero ſpicæ e plurimis floribus & calycibus denſe congeſtis compactæ ſunt, quorum unicuique ad baſim ligula tenuis herbacea appoſita eſt. Calyces in quinque exiguas lacinias invicem appreſſas deſinunt, quatuor in ſinu ſuo ſemina oblonga gracilia, per maturitatem fuſca, continentes. Flores parvi ſunt, modice incurvi, in quinque æqualia, leviter in extremo margine inciſa ſegmenta diviſi, colore tincti purpureo. Hi flores ſeorſum figura quarta, figura quinta calyces, ſexta ſemina deſignata ſunt.

Nata fuit ſpecioſa hæc Verbenæ ſpecies, præcedentium Bonarienſium plantarum inſtar, nempe ex ſeminibus inter chartas ſparſis, & ab ipſis ſpeciminibus ſiccis, e Bonarienſi agro acceptis, degluptis.

VERBENA

F. 387.

Verbena Bonariens. altissima, Lavandulæ Canar. spica multiplici.



F. 388.

Verbena Carolinenſis,
Meliſſæ folio aſpero.

VERBENA CAROLINENSIS, MELISSÆ FOLIO ASPERO T. CCCI. F. 388.

CAULIBUS ſurgit ſeſqui & bipedalibus, hirſutis, obtuſe quadrangulis, qui ad ſingula genicula geminos ad intermedium caulem emittunt ramos, aliarum hujus ſpecierum inſtar, foliis cinctos adverſis, inferius (vid. figuram marginalem quintam) latioribus, Meliſſæ hortenſis foliis ſimilibus, ſuperius vero anguſtioribus, obtuſioribus & aliquanto, quam Meliſſæ folia, magis productis, per ambitum ſerratis, multis venis fortuito ductu exaratis, tactu aſperis, quamvis non multum piloſa ſint folia, niſi parte inferiori, idque leviter.

In plures autem circa ſui medium caulis ramos abit, quorum extremitates ſpicis terminantur oblongis, gracilibus, conjugatim, ceu in aliis ſpeciebus, orientibus, quibus flores adhærent parvi, pallidi, levi purpura tincti, in quinque lacinias ſubrotundas, proxime æquales, diviſi, laciniis duabus ſuperioribus galeæ inſtar ſurrectis, e calycibus prodeuntes in quatuor anguſta ſegmenta diviſis, quos ſemina ſubſequuntur quaterna, preſſim juncta, oblonga, lævia, per maturitatem nigra, quæ cum flore ſeorſum utrinque, nempe figura prima flos, ſecunda & tertia ſemina cohærentia, quarta ſejuncta depicta ſunt. Apices in floris tubulo breviſſimis & inconſpicuis hærent ſtaminibus, ejuſdem cum flore coloris.

Sole Libram agitante nobiſcum floruit, orta e ſeminibus Carolinenſibus.

Verbena Caroliniana, folio integro ſerrato ſcabro H. S. *Pet. Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 249. *num.* 10. huic ſpeciei, ni fallor, eadem eſt.

VERBENA MEXICANA TRACHELII FOLIO, FRUCTU APARINES T. CCCII. F. 389.

CAULES huic, quam præcedenti ſpeciei, altiores; cubitales & ſeſquicubitales ſunt, craſſiores & magis anguloſi, hirſuti, quibus ad genicula folia adhærent ad baſim lata, extremitatem verſus acuminata, figura & inciſura foliorum Trachelii, ſed teneriora & minus rigida, venis obliquis & tranſverſis multis exarata, ſuperne viridia, inferne pallidiora, hirſuta & aſpera, pilis tenuibus obſita, in dorſo præcipue & in margine foliorum conſpicuis. Quæ folia, quin caules, ſed præcipue ſemina adeo hiſpida ſunt, ut tangentium digitis & veſtibus tenaciter adhæreant.

Caules & rami eandem cum reliquis Verbenæ ſpeciebus obſervant diviſuram, ſpicæ autem non ramoſæ ſunt, & in eo a reliquis inſigniter differunt, quod ſemina gerant hiſpida, Aparines figuram fructus æmulantia; duo nempe tantum ſingulis floribus ſuccedunt, preſſe ab initio juncta, per maturitatem vero ſponte ſua ab invicem ſecedentia, pellicula cincta hiſpida, ipſa vero ſemina ſeu nuclei pellicula ſi eximantur, rugoſa ſunt, figura ſeminum Bugloſſi vel Echii. Semina hæc, vel capſulæ, poſtquam flores deciderunt, deorſum inclinant, & multæ earum, antequam maturæ ſunt, decidunt, ita ut ſpicæ iis viduæ ſæpe conſpiciantur; ab initio autem capſulæ illæ erectæ ſunt &, ut modo dictum, preſſim junctæ. Enimvero capſulæ hæ nihil aliud ſunt, quam calyces, qui poſtea capſularum naturum aſſu-

munt. Equidem ubi floret planta, & ante etiam quam flores explicantur, calyces illi in quatuor crenas dehiſcunt in ſummitate, in quatuor tamen non æque ſegmenta, immo nec in duo facile dividuntur, ſed potius integri ab initio videntur. Quibus non obſtantibus, cum de reliquo cum aliis Verbenis conveniat, ab earum conſortio excludi non meretur hæc ſpecies. Ceterum calyces, ut ſupra demonſtratum, ab initio ſurrecti ſunt & quadrangulares, oblongi, ad ſeminum vero augmentum craſſeſcunt & ex quadrangulari rotundam figuram acquirunt, vaſculorum jam munia obeuntes, ad ſeminum vero maturitatem rotundæ fiunt hæ capſulæ, figura ſeminum Aparines, quorum inſtar mox ab invicem ſecedunt.

Flores ſunt majuſculi, dilute purpurei, in quinque ſubrotunda, invicem æqualia, ſegmenta diviſi, in quorum tubulo duo hærent apices flavi, ſtaminibus brevibus inſidentes, cujuſmodi flos ſeorſum figura marginali prima, ſecunda vero ſemen dempto involucro, & tertia folium inferius deſignatur. Spicæ plerumque tres ad ſingula genicula progrediuntur, & a dodrantali ad pedalem & bipedalem ſubinde longitudinem excreſcunt.

Nata fuit e ſeminibus Mexicanis, & Septembri menſe primum floruit Anno 1726, dein ſequentibus annis maturius, Julio nempe & Auguſto, flores dedit.

VIOLA MONTANA LATIFOLIA, FLORES EX RADICE, SEMINA IN CACUMINE FERENS CAT. PLANT. GISS. ET APP. P. XXXVI. *T. CCCIII. F.* 390.

GISSÆ Haſſorum, qua Septemtrionem ſpectat, ſaltus eſt mille circiter paſſibus dicto ab oppido diſtans: *Hangeſtein*, a præruptis & veluti pendulis ſcopulis, ei nomen. In hoc ſaltu, locis meridiei obverſis, ad ſiniſtram, ſi aſcendas, lapicidinæ, ſolo friabili, nigro pingui, lapidibus ſtrato, locis umbroſis, frutetoſis magna eſt hujus Violæ copia, præter alias minus vulgares plantas, quas nemus illud, verno præcipue tempore, abunde alit, ut nativum hortum floribus vernis conſitum non immerito dicere liceat. Inde ſemina nactus Horto Elthamenſi dedi, ubi aliquot annis læte viguit & floruit, poſtea, umbræ, credo, & lapidum deſiderio, periit. Quæ elegans Violæ ſpecies, cum, præterquam quod de illa in dicti Catalogi Appendice dictum eſt, a nemine adhuc deſcripta vel depicta ſit, operæ mihi videor facere pretium, ſi deſcriptionem & figuram ejus hoc loco dedero.

Radix ei perennis eſt, lignoſa, unde numeroſa fibrarum rigidarum, cortice ex fuſco nigricante veſtitarum, ſoboles undique ſpargitur. E qua radice primo vere, eodem cum vulgari Viola Martia tempore, plura emergunt folia, parva ab initio & convoluta, procedente vero tempore multum ampliata, ſubrigida & ſubrotunda, præſertim inferiora, extremitatem verſus in obtuſum mucronem producta, per ambitum dentibus obtuſis latiuſculis inciſa, venis obliquis exarata, ſuperne viridia & tenuibus pilis hinc inde aſperſa, inferne pallidiora & pilis deſtituta, glabra, longioribus tum & craſſioribus, quam ab initio, pediculis inſidentia.

Flores inter folia juniora primo vere plures erumpunt, ſuaveolentes, majores aliquanto, quam Violæ vulgaris Martiæ, & pallidiores, coloris nempe e violaceo cæruleſcentis. Qui flores ſtylos licet & embryones æque, ac ſtamina & apices, obtineant, raro tamen fit, fieri autem ſubinde contingit, ut vaſcula extra caules

floribus

F. 389.

Verbena Mexicana Trachelii folio, fructu Aparines.



F. 390.

Viola montana latifolia, flores ex radice semina in cacumine ferens.

floribus his radicalibus ſuccedant, plerumque vero vaſcula illa tantum, quæ ſummo cauli innaſcuntur, poſtquam flores ad radicem præterierunt, ad frugem perveniunt. Quæ vaſcula brevibus inter ſumma caulis folia pediculis hærent, ſatis magna, oblonga, glabra, dilute virentia, obtuſe triquetra, aliorum inſtar trivalvia, ſeminibus rotundis pallidis repleta. Caulis autem ille dodrantalem plerumque acquirit altitudinem, triquetrus, glaber, foliis aliquot, præſertim in ſummitate, præditus. Calyces ubique, nempe tum florum ſterilium, tum fertilium, tum ubi petala deſunt, e quinque foliolis virentibus, tribus majoribus, & duobus minoribus ſeu anguſtioribus conſtructi ſunt. Petala autem plerumque deſunt capitulis illis ſeu calycibus, quibus vaſcula in ſummo caule includuntur; præter ſtylum autem his inſidentem ſtamina etiam obſervantur quinque, & totidem apices, ut ſexus, ceu vocant, differentiam cauſſari non liceat in hac ſpecie. Fit enim quandoque, ut petala in ſummitate ad vaſcula fœtifica compareant, ſed cum id rarius contingat, factum eſt ut nomen de eo, quod plerumque fit, antehac compoſuerim.

Figura noſtra duplex eſt, nempe plantæ junioris cum floribus, & adultioris cum fructu, & hic præterea ſeorſum inter utramque ſuperius deſignatus eſt.

A Viola vulgari Martia purpurea multum differt; nempe quod caulifera ſit, vaſcula majora & longiora gerat, folia vero latiora proferat, magis producta & crenis latioribus prædita. Porro non repit flagellis emiſſis, illius adinſtar, & vaſcula, ſi aliquando prope radicem oriantur, firmioribus & erectis pediolis inſident, cum in vulgari pedioli tenuiores ſint, & præ debilitate humi jaceant, rotundioraque & minora vaſcula habeant.

A Viola montana cærulea grandiflora *Hort. R. Par.* ſeu Melanio montano *Lugd.* de qua, an eſſet, quæſiveram in dicto Catalogo, inſigniter differt, immo, ut verum fatear, cum illa comparari non debet, de quo, non viſa planta, nec Hiſtoria Lugdunenſi, quæ ad manus non erat, conſulta, mihi tum conſtare non poterat. Illa enim acaulos eſt, flores habet multo ampliores, folia vero parva, bicolori arvenſi ſimilia, ſecundum ſpecimen Phytophylacii Sherardini, quod non bene repræſentatur in *Hiſt. Lugd. Tom. II. p.* 1204. crenæ enim omiſſæ ſunt, nec flores ſatis ampli facti, pediculi vero juſto longiores ſunt.

Non abſimilis autem eſt Violæ Martiæ majori hirſutæ inodoræ *Plot. Hiſt. Nat. Ox. C.* 6. §. 3. *Tab.* 9. *f.* 1. ſeu Violæ Trachelii folio nonnullis *Raj. Plant. Hiſt Tom. II. p.* 1051. præſertim quoad folia, differt tamen non parum; illa nempe foliis & pediculis eſt hirſutis, crenis nonnihil minoribus, foliis pallidioribus, floribus etiam pallidioribus & minoribus, vaſculis rotundis hirſutis, & caule præterea caret.

Neminem Herbariæ rei Scriptorem hujus Violæ feciſſe mentionem obſervo, præter *Maur. Hoffmannum*, cui in *Floræ Alt. Del. Hort. p.* 63. dicta videtur, Viola montana ananthos, ſtamine perpuſillo luteo, cui capſula oblonga triangula ſuccedit. Floræ Jenenſis Auctor, cui eam primum indicaveram, Violam Alpinam apetalam, foliis rigidis rotundis, amplis vocavit *Fl. Jen. p.* 274. *Edit. Sec. p.* 233. Alpina quidem perperam dicitur, cum in montibus humilioribus naſcatur, ut & apetala minus bene, cum ab hoc, tum ab illo; copioſos enim primo vere profert circa radicem flores petalodes, ſed cito tranſeuntes, cumque infœcundi ſint plerique hi flores & cito emarceſcant, foliisque occultati lateant, factum fuit, ut horum

rum Auctorum, ad caules tantum reſpicientium, oculos fugerint. Sat tamen circumſpecte Floræ Jenenſis auctor Ruppius, quando prius ſtamina & embryones frequentiſſime ſe obſervaſſe dixerat (in caulibus procul dubio) mox ſubjicit, nolle ſe huic veræ Violæ ſpeciei petala denegare.

VIRGA AUREA AMERICANA HIRSUTA, RADICE ODORATA JONCQ. HORT. *T. CCCIV. F.* 391.

E Virgis aureis, quibus abundant Americæ Septentrionalis provinciæ, prima hæc in Europam delata fuit, quæ quamvis vulgaris ſit & in Hortum illata non facile pereat, tamen tantum abeſt, ut bene cognita ſit, ut potius a multis non intelligatur, & a quibuſdam, cum antea deſcripta eſſet, pro nova propoſita ſit. Cujus procul dubio cauſſa eſt, quod nemo ejus bonam dederit figuram. Eſt quidem inter Icones Broſſæanas laudabilis ejus figura, ſed cum nondum publici juris factæ in pauciſſimorum verſentur manibus, figuram ad vivam plantam factam hic dare volui.

Parkinſonus & Bobartus pedalem & ſeſquipedalem tantum altitudinem ipſi tribuunt, ſed nobis, in fictili etiam, ad bicubitalem & tricubitalem uſque altitudinem aſſurgere obſervata eſt, caulibus ex eadem radice repente pluribus, erectis, teretibus, virentibus, obiter ſtriatis, tenui hirſutia pubeſcentibus, in quibus folia naſcuntur ex anguſtiore principio ſenſim dilatata & in mucronem acutum terminata, per margines ſatis profunde ſerrata, venoſa & nonnihil rugoſa, utrinque viridia, molli hirſutia, præſertim inferiori parte, obducta; quæ hirſutia non tam viſu, quam tactu percipi poteſt, & in ſicca planta magis, quam in virente conſpicua eſt, ſuntque folia ſiccæ plantæ magis, quam virentis, aſpera.

Flores in ſummis ramulis naſcuntur plurimi, flavi, ſpicatim digeſti, ſpica media reliquis craſſiore & ſurrecta, lateralibus plerumque inflexis, in quibus flores unam præcipue partem ſpectant. Flores autem faſciculatim naſcuntur, parvi, calyce oblongo gracili ſquamoſo præditi, e quibus ſemifloſculi radiatim expanſi prominent, in duas treſve exiles crenas in ſummitate diviſi; floſculi autem (tres, quatuor & quinque) pro floris ratione majuſculi ſunt, in quinque lacinias diviſi, quorum ſtylus e floſculo prominet & utriculum ſecum rapit, ita ut, antequam utriculus farinam fundat & ſtylus in cornicula revolvatur, exiguæ clavæ figuram æmuletur. Semina minuta pappoſa ſunt. Folia ſaporem habent ad Virgam auream vulgarem accedentem. Flores tenuem ſubdulcem odorem ſpirant. Septembri autem menſe ii vigere ſolent.

Seorſum figura marginali prima florum faſciculus, 2. 3. 4. 5. ſemifloſculi, 6. floſculi, 7. folium inferius ſculpta ſunt.

Foliis profunde ſerratis, molli hirſutia pubeſcentibus, & floribus parvis ab aliis ſpeciebus diſtinguitur.

Parkinſonus primam ejus mentionem fecit *Theatr. p.* 542. Virgæ aureæ Amecanæ titulo, ubi non male deſcribitur, figura autem deeſt. Poſtea Virgæ aureæ Virginianæ, foliis magis rugoſis & nonnihil inciſis nomine ejus mentionem fecit *Bodæus a Stapel in Theophr. p.* 365. & iconem partis ramuli adjecit. Dein nomine Virgæ aureæ Americanæ hirſutæ in *Bruyn. Hort. R. Bleſ.* & Virgæ aureæ Americanæ,

F. 391.

Virga aurea Amer. hirsuta, radice odorata Joncq.



F. 392.

Virga aurea Am. aspera
foliis brevioribus serratis.

Americanæ, radice odorata in *Cat. Sch. Bot. Hort. R. Par.* & Virgæ aureæ Americanæ hirſutæ, radice odorata in *Joncq. Hort.* propoſita fuit. Inde dicta fuit in *Hort. Reg. Par.* Virga aurea Canadenſis hirſuta, panicula minus ſpecioſa; quod nomen ſervat *Tournefortius* in *Inſtitutionibus* & *Vaillant* in *Comm. Ac. R. Sc. Ann.* 1720. *p.* 308. *n.* 14.

Moriſonus tanquam a nemine ante ſe animadverſam deſcripſit in *Præl. Bot. p.* 323. Virgæ aureæ Americanæ hirſutæ, radice odorata, foliis ſerratis nomine, ſed nimis breviter & defunctorie, nec folia tam ſuperius, ut vult Moriſonus, quam inferius pube obducta ſunt.

Virgam auream ſerratis foliis, Americanam, hirſutam dixit *Bocc. Muſ. Part. I. in Ind. ad Tab.* 7. ubi duplex num. 3. figura minuta inepta habetur. Similiter, tranſpoſitis ſaltem vocabulis, Virgam auream ſerratis foliis hirſutis, Americanam dixit *Plukenetius Alm. p.* 389. & figuram exhibuit *Phytogr. Tab.* 236. *fig.* 2. quæ figura Stapeliana quidem melior eſt, ſed ad ſiccam facta, in qua omnia hirſutiora, nec flores eorumque ſitus exprimi poſſunt. Porro Plukenetius flores juſto rariores exhibet, & folia nimis crebro crenata, nec ſatis producta. Quæ forte cauſſa eſt, quod figuram illam a Synonymis Plukenetii disjungat & Virgæ aureæ Canadenſi, Digitalis folio Sarrazin adſcribat *Vaillant in Comm. Ac. R. Sc. Ann.* 1720. *p.* 307. *n.* 6. Quænam illa Digitalis folio ſit, non novi, exiſtimo autem a Plukenetio noſtram plantam deſignari, cujus folia cum Digitali parum habent ſimilitudinis, figuram autem Plukenetii minus bonam eſſe, a ſpecimine imperfectiori provectam.

A *Bobarto in Hiſt. Oxon.* bis recenſetur, primo ſub allato ſupra Plukenetii nomine, dein titulo Virgæ aureæ floribus fiſtuloſis Senecionis inſtar, foliis latioribus ſerratis *Part. III. p.* 125. *Sect. VII. Tab.* 23. *fig.* 23. *ſerie* 3. in qua figura flores peſſime exprimuntur, nec facile conſtiterit, cur fiſtuloſos Senecionis inſtar dicat. Non opinor floſculos eum intelligere, qui omnibus Virgis aureis non tantum, ſed & aliis floribus Compoſitis ſunt fiſtuloſi. Calyx autem fiſtuloſus nec in hac Virga aurea, nec in Senecione proprie ita dicitur.

VIRGA AUREA AMERICANA ASPERA, FOLIIS BREVIORIBUS SERRATIS T. CCCV. F. 392.

BICUBITALES huic ſunt caules, culmi ad baſim craſſitie, teretes, piloſi, teneriter ſtriati, crebris foliis ab imo ad ſummum uſque veſtiti, inferioribus majoribus, ſuperioribus ſenſim minoribus, per margines ſerratis, hirſutis & aſperis, nervo & venis averſa parte piloſis, ſuperiori parte pilis deſtitutis, ſerraturarum marginibus crenarum veſtigiis, tactu potius, quam viſu percipiendis aſperatis, coloris parte ſuperiori obſcurius viridis, inferiori nonnihil pallidioris.

Pedali & ſeſquipedali a faſtigio diſtantia caules in ramulos abeunt, in quibus flores naſcuntur creberrimi, in ſpicis nonnihil reflexis uno verſu diſpoſiti, parvi, flavi, ex ſemifloſculis minutis integris, aut vix viſibiliter inciſis, & floſculis aliquot, quam Virgæ aureæ Novæ Angliæ, rugoſis foliis crenatis *Flor. Lugd. Bat.* nonnihil majoribus, conflati, calyce anguſto virente ſquamoſo incluſi, quibus ſemina ſubjiciuntur gracilia, pappo tenui candido terminata.

Foliis brevioribus & nonnihil latioribus, obſcurius virentibus, ab imo ad ſummum fere uſque ſerratis, floribus in ſpicis numeroſioribus, paullo ſerius apparentibus, & quod planta nonnihil minor ſit, a Virga aurea novæ Angliæ, rugoſis foliis crenatis *Herm.* differt. Utraque, tam hæc, quam illa, foliis latioribus a vulgari Virga aurea Americana hirſuta diſtinguitur.

In margine ſpicarum figura prima & ſecunda floridi racemuli, tertia & quarta flores, quinta & ſexta ſemifloſculi, ſeptima & octava floſculi, caulis etiam pars media & folium inferius ſeorſum appicta ſunt.

Sponte naſcitur in Virginia & Carolina: Septembris medio apud nos floret.

Forte hæc eſt, quam Virgam auream Novæ Angliæ, rugoſis foliis crenatis, obſcurius virentibus dixit Hermannus *Flor. Lugd. Bat. p.* 25.

VIRGA AUREA CAROLINENSIS, LINARIÆ MONSPESSULANÆ FOLIIS T. CCCVI. F. 393.

BICUBITALIBUS & altioribus ſurgit caulibus rectis, digitum minorem verſus radicem craſſis, teretibus, inferius rubentibus, ſtriatis, ſuperiora verſus ſenſim tenuioribus, foliis ab imo ad ſummum uſque crebris, peranguſtis, non crenatis, veſtitis, Linariæ Monſpeſſulanæ odoratæ *J. B.* ſimilibus, verum non glabris, ſed ſubhirſutis. Qui caules verſus ſummitatem frequentes emittunt ramulos virentes pyramidatim digeſtos, quos frequentia item folia reliquis ſimilia, ſed breviora & anguſtiora, cingunt, quorum cymis flores modo unus, modo plures innaſcuntur, parvi, calyce prædiți oblongo gracili, ſquamoſo, quo continentur ſemifloſculi puſilli flavi (figura 1. ſeorſum) & floſculi (figura 2. & 3.) non ſtellatim diviſi, ut in aliis ſpeciebus, ſed integri in ſummitate, ab altero latere clauſi, ab altero aperti, unde ſtylus erumpit in duo cornicula longiuſcula diviſus, cujuſmodi etiam ſtylo ſemifloſculi gaudent. Floſculi ac ſemifloſculi ſeminibus inſident brevibus, pappo tenui terminatis.

Folia, quæ in imo caule naſcuntur, figuram habent eandem cum iis, quæ medium caulem occupant, nec ab iis differunt, niſi quod aliquanto breviora & obtuſiora ſint. Saporem habent ſimilem, vel eundem plane cum Conyza Canadenſi annua acri alba, Linariæ folio *Bocc. Rar. p.* 85. *Tab.* 46. i. e. Virga aurea Virginiana annua Zan. *Inſt. R. Herb. p.* 484.

In Hibernaculo Elthamenſi floruit anno 1727. Novembris fine, cumque tam ſero flores protulerit, dubium mihi viſum, num floſculi eſſent naturales, & an non alia tepidiore tempeſtate, floſculorum aliorum inſtar aperirentur, ſi nempe maturius floreret.

Nulla fere eſt ex notis Virgæ aureæ ſpeciebus, quæ huic comparari queat. Virga aurea longiſſimis & anguſtiſſimis foliis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 124. *n.* 10. & Virga aurea floribus fiſtuloſis, Senecionis inſtar, foliis anguſtioribus, non ſerratis *Moriſ. Ibid. p.* 125. *n.* 27. quæ aliquam in titulo ſimilitudinem habent, quam longe a noſtra differant, deſcriptiones earum, licet nimis breves, docent.

F. 393.

Virga aurea Cambrica, floribus conglobatis.

F. 394.

Virga aurea Carol. Linariæ Monsp. foliis.

VIRGA AUREA CAMBRICA, FLORIBUS CONGLOBATIS T. CCCVI. F. 394.

HANC Virgæ aureæ ſpeciem debemus indefeſſo labori Ed. Lloydii, qui eam in paſcuis montis Glyder primus obſervavit, an vero ſpecies a vulgari diſtincta, aut non potius ejuſdem varietas ſit, ulteriori examini reliquit. Multi autem ſunt anni, quibus tum in Horto Elthamenſi, tum in aliis, a vulgari diſtincta permanſit. Præcipua differentia eſt, quod flores in ſummis tantum caulibus hæreant plures, denſius in ſpicam breviorem obtuſam congeſti. Præterea humilior eſt, caule graciliore, foliis minoribus, anguſtioribus & hirſutioribus prædita. Maturius etiam, quam vulgaris, floret, præſertim in hortis.

Palmares autem ei & dodrantales ſunt cauliculi, ex eadem radice ſimplices ſeu non ramoſi, in hortis etiam pedalem altitudinem non facile excedentes, quibus folia adnaſcuntur ad baſim ſubrotunda, in caule vero longiora, dentibus inferius ſubrotundis, ſuperius vero longioribus & acutioribus obiter inciſa, venoſa, præſertim parte inferiore, tenui hirſutia, circa margines præcipue, denſe obſita, in ipſis enim foliis ea vix percipitur, parumque eſt, quod incanum dici mereatur in his foliis, quapropter recte ſubincana ſaltem dixit Lloydius, nam potius ad viriditatem ea vergunt. Caules porro crebris pilis brevibus, ſed præcipue foliorum pediculi baſim verſus, obſiti ſunt.

Ceterum flores in ſummis caulibus hærent plures, pediculis brevibus inſidentes, nunc ſinguli in ſingulis pediculis, nunc bini ternive & ſubinde quaterni, in quibus ſingulare videtur, quod ſtyli extremitas non revolvatur in cornicula, verum veluti in duas lacinias floridas ſurrectas & conniventes dividatur. Floſculi, quam vulgaris, anguſtiores lacinias habere videntur. Calyx cylindraceus e ſquamis anguſtis conſtructus eſt.

Floret Junii initio in hortis, locis autem natalibus ſerius. Plures porro in hortis ex eadem radice caules profert & folia longiora, quam in locis, ubi ſponte provenit, acquirit. Semifloſculos ſeorſum figura marginali 1. & 4. floſculos figura 2. & 3. appinximus.

Dicta fuit, Virga aurea montana, folio anguſto ſubincano, floſculis conglobatis *Raj. Syn. St. Brit. Edit. Prim. p.* 50. *n.* 3. *Sec. p.* 81. *n.* 3. *Tert. p.* 177. *n.* 4. *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 125. *n.* 18. (malui dicere floribus, quam floſculis, quoniam hi in omnibus Compoſitis floribus conglobati dici poſſunt.) Virga aurea Cambriæ *Pet. Herb. Brit. Tab.* 16. *f.* 11. Petiverus iconem Virgæ aureæ vulgaris ex *Epit. Camer. p.* 748. mutuatam dedit & pro hac inepte venditavit.

Quatuor retro annis in tumulo arenoſo, juxta paluſtrem planitiem prope *Petersfield*, ortum verſus ſito, in Hantonienſi comitatu, Virgas aureas obſervavi Auguſto menſe pumilas, biunciales & palmares cum acuminatis æque ac obtuſis foliis, quas non niſi vulgaris ſpeciei varietates eſſe mihi compertum eſt. Videbantur eæ mihi referri poſſe ad Virgam auream montanam biuncialem pumilam, foliis acuminatis *Pluk. Alm. p.* 390. *Tab.* 235. *f.* 7. & Virgam auream montanam biuncialem pumilam, foliorum apicibus obtuſis *Ibid. f.* 8. In icone Plukenetii omiſſæ ſunt, ſculptoris procul dubio incuria, crenæ foliorum, flores autem, qui

cum

cum tota planta naturali magnitudine depicti videntur, minores ſunt, quam ut, quod quærit Plukenet, ad Virgam auream omnium minimam *Hort. R. Par.* quo etiam refert poſtea *Vaill. Comm. Acad R. Scient. A.* 1720. *p.* 308. *n.* 16. referri queant. Obſervandum autem tum a Tournefortio, tum ab Hermanno, tum a Vaillantio minimæ illi *H. R. Par.* eandem haberi, Virgam auream omnium minimam, floribus omnium maximis in *Par. Bat. p.* 245. deſcriptam & depictam. Plukenetius non dicit, unde ſua habuerit ſpecimina, an ſpontanea, vel an in horto lecta fuerint. Quamvis autem ſpontanea fuerint, non videntur flores ejus Hermannianæ plantæ, licet in horto enutritæ, comparari poſſe. Obſervo autem Hermannianæ plantæ ſpecimen ſiccum in Phytophylacio Sherardino, cum foliis glabris, floribus majuſculis, oblongis pediculis inſidentibus, iconi & deſcriptioni Hermanni optime reſpondens, a Plukenetii figuris longe diſtans, ut non immerito Plukenetianæ plantæ vulgaris tantum varietates mihi videantur. Pro Hermanniana ex Horto Lugduno-Batavo memini tranſmiſſam vidiſſe plantam cum Cambrica noſtra eandem, quæ tantum abeſt, ut cum icone & deſcriptione Hermanni, exemplari item ſicco, quod Hermanni tempore in dicto Horto lectum fuit, conciliari queat, ut potius longe diverſa videatur. Eſt porro in laudato Phytophylacio Sherardino exemplar Virgæ aureæ montanæ minoris *Barrel. Obſ.* 1069. *ic.* 783. *Bocc. Muſ. Part. II. p.* 169. *Tab.* 118. ab ipſo Boccone, qui ſuas plantas ſiccas legaverat Guil. Sherardo, profectum; quam plantam Synonymam facit *Vaillant* dicto loco *H. R. Par.* & *Par. Bat.* plantæ. In quam ſententiam ire non poſſum, quod ſpecimina illius folia habeant ſuperne hirſuta, inferne magis etiam, quam Cambrica noſtra, ſubincana, flores autem denſe congeſti ſint, & pediculis multo brevioribus inſideant, (notandum rariores minus bene a Barrelliero & Boccone exprimi) Cambricæ noſtræ inſtar, cujus ego varietatem exiſtimarem, niſi folia eſſent latiora in medio, verſus extremitatem autem magis acuminata.

Virga aurea humilis, a vulgari diſtincta D. Sherard. *Raj. Syn. St. Brit. Ed. Sec. App. p.* 341. Virga aurea vulgari humilior Ejuſd. *Syn. Ed. Tert. p.* 176. *n.* 3. planta eſt pedalis, foliis ad baſim pluribus, ſemunciam latis, duas uncias longis, pediculis bi- & triuncialibus inſidentibus, per ambitum ſerratis, leniter hirſutis: inferiora caulium folia his ſimilia ſunt, ſuperiora vero minora multo fiunt, e quorum alis per maximam caulis partem flores in pediculis brevibus, tres quatuorve ſimul naſcuntur, in ſpicam veluti diſpoſiti, qui vulgari nonnihil majores videntur. Hæc ex ſpecimine Sherardino, quod collectum eſt in Hibernia, locus autem ſpecialis omiſſus. Atque hæc tum pro cognitione, tum pro diſtinctione hujus ſpeciei ſufficiant.

VIRGA AUREA MARILANDICA, CÆSIA, GLABRA T. CCCVII. F. 395.

EST in Phytophylacio Sherardino Virgæ aureæ ſpecimen parvum, noſtræ ſimile, &, ni fallor, idem, cum nomine Virgæ aureæ Marilandicæ, foliis longis anguſtis acutis, ramulis ſeu virgis floriferis, e foliorum alis exeuntibus longa ſerie *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 168. *n.* 18. ubi eam ſequentem in modum deſcribit:

F. 395.

Virga aurea Marilandica, cæsia, glabra.



ſcribit: „ Flores, inquit, huic, non ut reliquis, in ſummo caule coacervati, ve-
„ rum virgæ floriferæ a medio ad ſummum caulem e foliorum ſinubus alterna-
„ tim exeunt, ut pars florifera in longum excurrat. Floſculi e foliorum ſinubus
„ exeunt ſingulis ſinguli, in pediculis tenuibus brevibus." Hoc quidem in noſtra ita ſe habet, ſinguli autem flores, demptis extremis, tantum abeſt ut ſinguli, ut bini, terni & quaterni potius, ceu & in aliis contingit, e ſingulis foliorum alis exeant. Verum quod eam ab aliis præcipue diſtinguit, ſunt caules teretes, glabri prorſus & non ſtriati, cæſii, aut verſus ſummitatem e cæſio purpurei.

Ceterum bicubitalem plerumque habent altitudinem caules, rigidi, in plures ramos diviſi, & plures ex eadem radice perenni exeuntes, quibus apponuntur folia inferius latiuſcula, in longum mucronem terminata, per oras, præſertim verſus mediam partem, ſerrata, inciſuris ſatis profundis, ſed minus crebris, venis obliquis tenuibus prædita, ſuperiora vero verſus, folia anguſtiora fiunt, per margines etiam dentata, ſuprema autem caulis & virgarum folia integra ſunt, venis nullis aut vix conſpicuis prædita: omnia tenera ſunt & tenuia, glabra, glauca, ſupina quidem parte ſaturatius, prona autem pallidius e cæſio viridia.

Flores lutei mediam inter majores & minores habent magnitudinem, & licet capitula ſeu calyces graciles ſint, ſemifloſculi tamen ſatis magni ſunt, breves nempe & latiuſculi, duabus per medium ſtriis decurrentibus, extremo margine reflexo, integro, ſubinde in lacinias quaſdam, præſertim ſi ſuper unguem explicentur, deſinente. Floſculi etiam majuſculi ſunt, in quinque reflexas lacinias diviſi, e quibus ſtylus prominet longiuſculus, ex utriculo dentato exiliens, in duo cornicula appreſſa, ut velut apex in ſummitate appareat, deſinens. Flores licet uno verſu non diſpoſiti ſint, altera tamen pars iis non tam abundat, quam altera. Quaterni autem, terni, bini & ſinguli e foliorum alis, prout nempe vel ſuperiorem, vel inferiorem virgarum partem occupant, e ſingulis foliorum alis exeunt, ceu ſupra demonſtratum eſt, cujuſmodi racemulus figura marginali 1. at 2. 3. & 4. floſculi clauſi & explicati, 5. & 6. vero ſemifloſculi, 7. & 8. folia quædam inferiora ſeparatim deſignantur. Flores nonnihil odorati ſunt, odore ad certum genus non reducendo. Sapor plantæ eſt ſubacris & ſubaromaticus, vulgari Europeæ accedens, ſed nonnihil languidior.

Sole Libram tenente floret. E Marilandia procuravit, & nobiſcum communicavit Petr. Collinſon.

Virga aurea anguſtifolia, panicula ſpecioſa Canadenſis *Hort. Reg. Par.* huic valde ſimilis, ſed caules habet nonnihil ſtriatos & hirſutos, folia minus glabra, ſemifloſculos autem multo anguſtiores, Virgæ aureæ Americanæ hirſutæ, radice odorata ſimiles.

Virga aurea flore minus amplo, foliis latioribus ſerratis *Hiſt. Oxon. Part. III. p.* 125. *Sect. VII. Tab.* 23. *fig.* 22. *ſer.* 3. caules & folia habet hirſuta, non tam longe mucronata, flores nonnihil majores, in pediculis longioribus naſcentes.

Virga aurea Noveboracenſis, foliis longiſſimis glabris *Flor. Bat. II. p.* 35. folia habet noſtra longiora, & anguſtiora, caules vero minus glabros, florum capitula nonnihil majora.

VIRGA AUREA NOVÆ ANGLIÆ, RUGOSIS FOLIIS CRENATIS HERM. FLOR. LUGD. BAT. P. XXV. *T. CCCVIII. F.* 396.

CAULES ex eadem radice perenni erigit numeroſos, rectos, rigidos, duum & trium cubitorum altitudine, culmi & amplius ad baſim craſſitie, teretes, leviter ſtriatos, hirſutos, in quibus ab imo ad ſummum uſque brevi diſtantia crebra naſcuntur folia, latiuſcula, oblonga, mucronata, aſpera, parte inferiori & ſuperiori ſingulorum tenuiter crenata, intermedia ſerrata, ſerris minutim rurſus crenatis, quæ vero in ſuperioribus ramis, quos bicubitali a radice diſtantia emittit, naſcuntur folia, non ſerrata, ſed minutim tantum crenata ſunt, utrinque viridia, venis aliquot obliquis exarata, nervo & venis averſa parte piloſis, cetera vero parte pilis deſtituta.

Flores Auguſto & Septembri menſibus in ſuperioribus ramulis naſcuntur plurimi, virgatim, in ſpicis nonnihil reflexis, uno verſu diſpoſiti, flavi, e ſemifloſculis quatuor, quinque & ſex anguſtis, & floſculis aliquot parvis quinquefidis compoſiti, e quibus ſtyli exeunt, ab initio oblongorum capitulorum inſtar prominentes, dein farina excuſſa in duo capillamenta inflexa dehiſcentes. Calyces teretiuſculi e ſquamis anguſtis virentibus conſtructi: ſemina gracilia, pappo tenui candido terminata.

Sponte naſcitur non tantum in Nova Anglia, ſed & in Virginia & Carolina.

In margine ſpicarum racemuli floridi figura 1. & 2. ſemifloſculi figura 3. 4. 5. & floſculi figura 6. 7. & 8. caulis etiam pars media ſeorſum ſculpta ſunt.

VISCAGO CERASTEI FOLIIS, VASCULIS ERECTIS, SESSILIBUS T. CCCIX. F. 397.

EX iis Lychnidis ſpeciebus, quæ vaſculum habent non ſimplex, ſed in loculamenta diviſum, nemine, opinor, contradicente, novum genus formari, vel quod a quibuſdam (v. gr. Floræ Jenenſis auctore, Muſcipulæ nomine) jam inſtitutum eſt, retineri debet, cui, ſi ambiguum, vel potius improprium Muſcipulæ Lobelii & Ruppii nomen diſpliceat, Viſcaginis, quo uſus eſt Cæſalpinus & Camerarius, nomen appropriari poteſt; eo quod ſpecies ejus, quæ glabræ ſunt, vel viſco nitente tantopere abundant, ut Muſcæ, culices & alia inſecta hoc capta pereant, vel, quæ hirſutæ ſunt, licet viſco non reſplendeant, tangenti tamen adeo viſcoſæ ſentiantur, ut digitis ſummitates earum adhærere ſoleant, quamvis dentur ſpecies quædam, quæ viſcoſæ non ſunt, quibus ut peculiare genus tribuatur, rationes dari poſſe ſufficientes non exiſtimo.

Hoc genus valde numeroſum eſt, cujus ſpecies aliquot, quæ vel plane novæ, vel imperfecte ab aliis deſcriptæ & depictæ ſunt, hoc loco explicare ſupervacuum non erit. Locabimus priore loco hirſutas ſpecies, dein quæ minus hirſutæ ſunt, quæ vero glabræ prorſus ſentiuntur, ultimo loco tractabimus.

Cujas ſit & cum quanam Auctorum hæc, cujus nomen ſupra datum, conciliari queat, pro certo non habemus. Accedere videtur ad Lychnidem ſilveſtrem

ſextam

Virga aurea N. Angliæ, rugosis foliis crenatis Herm.





F.397.

F.398.

Viscago Cerastei foliis, vasculis erectis sessilibus.

Viscago Cerastei foliis, vasculis pendulis Anglica.

ſextam *Cluſ. Hiſt. p.* 290. Verum cum illa folia anguſtiora, & petala, ſi quidem recte picta ſit, trifida habeat, diverſam eſſe patet. Flos quidem ſimilis ſequenti Anglicæ, ſed minor eſt, & vaſcula ejus erecta, non tam longa ſerie diſpoſita, totaque planta non æque hirſuta & viſcoſa eſt.

Folia inferiora ſubrotunda, ſuperiora vero anguſtiora & longiora, nervo medio vix conſpicuo prædita, hirſuta & piloſa. Calyx ſtriatus (decem ſtriis virentibus) pilis longis hirſutus, & leviter viſcoſus, cujuſmodi ſunt & caules foliaque. Flos parvus, dilute purpuraſcens, petalis obiter diviſis, corolla in medio vix conſpicua: ſtylus trifidus, cirroſus. Vaſculum cartilagineum, piriforme, tricapſulare, ſex laciniis, aliarum Viſcaginum inſtar, dehiſcit & ſemina fundit nigra, papaverea.

Annua eſt planta & erecta, e ſeminibus, neſcio unde allatis, orta. Æſtate floruit. Vaſculum extra calycem num. 1. integrum, 2. tranſverſim ſectum, 3. & 4. ſemina ſeorſum cuſa ſunt.

Lychnis Luſitanica annua, Bellidis folio, flore purpureo *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 338. huic valde ſimilis eſt, ſed flores habet majores.

VISCAGO CERASTEI FOLIIS, VASCULIS PENDULIS, ANGLICA T. CCCIX. F. 398.

„ LYCHNIS arvenſis Anglica *Lob. Illuſtr. Stirp. p.* 97. Pedalis, inquit, gra-
„ cilis planta, unico utplurimum geniculato cauliculo ſubpingui, parum
„ hirto, floſculis albis parvis, quinquepartitis donato, & foliolis Auriculæ muris
„ ſimilibus, poſitu binis, imo hirſutis, ſuperne maculis albis conſperſis, e quibus
„ altera duo duplo minora exeruntur, guſtanti inſipida. In pericarpiis oblongis
„ ſemen Papaveris album continetur, ſed quia immaturum erat, num colorem
„ mutet, neſcio. Radix gracilis alba. Provenit agro proximo retro ædes C. D.
„ Thomæ Lucas, Equitis Colcheſtrienſis agri, etiamque alibi in Anglia." Hæc Lobelius, qui primam hujus plantæ mentionem fecit, cujus deſcriptionem nonnihil commutatam, ſuppreſſo Auctoris nomine, in *Theatrum* ſuum *Botanicum* tranſtulit *Parkinſonus*, ſub Lychnide arvenſi minore Anglica *p.* 638. *n.* 5. ubi agrum a Lobelio memoratum, vocat *the Millfield p.* 640.

Lobelius bene comparat folia Auriculæ muris foliis; ea enim ei ſpeciei, quam Auriculam muris flore parvo, vaſculo tenui longo vocavit *J. Bauhinus*, valde quam ſunt ſimilia. Inferiora quidem oblongo rotunda ſunt, ſuperiora vero anguſtiora obſervantur, quorum ea, quæ in ſpica naſcuntur, ſeu e quibus flores & vaſcula proveniunt, id peculiare habent, quod alterum altero ſit ſemper anguſtius. Tota planta hirſuta eſt & viſcoſa, & caules quidem pilos breviores, folia longiores adhuc & crebriores habent. Flores & vaſcula, ut ſolent multæ viſcagines hirtæ, in ſpicam digeſti naſcuntur, pediculis inſidentia ab initio perbrevibus & erectis, dein, quo magis vaſcula intumeſcunt, eo ſenſim longioribus & reflexis, ita ut vaſculum penitus pendeat, quod tamen ad ſeminum maturitatem denuo erigitur, tricapſulare & ſex laciniis dehiſcens, ſeminaque fundens papaverea, nigra, reniformia. Calyces decem ſtriis virentibus diſtinguuntur, quarum quinque a laciniarum extremo, quinque vero e harum interſtitiis oriuntur & reliquis breviores ſunt. Calyces vero in quinque breves lacinias dividuntur, e quibus flores naſcuntur

ſcuntur parvi, petalis cordatis corollatis prædiți, ſtriis ab initio dilute purpurantibus, dein ſimul ac explicati fuerint flores, aliquantillum vireſcentibus tincti, quæ tamen adeo tenues ſunt, ut flos non niſi albus appareat. Flores cito tranſeunt, ſtaminibus decem, apices virentes gerentibus prædiți : ſtylus brevis trifidus embryoni inſidet, qui in vaſculum abit cartilagineum turbinatum, ſex, ut dictum, ſemper laciniis dehiſcens, licet calyx in quinque tantum ſegmenta dividatur. Hoc vaſculum figura prima, ſecunda vero ſemina ſeorſum ſculpta ſunt. Variat magnitudine, & caules ſubinde ramoſiores habet. Quæ Lobelius de maculis narrat, pro accidente ſaltem habenda ſunt.

Circa Bockingam, & loco etiam a Lobelio memorato lectam communicavit Sam. Dale, ex cujus ſeminibus ſatis Junio & Julio menſibus nobiſcum floruit.

Primam hujus plantæ mentionem feciſſe Lobelium, ſupra demonſtratum eſt. Poſt Lobelium videtur hanc deſignaſſe, per Lychnidem ſilveſtrem parvam *Johnſ. in Itin. Cant. p.* 20. qui verſus Cantuariam reperit, licet ea in regione poſt eum nemo adhuc obſervarit. Nec dubium eſt, quin ſit, Lychnis ſegetum parva viſcoſa, flore albo *Phyt. Brit.* ubi confunditur cum Alſine ſpuria quarta *Dod.* Alſine viſcaria *Camer.* In *Cat. Plant. Angl. Edit. I. & II.* Lychnidem ſilveſtrem annuam anguſtifoliam, flore rubente vocat *Rajus*: *in Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 996. *n.* 13. nominat Lychnidem flore albo minimo, & ſimiliter in *Synopſ. Edit. I. p.* 140. *n.* 10. *Ed. II. p.* 201. *n.* 9. *Ed. III. p.* 339. *n.* 10. vocatur ipſi, Lychnis ſilveſtris, flore albo minimo, ubi, ſicut & in *Cat. Stirp. Exter. p.* 173. huic eandem facit, Lychnidem ſilveſtrem albam, ſpica reflexa *Bot Monſp.* Verum Lychnis illa Magnoli planta eſt major, quæ folia ima habet rotundiora, ſuperiora ſpicæ intermixta minora, ſpicam ab initio reflexam, flores non æque parvos, petala exteriori parte obſolete virentia, vaſcula minus turgida, longiora & calyces minus piloſos. Non multum etiam in *Synopſ. Stirp. Brit. Edit. I. & II.* differre ipſi viſa fuit, a Lychnide ſilveſtri ſexta *Cluſ. Hiſt. p.* 290. & a Lychnide ſegetum meridionalium annua hirta, floribus albis, uno verſu diſpoſitis *Hiſt. Oxon. Part. II. p.* 544. *n.* 36. *Sect. V. App. Tab.* 36. *ſerie* 2. At Cluſiana diverſa non minus, quam Moriſoniana planta eſt; & hæc quidem flores habet majores, interdiu convolutos, noctu explicatos, coloris ab initio albicantis, dein ad incarnatum inclinantis parte interiore, exteriore vero ex incarnato ſubvirentis: calyces etiam longiores & graciliores ſunt. Ceterum Moriſonus corollam omiſit in floribus hujus Lychnidis, ceu qua congenerum more donata eſt.

Demum noſtram hanc vocavit, Lychnidem hirtam minimam, flore albicante *Pluken. Alm. Bot. p.* 230. &, ne quid deſit, Lychnidem ſilveſtrem hirſutam annuam, flore minore albo *Bot. Par. p.* 121. nominavit *Vaillant*, ad differentiam Lychnidis ſilveſtris hirſutæ annuæ, flore minore carneo *Moriſoni*; cujus poſterioris iconem nitidam dat *Tab.* 16. *f.* 12. quæ huic perſimilis eſt, niſi quod petala indiviſa habeat. Et licet figura illa valde bona ſit, totamque plantam, prout ſponte naſcitur, egregie exprimat; quoniam tamen noſtram habebamus paratam, ramum ejus, prout in Horto naſcitur, cum deſcriptione, pro illuſtratione & generis aſſertione, differentiæque monſtrandæ ergo ſequenti Capite exhibere volui, præſertim quod in deſcriptione ejus Vaillantius fuerit juſto brevior, in Synonymis vero non ſatisfaciat.

VISCAGO

VISCAGO HIRTA GALLICA, FLORE PARVO CARNEO, PETALIS INTEGRIS T. CCCX. F. 399.

EST hæc Lychnis ſilveſtris hirſuta annua, flore minore carneo *Hiſt. Oxon. & Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 994. *n.* 4. ſecundum Vaillantium in *Botanico Par. p.* 121. cujus figuram bonam eum dediſſe *Tab.* 16. *n.* 12. ad præcedentem ſpeciem demonſtravimus. *Moriſonus Hiſt. Oxon. Part. II. p.* 541. *n.* 24. nimis brevis eſt: ait hanc in multis convenire cum Lychnide aquatica, purpurea ſimplici *C. B.* at differre duratione, & florem gerere minorem carneum & cito evanidum. Remittit nos ad Appendicem Moriſonus, ubi nil de hac reperio, ſaltem *Sect. V. App. Tab.* 36. *ſer.* 2. figura habetur Lychnidis Chalepenſis annuæ, foliis parum hirtis & anguſtis, floſculis carneis, pediculis infirmis biuncialibus inſidentibus, capſulis fere rotundis, quam *p.* 541. *n.* 25. nimis ſuccincte deſcribit, & cum ſpecie 24. ſeu Lychnide ſilveſtri hirſuta annua, flore minore carneo e ſeminibus natam dicit. Enimvero ſi illa ſimilitudinem quandam cum Lychnide aquatica purpurea ſimplici *C. B.* obtineat, ægre ad noſtram referri poterit.

Apud *Barrelierum Obſerv.* 656. invenio, Lychnidem ſilveſtrem hirſutam annuam, flore minore carneo *Moriſoni*, referri ad Lychnidem ſilveſtrem villoſam minorem, purpuraſcentem latifoliam *Barr.* Non negarim eandem eſſe, cum deſcriptio congruat, nec figura diſcordet, niſi quod flores nonnihil majores & inepte tetrapetali pingantur. *Rajus* in *Hiſt. Pl. Tom.* II. *p.* 994. *n.* 4. ex Moriſono deſcribit, & eadem ipſi viſa fuit cum Anglica, ſuperius deſcripta & depicta. At eandem eſſe, nemo qui hæc legerit, poſthac credet; ſi vero ſimilis, & cum Viſcagine hac eadem ſit, male ſane comparationem inſtituit Moriſonus. Ea nihil ad me attinent, cum plantam, quam pro Moriſoniana habuit Vaillant, intelligam, quem oportebat rem diligentius penſitare. Conſultius ſane is nomen incertum reliquiſſet ſuo Auctori. Vereor autem, ne pro varietate Anglicæ habuerit Vaillant.

„ Ceterum, flos, inquit Vaillant, hujus ſpeciei tres lineas in diametro habet,
„ e quinque petalis integris, per extremitates rotundatis, conflatus, coloris utrin-
„ que carnei, vel purpurei dilutioris: corolla e decem ligulis albicantibus con-
„ ſtat: ſtamina decem florem non ſupergredientia: ſtylus in tria filamenta bre-
„ via diviſus. Calyx piloſus, decem ſtriis vel coſtis elevatis præditus. Viſcoſa eſt
„ & odora. Hæc Vaillant. Locus omiſſus.

Magis autem viſcoſa magiſque hirſuta eſt, quam Anglica, præcedente Capite deſcripta, ita ut arena, quam pluviæ ipſi inſpergunt, plerumque obducta obſervetur, tota major & magis ramoſa, a pedali ad bipedalem & tripedalem aſſurgens altitudinem. Folia inferiora latiora ſunt, ſuperiora anguſtiora & longiora, e quorum alis in brevibus pediculis naſcuntur flores inodori, interdiu ſe explicantes, in medio viridantes, cetera coloris dilutiſſime purpurei ſuperne, inferne venis ſaturatioribus purpureis ſtriati, petalis integris, in quorum medio corolla eſt, e decem ligulis compoſita. Floribus vaſcula ſuccedunt in tria loculamenta diviſa, in quibus ſemina per maturitatem nigra papaverea obſervantur. Vaſcula hæc ſex, ut præcedens ſpecies, denticulis dehiſcunt. Calyces ſtriati ſunt, & multis pilis longiuſculis hirſuti.

Majo menſe floruit nobiſcum, orta ex ſeminibus e Batavia tranſmiſſis, nomine Lychnidis viſcoſæ ſupinæ, floſculis herbaceis vix conſpicuis, calyce ſtriato hirſuto, capſula magna. Verum ſupina non erat, nec flores herbacei, niſi in umbilico.

VISCAGO HIRTA NOCTIFLORA, FLORIBUS OBSOLETIS SPICATIS T. CCCX. F. 400.

AD cubitalem & bicubitalem aſſurgit altitudinem, foliis hirſutis, inferius latioribus, (hæc ſeorſum ad caulis partem inferiorem utrinque expreſſa ſunt) ſuperius auguſtioribus veſtita, in cujus ramulis ſupremis flores e foliorum breviſſimorum alis naſcuntur, noctifloræ Lychnidi vulgari ſimiles, verum in brevioribus pediculis ſpicatim digeſti, verſus unam præcipue partem ſpectantes, intus candidi, extus ex purpureo obſolete virideſcentes, petalis bifidis & corollatis veſperi & per noctem expanſis, interdiu in ſe convolutis & clauſis.

Calyces ſtriati oblongi ſunt, hirſuti, in quinque lacinias per extrema diviſi, quibus continentur vaſcula in tria loculamenta diviſa, aliarum ſpecierum inſtar ſe aperientia, & ſemina congeneribus ſimilia fundentia. Calyces & caules infra genicula leviter viſcoſi ſentiuntur. Sole in Geminis verſante nobiſcum floruit.

Eſt Lychnis ſilveſtris nocturna piloſa, floribus unius ordinis, dilute purpureis *Hort. Cath. p.* 119. teſtante Phytophylacio Sherardino, unde a ſpecimine ſicco perbrevem formavit deſcriptionem *Rajus Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 480. *n.* 59.

VISCAGO HIRTA LUSITANICA, STELLATO FLORE T. CCCXI. F. 401.

PLURES ex eadem radice profert caules dodrantales, pedales & pro ſoli conditione altiores, quorum medii ſurrecti, laterales leniter reclinati ſunt, ramoſi, in quibus folia naſcuntur ad baſim ampliora & obtuſiora, ſuperiora verſus ſenſim anguſtiora, hirſuta & piloſa, (pilis longioribus brevioribus intermixtis) qua hirſutia & caules ramique, ſed præ reliquis calyces, quorum pili ceteros longitudine excedunt, præditi ſunt.

Summi ramuli in ſpicas oblongas excurrunt florum parvorum, quorum petala dilute purpuraſcunt & teneriter ſtriata ſunt; qui flores eam a reliquis ſpeciebus differentiam obtinent, quod petala habent crenata, & quod ea a ſitu plano, quem aliarum inſtar ab initio habent, mox in perpendicularem & veluti ſtellatum, petalorum nempe marginibus ſurſum & deorſum verſis, tranſeant. In florum medio petalorum appendices ſunt, ex herbaceo candicantes, per margines, petalorum inſtar, tenuiter crenatæ, e quibus ſtamina emergunt tenuia, albicantia, apicibus ex herbaceo fuliginoſis terminata.

Calyces ab initio graciliores ſunt, ſtriati, dein vaſculo increſcente craſſiores fiunt, lineis latiuſculis viridibus diſtincti. Vaſcula autem obtuſe trigona & conica (vid. num. 1. 2.) fiunt, in tres capſulas (vid. num. 3.) dirempta, in quibus continentur ſemina (num. 4.) reniformia, per maturitatem ex fuſco rufeſcentia. Flores & vaſcula brevibus nituntur pediolis, & ex ala foliorum conjugatorum naſcuntur, folio, e quo naſcuntur, altero, in contrario latere ſito, anguſtiore. Ceterum alternato

F. 399. F. 400.

Viscago hirta Gallica, flore parvo carneo, petalis integris.

Viscago hirta noctifl. flor. obsol. spicatis.



F. 401.



Viscago hirta Lusitan. stellato flore.



F. 402.

Viscago hirta Sicula, Lychnidis aquaticæ facie supina.

nato ex ſiniſtro in dextrum, vel ex dextro in ſiniſtrum ſitu naſcuntur, ceu in aliis, quæ in ſpicas excurrunt, hujus generis ſpeciebus fieri ſolet.

Radix oblonga fibroſa, craſſiuſcula, ſed non perennis; ſemine enim ad maturitatem perducto interit planta, ex ſemine deciduo quotannis ſe renovans.

Notitiam hujus plantæ Antonio & Bernardo de Juſſieu, qui ſemina, nomine Lychnidis ſylveſtris ſtellato flore *Vir. Luſit.* tranſmiſerunt, debemus.

VISCAGO HIRTA SICULA, LYCHNIDIS AQUATICÆ FACIE, SUPINA T. CCCXII. F. 402.

PLURES huic pedales & ſeſquipedales ex eadem radice naſcuntur caules reſupinati, teretes, piloſi, ad quorum genicula folia naſcuntur ſubhirſuta, modice cava ab initio, dein planiora, Lychnidi aquaticæ purpureæ ſimplici *C. B.* ſimilia, cujus & flores æmulantur hujus ſpeciei flores figura & colore, ſed aliquanto minores & dilutiore purpureo colore tincti ſunt, utrinque eodem colore præditi, ſtriis pertenuibus & vix conſpicuis exarati, verſus ungues pallidiores & albicantes; qua parte corolla ſedet, cujus ſingulæ portiones bifidæ ſunt, inſtar florum petalorum. Stamina pro petalorum numero duplicata ſunt, ſucceſſive prodeuntia, apicibus violaceis prædita; ſtylus in tria filamenta ad vaſculum uſque dividitur. Vaſculum vero (fig. 1.) ventrioſum eſt, verſus ſummitatem contractum & velut pyramidatum, in tria loculamenta (fig. 2.) diviſum, in quibus ſemina (fig. 3.) latent papaverea, per maturitatem cinerea & rugoſa, figura ex renali ſubrotunda prædita.

Calyces ab initio oblongi & anguſti ſunt, rufeſcentes, in quinque lacinias in ſummitate diviſi, & decem ſtriis profundis, (quinque a laciniarum extremitate, & totidem ab earum interſtitiis procurrentibus) diſtincti, qui mox craſſiores fiunt & cum vaſculis alterna ſerie in unam partem pendent, in decem membranas extantes, unde totidem ſulci exſurgunt, per margines criſpas & tenuiter piloſas diviſi, oris e rufo vireſcentibus, ſulcis vero e viridi albicantibus, cum ab initio toti calyces rufeſcerent.

Majo menſe floret, & brevi temporis ſpatio exſolvitur elegans hæc Viſcaginis ſpecies.

Dicitur Lychnis ſupina Sicula, calyce ampliſſimo ſtriato *Auctori Inſt. Rei Herb. p.* 336. & Lychnis ſpecioſiſſima, flore aquate purpureo, granatina ſeu ſaturate rubra nubecula per medium ſegmentato *Hort. Cath.* ex recenſione Tournefortii dicto loco. Per aquate purpureum colorem procul dubio dilutiorem intelligit Cupani, nubeculam vero nullam adhuc in planta domi culta obſervare potui.

VISCAGO

VISCAGO AMERICANA NOCTIFLORA, ANTIRRHINI FOLIO T. CCCXIII. F. 403.

EX seminibus e Virginia & Carolina delatis & in horto satis, prioribus annis plantæ natæ sunt humiliores & parum ramosæ, pedales & bipedales tantum, floribus parvis & vix conspicuis præditæ; sequentibus dein annis, e seminibus deciduis (ut solent permultæ spontaneo satu lætiores provenire) gliverunt plantæ majores, bicubitalem altitudinem æquantes, magis ramosæ, foliis majoribus & floribus magis conspicuis donatæ. Cum enim antehac vix tales, quales figuræ nostræ num. 1. & 2. notatæ, & seorsum num. 3. & 4. itemque petala separatim num. 5. designant, nascerentur, tamen postea ad eam magnitudinem pervenerunt, quam figuræ 6. 7. 8. & 9. repræsentant. In colore etiam differentia erat; primum enim intus albidi erant, extus squalide purpurantes, dein majores facti vividiore colore tincti erant, interne nempe carneo, externe fusco-purpureo colore conspicui erant. Porro folia, quæ ab initio minora, & ad inferiorem tantum partem pilosa erant, postea majora facta sunt, & per omnem marginem minutis veluti spinulis obsita comparuerunt, cujusmodi folium figura 10. exhibetur.

Ceterum folia Antirrhino similia sunt tam figura, quam substantia, nec hirsuta, nec glabra prorsus. Caules teretes, læves, paullo infra genicula viscum nunc viride, nunc fuscum, nunc, & plerumque, ex fusco rubens exsudant, quo muscæ, culices aliquaque insecta irretita hærent. Bifariam autem dividuntur caules & ramuli, eque sui medio flores & vascula emittunt, pediculis oblongis gracilibus insidentia. Flores æstate comparent noctu & summo mane explicati, interdiu clausi, petalis bifidis & corolla in medio præditi. Calyces striati sunt, decem nempe lineis, ceu nervis nonnihil exstantibus, distincti, in quinque per extremitatem lacinias breves subpurpureas divisi. Vascula obtuse triquetra, tricapsularia, (vid. fig. 11.) in quibus semina continentur plura, papaverea. Radix tenuis fibrosa.

Huc referenda videtur: Lychnis elatior glabra, flosculis albidis, ad summa caulium internodia rubidum exsudans viscum Banist. *Pluken. Alm. p.* 231. item, Lychnis Virginiana elatior, floribus parvis in summitate caulis *Ejusd. Mant. p.* 121. & Lychnis Caroliniana rubra, minus hirsuta Petiv. Hort. Sicc. n. 29. *Raj. Hist. Plant. Tom. III. App. p.* 246.

VISCAGO FOLIIS INFERIORIBUS BELLIDIS, SUPERIORIBUS TUNICÆ, CALYCE STRICTIORE T. CCCXIII. F. 404.

ERadice fibrosa caules emittit pedales, bipedales & altiores, teretes, glabros, subglaucos, subter genicula visco virente oblitos, qui in ramos graciles circa sui medium abeunt, in latera distentos, quorum fastigiis in oblongis gracilibus pediculis flores nascuntur mediæ magnitudinis, amœne purpureo seu roseo colore donati, inodori, interdiu explicati, noctu contracti, Tunicæ silvestris quodammodo aspectu, e petalis bifidis geminatis seu corollatis conflati, singulis nempe petalis appen-

F. 403.

Viscago Amer: noctifl. Antirrhinifolio.






F. 404.
F. 406.
2 3
1
2
F. 405.
Viscago foliis infer. Bell.
super. Tunicæ, cal. turgidiore.
1
Viscago Lusitanica,
flore rub. vix conspicuo.
Viscago fol. infer. Bell.
super. Tunicæ, calice strictiore.

appendicibus bifidis, qua contrahuntur, & angulum patiuntur, aliarum inſtar inſtructis, cum ſtaminibus in medio decem, apices albos gerentibus, & ſtylo in tria filamenta ad embryonem uſque diviſo, quibus evanidis vaſcula baſim verſus contracta, in medio ventrioſa, faſtigium verſus anguſtata, tribus capſulis (fig. 1. 2.) ſemina plurima reniformia continentibus, diſtincta, ſuccedunt. Calyces profunde ſtriati ſunt, quæ ſtriæ, ubi vaſcula intumeſcunt, in lineas exſtantes, ceu coſtas, abeunt.

Folia ima Bellidem æmulantur & ſubhirſuta ſunt; quæ ſequuntur, anguſtiora fiunt & minus hirſuta, quæ vero ad ſuperiora genicula naſcuntur, plane glabra, ſubglauca, Tunicæ foliis valde ſimilia obſervantur; & quoniam caules & folia ſuperiora glabra ſunt, viſcumque ſubter genicula exſudant, ideo glabris potius, quam hirtis ſpeciebus annumerari debet, vel ſaltem ſubhirſuta dicenda eſt hæc ſpecies.

Majo menſe floret, & ad bipedalem longioremque altitudinem ſæpe excreſcit, noſtra autem figura, ut totam monſtret, ad plantam minorem facta eſt, in qua florum pediculi, quam alias ſolent, breviores etiam ſunt.

Eſt Lychnis viſcoſa, foliis inferioribus Bellidi minori ſimilibus, flore minimo carneo aut rubro *Hort. R. Monſp.* ubi *p.* 126. 127. breviter deſcribitur. Flores autem tantum abeſt, ut minimi ſint, ut ne parvi quidem dicendi ſint, quoniam plures, multo minores flores gerentes, reperiuntur Lychnidis & Viſcaginis ſpecies.

VISCAGO FOLIIS INFERIORIBUS BELLIDIS, SUPERIORIBUS TUNICÆ, CALYCE TURGIDIORE IBID. F. 405.

Est hæc Lychnis Cretica anguſtifolia, floribus pediculis longiſſimis inſidentibus, capſula pyramidata *Tourn. Coroll. Inſt. R. Herb. p.* 24. quæ præcedenti adeo ſimilis eſt, ut vix diſtingui queat. Saltem paullo altior eſt, & paullo maturius, quamvis vix quatuordecim ante illam diebus, floret, calycem nonnihil turgidiorem habet & breviorem, vaſculum nonnihil tumidius, præcipue ad baſim. Hujus flores tantum & vaſcula, quoniam reliqua eadem, exhibemus.

VISAGO LUSITANICA, FLORE RUBELLO, VIX CONSPICUO IBID. F. 406.

Ex radice ſimplici & fibroſa, recta deſcendente, cauliculos profert nunc ſolitarios & erectos, nunc plures & inferiore parte aliquouſque reſupinos, quorum genicula inferiora brevia habent intervalla, uncialia nempe, ſeſqui & biuncialia, ſuperiora vero longe ab invicem diſtant, palmari & amplius longitudine. Tria vero & quatuor caulibus inferius ſunt ejuſmodi genicula, in ſuperiore vero parte, nempe antequam in ramulos & pediculos abit caulis, unum ſaltem intergeniculum prælongum obſervatur, quod huic ſpeciei peculiare eſt. Folia, quæ ad radicem (quale ſeorſum num. 1. exhibetur) naſcuntur, oblongo-rotunda ſunt, ſuperiora anguſtiora obſervantur, Antirrhini folia quodammodo referentia.

Ceterum caules dodrantali & pedali a baſi diſtantia in ramulos & pediculos abeunt breviores, quibus flores & vaſcula innaſcuntur. Flores autem exigui ſunt,

e petalis (vid. fig. 2. & 3.) rubellis bifidis & corolla in medio vix conſpicua conflati. Stamina in flore deliteſcunt decem, ſtylus vero embryoni inſidet trifidus, qui in vaſculum abit ſatis magnum, in tria loculamenta diviſum. Calyces ventrioſi ſunt, lineis virentibus latiuſculis ſequentem in modum ſtriati: linea media, quæ a calycis mucrone decurrit, longior eſt & latior, intermediæ breviores ſunt & tenuiores, ita ut quinque ſint lineæ longiores, & totidem breviores; quæ lineæ intermediæ per lineolas obliquas ad angulum, qui a calycis ſegmentis efficitur, cum reliquis connectuntur.

Pediculi, quibus flores inſident, ab initio breves ſunt, procedente vero tempore ad vaſculorum augmentum longiores fiunt, & aliarum ſpecierum inſtar ſe dividunt, parcius tamen, una nempe & altera diviſura, ad quorum & caulium genicula ſereno cælo humor exſudat viſcidus, ſed parcius, quam in aliis glabris Viſcaginis ſpeciebus. Majo menſe floret, & ſeminibus ad maturitatem perductis interit.

Eſt Lychnis ſilveſtris, floſculo rubro, vix conſpicuo *Griſl. Vir. Luſ.*

Valde ſimilis eſt huic ſpeciei, Lychnis linifolia, toroſis & laxioribus capitulis *Barrel. Obſ.* 662. *Icon.* 1009. Differre tamen videtur, foliis anguſtioribus, & quod caules ab inferiori parte in ramos abeant. Quodſi ſolum ſilveſtre & ætas provectior iſtiuſmodi differentiam efficiant, cum figura Barrelieriana vitioſa ſit, noſtra ſupervacanea non cenſebitur. Noſtræ folia proprie hirſuta non ſunt, glabra tamen & glauca, Lini inſtar, minime ſunt, ut nec Barrelierianæ plantæ, ſecundum ſpecimina Phytophylacii Sherardini.

Lychnis Luſitanica annua, Bellidis folio, flore purpureo *Inſt. R. Herb. p.* 338. a noſtra diſtinguenda, floribus alterna ſerie, ſeu uno verſu naſcentibus, & quod calyces totaque planta magis hirſuta ſit. Porro Lychnis Luſitanica annua, Bellidis folio, flore carneo *Inſt. R. Herb. p.* 338. & Lychnis ſupina pumila, Bellidis foliis craſſis, flore bifido purpureo, calyce ſtriato turgido *Raj. Hiſt. Pl. Tom.* III. *p.* 481. folia habent rotundiora, eſtque poſterior ſpecies procumbens planta.

VISCAGO LÆVIS, INAPERTO FLORE

T. CCCXV. F. 407.

EX radice fibroſa annua caulem profert pedalem & ſeſquipedalem, tenuem, firmum tamen & erectum, teretem, glabrum, virentem, plures ab imo ramos, in latera diſtentos, emittentem, quibus ad genicula folia adnaſcuntur, inter Antirrhini & Tunicæ ſilveſtris folia media, ſaturatim ex glauco viridia, glabra, inferius latiora, reflexa, ad media genicula anguſtiora, minus reflexa, ad ſuperiora utriſque breviora & anguſtiora, ſurrecta, aut modice tantum reflexa.

Flores Julio & Auguſto menſibus per ramos frequentes naſcuntur, pediculis capillaceis inſidentes, inconſpicui fere & calyces toto die non ſupergredientes, nec eos, niſi ſummo mane parumper hiantes, nunquam apertos reperiri potui, interius albicantes, exterius obſolete ochreos, e quinque petalis anguſtis bifidis, non corollatis, compoſitos. Stamina in flore decem latent, apices parvos albicantes gerentia. Stylus trifidus embryoni teretiuſculo inſidet, qui dein in vaſculum oblongo-rotundum, tricapſulare abit, ſex laciniis in ſummitate dehiſcens, & ſemina

fundens

P. 424.

F. 407.

T. CCCXV.



Viscago lævis, inaperto flore.



Viscago nocturna non viscosa, herbaceo flore.

fundens parva reniformia, ex cinereo nigricantia. Calyx lævis cylindraceus in quinque exiguas lacinias in ſummitate dividitur.

Caules & ramuli ad media intergenicula, viſcum viride, ſed non multum, exſudant, & licet planta virens glabra ſit, per ſiccitatem tamen ſubhirſuta ſit.

Figura marginali prima flos dempto calyce cum embryone & ſtylo, ſecunda ſtamina, tertia & quarta vaſcula, quinta ſemina, ſexta & ſeptima folia ima ſeorſum inciſa ſunt.

Lychnidis ſilveſtris minimæ, flore muſcoſo *Bot. Monſp.* 171. nomine miſſa fuit, quæ Lychnis viſcoſa erecta annua caryophylloides *Raj. Cat. Ext. p.*70. *Syll. p.* 174. Alſine muſcoſo flore, minima *Flor. Bat. p.* 59. dicitur. Proprie vero muſcoſa non eſt.

Forte Lychnis minor, viſcoſa ſaxatilis *Hort. Reg. Bleſ. & Præl. Bot. p.* 282.

VISCAGO NOCTURNA NON VISCOSA, HERBACEO FLORE T.CCCXVI. F. 408.

EX radice perenni folia plura in orbem ſpargit oblonga, anguſta, (ima & prima latiora) ſpiſſa, glabra, viridia, nullis venis prædita, e quibus caules naſcuntur bipedales & ſubinde altiores, teretes, glabri, inferius virentes, ſuperius e viridi purpuraſcentes, nebula glauca obducti, viſco prorſus deſtituti, qui verſus mediam & ſuperiorem partem conjugato ordine pediculos emittunt teretes, e viridi purpuraſcentes, & hi ſimili ordine in alios tenuiores abeunt, quibus capitula, ſeu calyces hærent oblongi, teretes, glabri, e glauco albicantes, in quinque breves lacinias in extremitate diviſi, flores Junio & Julio menſibus emittentes herbaceos, ſeu e luteo virentes, e quinque petalis anguſtis, ad medium uſque diviſis, non corollatis, vel corolla adeo exigua, ut videri nequeat, præditis, conflatos, interdiu in ſe volutos & clauſos, noctu expanſos. Stamina decem albicantia ſunt, quorum quinque primum, dein, his munere functis, reliqua prorumpunt, apicibus virentibus terminata. Stylus brevis trifidus embryoni inſidet oblongo, qui poſtea in vaſculum abit rigidum, membranaceum, ventrioſum, ſex laciniis (vid. fig. 1.) dehiſcens & ſemina (fig. 2.) e tribus (fig. 3.) loculamentis fundens papaverea.

Flores ab initio in ſpicam oblongam pendulam congeſti ſunt, dein laxantur & paniculam raram nutantem efficiunt, poſtea floribus præteritis, ubi ſemina matureſcunt, panicula tota erecta eſt.

Lychnidis ſilveſtris anguſtifoliæ, flore ex luteo albeſcente *Helw.* nomine, cum aliis rarioribus, quæ quotannis benevole communicare ſolitus fuit, H. Boerhaave miſit: & Pariſiis titulo, Lychnis ſilveſtris flore herbaceo, foliis lævibus miſſa fuit.

Nova eſt, & foliis caulibuſque glabris, non viſcoſis, florum petalis anguſtis herbaceis ab aliis hactenus notis differt & diſtincta eſt hæc ſpecies, & quamvis prorſus glabra & non viſcoſa ſit, conſtat tamen vel figuram aſpicienti, non eſſe de familia Behen hanc plantam.

Non debet confundi cum Lychnide ſilveſtri viſcoſa, foliis Otitidis *Loeſ. Flor. Pruſſ. p.* 150. quæ flores habet aliquanto majores, utrinque lacteos, & ſubhirſuta

ac

ac viſcoſa eſt, eademque videtur Lychnidi majori noctifloræ Dubrenſi perenni *Raj. Hiſt. Plant. Tom. II. p.* 995.

Hoc loco non alienum videtur, reliquas hujus generis ſpecies enumerare. Hæ ex noſtra obſervatione ſunt: (1) Lychnis ſilveſtris hirta *Lob. Icon. p.* 334. (2) Lychnis maritima Gadenſis anguſtifolia *Inſt. Rei Herb. p.* 338. (3) Lychnis Luſitanica annua, Bellidis folio, flore purpureo *Inſt. Rei Herb.* 338. (4) Lychnis Luſitanica annua, Bellidis folio, flore carneo *Ibid.* (5) Lychnis minor hirta, flore variegato *Ibid.* (6) Lychnis Orientalis ſupina maritima, capſulis Lychnidis coronariæ *Coroll. p.* 24. (7) Lychnis ſilveſtris alba, ſpica reflexa *Bot. Monſp.* (8) Lychnis Alpina hirſuta viſcoſa, incarnata, noctiflora, floribus ad umbilicum uſque inciſis, uno verſu concinnatis, pendulis *Hort. Cath. Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 480. *pro* 488. *n.* 60. (9) Lychnis maritima repens, florum petalis ad umbilicum uſque bifidis, flore purpureo *Hort. Cath. Suppl. Alt.* (10) Lychnis ſilveſtris trimeſtris, flore rubello *Vir. Luſ.* Quæ omnes ſpicatæ & hirtæ ſunt, excepta Lychnide ſilveſtri alba, ſpica reflexa *Bot. Monſp.* quæ minus hirta eſt. (11) Lychnis maritima pinguis ex Corſica *Bocc. Muſ. Part.* II. *p.* 65. *Tab.* 54. (12) Lychnis Africana minima, foliis anguſtiſſimis, flore albo, vix conſpicuo D. Sherard. *Raj. Hiſt. Plant. Tom.* III. *p.* 489. *n.* 74. (13) Lychnis ſupina pumila, Bellidis foliis craſſis, flore bifido purpureo, calyce ſtriato turgido *Raj. Ibid. n.* 71. Hæ flores rariores proferunt. (14) Lychnis erecta, Vetonicæ folio *Bocc. Muſ. Part II. p.* 170. *Tab.* 118. (15) Lychnis hirſuta, craſſo folio *Bocc. Ibid.* (16) Lychnis Alpina incana, longiſſimis calycibus pendulis *Hort. Cath.* Hæ flores in divaricationibus ramulorum, velut Alſinæ proferunt. (17) Lychnis maritima pulverulenta, folio carnoſo *Inſt. Rei Herb. p.* 330. Huic folia mollia. (18) Lychnis fruteſcens myrtifolia, Behen albo ſimilis *C. B. Pin. p.* 205. (19) Lychnis Ocymaſtri folio, flore viridi *Par. Bat.* (20) Lychnis montana viſcoſa, alba, latifolia *C. B. Pin. p.* 205. (21) Lychnis montana ſerotina viſcoſa, annua, noctiflora, alba, latifolia & elatior, petalis florum anguſtis & bifidis, ſine appendicibus Micheli *Hort. Piſ.* (22) Lychnis major noctiflora, Dubrenſis, perennis *Raj. Hiſt. Plant. Tom.* II. *p.* 995. (23) Lychnis montana viſcoſa, noctiflora, hirſuta, latifolia alba, ſine appendicibus *Hort. Piſ.* Hæ ſubhirſutæ ſunt, & flores ad foliorum alas per intervalla congeſtos gerunt. (24) Lychnis minima hiſpida, noctiflora *Bot. Monſp. App.* (25) Lychnis minima ſupina, folio viridi anguſtiſſimo, floribus herbacei coloris *Schol. Botan. p.* 112. (26) Lychnis viſcoſa, Bellidis folio, noctiflora, purpurea maritima, annua, calyce piri inverſi forma, & petalis florum bifidis Micheli *Hort. Piſ.* (27) Lychnis peregrina, Spicæ vel Lavandulæ folio *Inſt. R. Herb.* 338. (28) Lychnis foliis glabris, calyce duriore *Bocc. Rar. p.* 27. Hæ ſubhirſutæ tantum ſunt, dempta ultima, & flores vel ſolitarios, vel rariores ſparſoſque & velut ſpicatim digeſtos habent. (29) Viſcago Smyrnæa ſubhirſuta, calyculis pulchris echinatis, nondum deſcripta *Phyt. Sher.* Quæ a præcedenti Bocconis differt flore minore, calyce pulchrius echinato, calycis ſegmentis brevibus & foliis ſubhirſutis. (30) Lychnis ſilveſtris latifolia, calyculis turgidis ſtriatis *C. B. Pin. p.* 205. (31) Lychnis ſilveſtris anguſtifolia, calyculis turgidis ſtriatis *Ejuſd. Ibid.* Hæ ſubhirſutæ ſunt, & flores ſparſos inque divaricationibus ramulorum ſeſſiles habent. (32) Lychnis ſilveſtris viſcoſa, rubra, anguſtifolia *C. B. Pin.*

Pin. p. 205. Hæc glabra eſt, flores e foliorum alis per intervalla plures gerit, & vaſcula quinquecapſularia habet, cum reliquæ omnes tricapſulares ſint, novum tamen & proprium genus, quod una ſit, mereri non videtur. (33) Lychnis ſilveſtris viſcoſa, rubra, altera *C. B. Pin. p.* 205. Hæc etiam glabra eſt, ſed flores in divaricationibus ramulorum ſeſſiles habet. (34) Lychnis viſcoſa, flore muſcoſo *C. B. Pin. p.* 206. Huic folia ſubhirſuta, ſed caules glabri, flores verticillatim congeſti. (35) Lychnis maritima annua, Salicis folio *Inſt. R. Herb. p.* 338. (36) Lychnis viſcoſa, purpurea, latifolia lævis *C. B. Pin. p.* 205. Poſteriores duæ glabræ ſunt, & flores umbellatim digeſtos habent.

De pluribus tricapſularibus non conſtat, niſi de Behen albi ſpeciebus, quæ læves & non viſcoſæ ſunt, quas ſi quis, ob florum petala profundius & ad angulum uſque diviſa, ſtamina pendula, calycem inflatum lævem & non angulatum, genere diſtinguere voluerit, per me licet, id faciat, quamvis ego generum multiplicationi minime faveam, & cur id fiat, rationem ſufficientem non videam.

Behen albi vero ſequentes ſpecies innotuerunt: (1) Lychnis ſilveſtris, quæ Behen album vulgo *C. B. Pin. p.* 204. (2) Lychnis maritima repens *Ejuſd. Ibid. p.* 205. (3) Viſcago veſicaria maritima, folio & flore majore, in Occidentalibus Angliæ frequens: (4) Lychnis ſilveſtris perennis, anguſtifolia glabra *Pluk. Alm. p.* 232. (5) Lychnis ſilveſtris, quæ Behen album vulgo, latifolia Alpina glabra *Hort. Cath. Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 478. *pro* 486. *n.* 47. (6) Lychnis maritima ſaxatilis, Anacampſerotis folio *Inſt. R. Herb. Cor. p.* 24. (7) Lychnis Hiſpanica, Valerianæ rubræ folio, purpuraſcente flore *Inſt. R. Herb. p.* 338. (8) Lychnis Cretica parvo flore, calyce ſtriato purpuraſcente *Inſt. R. Herb. Cor p.* 24.

VISCAGO VESICARIA CRETICA, PARVO FLORE PURPURASCENTE T. CCCXVII. F. 409.

EST hæc loco ultimo nominata, Lychnis Cretica parvo flore, calyce ſtriato purpuraſcente *Tourn. Cor. p.* 24. quam in Phytophylacio Sherardino a Vaillantio miſſam invenio, nomine Behen annui, flore minore purpuraſcente.

Veſicarias dico hujus generis ſpecies, a calyce turgido & veluti inflato. Viſcaginis autem ſpecies facio, quoniam differentiæ genericæ prægnantes deſunt; nec moror impropriam hic Viſcaginis appellationem, invenire enim nomina, quæ omnibus ſpeciebus & ſolis competant, vix datur; ſufficit, ut pleriſque reſpondeant.

Ceterum pedales & cubitales, aut paullo altiores huic ſpeciei ſunt caules, erecti, rigidi, teretes, læves & glauci, ad quorum genicula folia naſcuntur glauca etiam, vulgari ſpeciei, Behen album dictæ, ſimilia, ſed nonnihil minora & anguſtiora.

Flores ad genicula & in ſummis ramulis in pediculis nutantibus hærent parvi, dilute purpuraſcentes, petalis ad angulum & corollam uſque, quæ exigua eſt, diviſis. Stamina, ut in reliquis, pro petalorum numero duplicata ſunt, decem nempe, quorum quinque ad petalorum baſim, quinque vero in petalorum interſtitiis oriuntur. Stamina hæc apicibus albis capitata ſunt, brevia ab initio, dein longiora; ſolent vero, ceu in aliis, non ſimul, ſed alterna vice elongari. Stylus

in tria cornicula ad baſim uſque dividitur. Calyces, quam in aliis veſicariis, anguſtiores ſunt & minus turgidi, læves & non angulati, lineis purpureis, ad baſim virentibus, e quibus obliquæ utrinque ductæ ſunt, ſtriatæ. Quæ lineæ non impreſſæ ſunt, ſed in ſuperficie tantum hærent, ad vaſculorum tamen augmentum eæ, nervorum inſtar, elevari ſolent. Quo tempore colorem mutant, ita ut calyx ex glauco ſilaceum colorem acquirat, cum ab initio, ut dictum eſt, purpuraſceret. Tum etiam erecta ſtant capitula ſeu vaſcula, turbinata, obtuſe trigona, tricapſularia, ſemina fundentia papaverea, quæ ſemina figura ſeptima, ſexta vero vaſculum tranſverſim ſectum, quinta integrum, quarta ſtamen, tertia & ſecunda petala, prima floridus ramulus, octava & nona folia inferiora, quæ per margines tenuiter piloſa, ſeorſum inciſa ſunt.

VOLUBILIS CAROLINENSIS, TAMNI FOLIO SUBHIRSUTO T. CCCXVIII. F. 410.

PLANTA hæc cum ſequenti eundem habet fructificandi modum, & peculiare mereri videtur genus, cui flores in capitula denſe congeſti, & multis foliis piloſis cincti, vaſcula autem depreſſa, ex tetragono rotundata, duo tantum in loculamenta, bina in ſingulis cavitatibus ſemina continentia, diviſa, pro characteriſtica nota ſufficere poſſunt. Præcipua tamen differentia in capitulis foliatis & floribus aggregatis hæret.

Calyces in hac ſpecie in quinque anguſta ſegmenta piloſa ad fundum uſque dividuntur, & ad pediculos vaſculorum unum alterumve folium oblongum anguſtum, ſimiliter piloſum appoſitum habent, quo fit, ut totum capitulum hirſutum efficiatur. Foliola autem illa, quo magis exteriorem oram occupant, eo ſenſim majora fiunt, & tandem in foliola quædam majuſcula, iis, quæ in caulibus ſunt, ſimilia, ſed minora, abeunt. Flores quod attinet, ii perpuſilli ſunt, breves, in quinque ſegmenta ſubrotunda diviſi, plerumque plicati & conniventes, raro autem & non niſi circa meridiem, quando Sol fervet, explicati. Flores hi brevi tempore exareſcunt & fuſci nigrive fiunt, quod figuræ capitulis obſcurioribus exprimitur, ab initio autem, & ubi explicantur, cærulei ſunt.

Vaſcula ſubnaſcuntur membranacea, depreſſa, ex rotundo tetragona, in duo tantum loculamenta per membranam intergerinam diviſa, quorum ſingulis duo continentur ſemina parva lævia, dorſo tumido, duobus reliquis lateribus planis & exciſis, anguloſis, figura fere Cannabis ſpuriæ. Obſervandum autem, membranam illam intergerinam lateribus vaſculi non connecti, ſed liberam in medio hærere, ut ſtricte loquendo vaſculum bicapſulare non ſit, ſed unicapſulare tantum.

Sarmenta longa ſunt & ſatis craſſa, quæ præciſa lac fundunt. Annua eſt planta: æſtate floret: patriam habet Carolinam ulteriorem.

Seorſum figuris 1. 2. 3. flores vario ſitu, 4. calyx cum vaſculo & foliolis appoſitis, 5. vaſculum remoto calyce integrum, 6. idem tranſverſim ſectum, 7. ſemina ob oculos ponuntur.

VOLUBILIS

Viscago vesicaria Cret. parvo flore purpurascente.



F. 410.

Volubilis Car. Tamni folio subhirsuto.

F. 411.

Volubilis Zeylan. Pes Tigrinus dicta.

VOLUBILIS ZEYLANICA, PES TIGRINUS DICTA TAB. EAD. F. 411.

HÆc ſpecies eſt Convolvulus Zeylanicus villoſus, pentaphyllus & heptaphyllus minor, Pes tigrinus dictus *Herm. Hort. Lugd. Bat. p.* 184. 187. cujus flores & capitula minus appoſite a pictore ſuo expreſſa queritur Hermannus dicto loco, nec melius ea in *Horto Mal. Part. XI. Tab.* 59. Pulli Schovadi nomine repræſentata ſunt.

Obſervavi olim in hac ſpecie flores, præcedentis inſtar, formatos, parvos nempe & conniventes, ſed albos, dein alios majores & magis campanulatos, cujuſmodi differentiam in illa ſpecie non obſervaſſe memini. Majores in hac ſpecie ex campanulata in infundibuliformem figuram deſinunt, per oras in quinque ſegmenta bifida diviſi, albicantes vel dilutiſſime purpuraſcentes. Flores hi & ſtaminibus, & ſtylo, & embryone gaudebant. Calyx in quinque latiuſcula ſegmenta piloſa ad baſim uſque dividitur, & ſingulis calycibus foliolum, e quibus capitulum folioſum efficitur, apponitur ; quæ foliola interius anguſtiora, exterius latiora fiunt, ſuntque, quam præcedentis ſpeciei, ampliora. Quinque ſeptemve, annotante Hermanno, e ſingulis capitulis flores alternatim prodeunt. Capitula ad baſim valde piloſa ſunt, piloſi etiam ſunt caules & folia utraque parte, pilis tamen in marginibus minus conſpicuis. Lubuit ad emendationem Hermanni figuram hujus accuratiorem dare. Flores autem minores, quos antehac frequentiores, quam hos obſervavi, deſignare, quod dolet, neglexi. Ab eo vero tempore mihi conſpecti non fuerunt.

Vaſcula, prioris ſpeciei inſtar, formata ſunt, & totidem continent ſemina villoſa, coloris murini, obtuſe triquetra, in dorſo nempe rotundata, in lateribus exciſa & angulata, membrana intergerina, vaſculi lateribus non cohærente, diſtincta. Hujus calyx ſine flore extractus figura prima, ſecunda vaſculum cum calyce id ambiente, tertia vaſculum remoto calyce, quarta idem vaſculum apertum, ut membrana intergerina appareat, quinta & ſexta ſemina ſeorſum exhibentur.

Convolvulus argenteus umbellatus, ſupinus *Inſt. R. Herb. p.* 8. flores profert in capitulis folioſis lanuginoſis, quod apud neminem Herbariorum in figuris recte expreſſum eſt; quibus occaſio fuerit virentis plantæ examinandæ, obſervent, an ad hoc genus reduci debeat. Equidem Convolvulus Zeylanicus, folio Hepaticæ nobilis *Herm. Cat. ad Fin. Par. Bat.* hujus generis ſpecies eſt, ut mihi conſtat ex Delineationibus, ad dictum Catalogum pertinentibus.

Infinitæ quidem plantæ ſunt, quibus Volubilis nomen reſpondet, tamen id hac de cauſſa vituperare non poſſunt alii, quoniam admittunt Clematidis & Convolvuli æque late patentia nomina. Si nomina plantarum generica deberent ſpeciebus omnibus & ſingulis, iiſque ſolis quadrare, pauca erunt recte impoſita, difficillimique negotii res eſſet, nova invenire generica nomina.

URENA

URENA SINICA, XANTHII FACIE
T. CCCXIX. F. 412.

EX ſeminibus, per naves Oſtendanas, e Sinarum regione reduces, apportatis, & a Dn. Egmontio van Nyenborg, nobili Belga communicatis, natæ ſunt plantæ ſeſqui & bicubitales, quarum caules digitalem inferiori parte craſſitiem obtinebant, teretes, cortice virente hirſuto veſtiti, in plures ramos, in latera extenſos, ab imo ad ſummum uſque alterna ſerie diviſi, in quibus folia alterna, Ketmiæ Sinenſi ſimilia, ſed minus producta (latiora ſane quam longa) minuſque profunde, at crebrius angulata & tenerius in ambitu crenata naſcebantur, coloris ſuperne ſaturatim viridis, inferne albidioris & lanugine incana longiore obſita, plana, pediculis oblongis teretibus villoſis inſidentia, ad quorum baſim ligulæ fuſcæ appoſitæ. Quæ folia ſeptem præcipuos, ſubinde novem in majoribus, ſubinde quinos in minoribus foliis nervos habent, ad pediculum una orientes, & inde in ambitum folii excurrentes, a quibus venæ aliquot obliquæ & plurimæ tranſverſæ producuntur.

Flores in caulis ſuperiori parte, & in ramis e foliorum alis naſcuntur ſolitarii, quibus ſubinde unus alterve junior adſtat, ſucceſſive prodeuntes & per vices ſe aperientes, pulchri, ſed fugaces, nec ultra diem facile durantes, coloris florum Perſicæ, i. e. diluto amœne purpureo tincti, penduli ubi explicati ſunt, poſtquam autem deciderunt, capitula, ſicut ab initio, rurſus eriguntur. Flores autem monopetali ſunt, (toti enim decidunt) in quinque oblonga ſegmenta ad unguem uſque diviſi, ſegmentis in medio nonnihil ſinuatis & cuſpidatis, ſtriis pertenuibus & vix conſpicuis in ſuperficie, ad ungues vero maculis oblongis ſaturatius purpureis notatis. Stylus, ut in Malvaceis, prodit columnaris, in cujus medio plurimi in tenuibus ſtaminibus hærent apices exigui violacei, columnæ autem extremitas radio filamentoſo, qui proprie ſtylus, terminatur. Calyx hirſutus duplex eſt; exterior monophyllos, in quinque lacinias paullo ultra medium diviſus, interior pentaphyllos, ſeu e quinque anguſtioribus & tenuioribus foliolis, ad baſim uſque ſeparatis, compoſitus.

Floribus evanidis, qui Auguſto menſe prodierunt, fructus mox ſubnati villo tenui virente obſiti, præterea hiſpidi, plurimis nempe cuſpidulis, in extremitate, ſi per lentem vitream inſpiciantur, Bardanæ inſtar uncinatis exaſperati, in cujus ſingulis loculis ſemen latet ſingulum, altera parte in dorſum elevatum, altera utrinque exciſum, velut in Convolvulis fieri ſolet.

Ex quibus de genere hujus plantæ conſtare poteſt; nempe de Malvacea tribu eſſe palam eſt, ſed nec cum Malva & Malacoide, ob conceptaculorum numerum determinatum, nec cum Ketmia, ob capſulas monoſpermas, nec cum alio quodam congenere genere conciliari poteſt, ut conferenti patebit. Fructu ſimile eſt hoc genus Melochiæ noſtræ generi, ſed flore differt, qui in illa pentapetalos eſt, & ſtamina habet pauciora, non e columna, ſed ſeorſum, ut in aliis floribus, prodeuntia.

Sigillatim figura prima fructus inverſus, ut calyx exterior clarius appareat, figura 2. idem fructus dehiſcens, 3. & 4. capſulæ, 5. 6. 7. 8. 9. ſemina ſitu vario inciſa exhibentur.

Nomen,

Urena Sinica, Xanthii facie.



Tab. CCCXX.

Pag. 431.

T. CCCXX.

Valerianæ Supinæ, flore coccineo Linn.

P. 431.

Nomen, quod huic generi affignavi, deſumptum eſt ex *Horto Malabarico*, in cujus *Parte X. p.* 3. *Tab.* 2. hujus generis alia ſpecies exhibetur, quæ Uren Malabaris vocatur. Hæc minime eadem eſt cum noſtra, ut Plukenetio videtur *Alm. p.* 25. potius autem referenda & eadem plane eſt planta cum Alcea Indica fruteſcente, foliis ad marginem exaſperatis, Bryoniæ albæ diviſuris *Ejuſd. Pluk. Alm. p.* 15. *Tab.* 5. *fig.* 3.

Noſtra vero ſpecies eadem eſt cum planta, quam Trifolio affinem Indiæ Orientalis, Xanthii facie, vocavit Breynius *Cent. Exot. Plant. p.* 82. cujus figura *Tabula* 35. ſatis elegans, quantum a ſpecimine ſicco unquam fieri poteſt, exhibetur, verum cum flores deſint, nec deſcriptio, ob non viſam virentem plantam, perfecta ſit, eam hic illuſtrare & Breynianæ memoriæ litare volui.

Plukenetius porro hanc facit eandem cum Althæa altera Braſiliana *Piſon. Hiſt. p.* 222. & Althæam Braſilianam fructu hiſpido pentacocco vocat *Alm. p.* 25. Piſo habet deſcriptionem tantum abſque figura, in qua folia in tres vel quatuor lacinias ſecta & craſſe in ambitu ſerrata dicit, quod noſtræ non valde competit. Sed procul dubio Plukenetius plantam habuit ex Braſilia, ſimilem iconi Breynianæ, cujus eam ſynonymum etiam facit.

VULNERARIA SUPINA, FLORE COCCINEO

LWHYD. SYN. RAJ. EDIT. TERT. p. 325. n. 2. *T. CCCXX. F.* 413.

VULNERARIÆ hanc ſpeciem in agro Pembrochienſi ab Ed. Lhwydio primum fuiſſe obſervatam, in Synopſis Rajanæ Editione ultima docet nos D. Richardſon. Mihi ea in arenoſis tumulis prope Noviburgum in Mona inſula copioſe fuit obſervata, & parcius juxta fretum Abermenajenſe, ubi locis arenoſis gramineis major magiſque ramoſa, quam in ſicca illa Noviburgenſi arena naſcebatur, cujuſmodi & in Horto Elthamenſi, in quem ſemina detuli, provenit.

Ex radice fibroſa, lignoſa, ſubfuſca coliculos per terram ſpargit plures, reſupinos, teretes, dodrantales & pedales, quibus tam ad baſim, quam ſecundum eorum longitudinem folia adnaſcuntur Vulnerariæ vulgaris plane ſimilia, craſſiuſcula, ſuperne ſaturanter viridia, pilis oblongis raris obſita, inferne e viridi caneſcentia, tota pilis crebris incanis obducta, marginibus molli lanugine cinctis.

Flores in ſummis ramulis in gemella plerumque capitula conglomerantur, quam in vulgari ſpecie minores, coloris ab initio pallide flaveſcentis, lineis rubris picti, mox dein in ſanguineum vel coccineum toti verſi, quibus calyces ſunt, quam in vulgari, nonnihil etiam minores, veſiculoſi, tenues & lanuginoſi, ad baſim albicantes, in ſummitate & ſegmenta verſus e fuſco rufeſcentes. Quibus notis a vulgari ſpecie diſtinguitur, & differentiam in horto conſtanter ſervat, ut diſtinctam eſſe ſpeciem nemo dubitare queat. Semina ſubnaſcuntur reniformia, e luteo ſubfuſca, ſingula in ſingulis ſiliculis ſubrotundis compreſſis, quæ ſiliculæ figura marginali ſecunda, tertia vero ſemina, & flos prima ſeorſum exhibentur.

Maritimam eſſe plantam, ex locis ſupra memoratis conſtat. Floret Sole Cancrum & Leonem percurrente, ad Virginem tranſeunte ſemina maturat. Variat, & locis ſterilibus parum & non ramoſa naſcitur, palmum vix ſuperans, foliiſque mi-

noribus & magis incanis prædita obſervatur; flores tamen eandem tunc magnitudinem obtinent, quam habent aliis non æque ſterilibus locis.

Anthyllidem leguminoſam purpuraſcente flore *Cluſ. Hiſt. CCXXXII.* ubi ſolum nomen, pro vulgaris tantum varietate habent *J. Bauhinus Hiſt. Plantar. Tom. II. L. 17. p.* 362. & *Rajus Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 922. & refert J. Bauhinus, ſe vulgarem Vulnerariam vidiſſe flore purpureo Monſpelii, Cherlerum autem eam attuliſſe ex montibus ſupra Apenninum in pratenſibus quibuſdam collectam flore ſanguineo vel rubro, & ex Gothardo flore exquiſite albo. Ad vulgarem etiam reducit, Lotum latifoliam Dalechampii *Hiſt. Lugd. Tom. I. p.* 509. cui flores, priuſquam aperiantur, ſubrubentes, cum recluſi, lutei ſunt. Vulgaris Vulnerariæ & Loti etiam pratenſis flores ab initio perſæpe rubent, mox ad luteum tranſeunt, quare Lotum illam latifoliam *Dalechampii* non immerito ad vulgarem pertinere ſtatuit J. Bauhinus. Ceteroquin figura Hiſt. Lugd. ut ſunt pleræque reliquæ, bona non eſt. Noſtræ vero ſpeciei flores contrario modo ſe habent.

Vulneraria flore purpuraſcente *Tourn. Inſt. R. Herb. p.* 591. prout nobiſcum naſcitur, planta eſt nonnihil hirſutior, flores & folia habet aliquanto majora: porro flores illius ab initio dilute purpuraſcunt, dein obſcurius rubro & fere purpureo colore tincti ſunt, noſtra vero flores habet ab initio ochroleuchos, ſtriis ſanguineis pictos, per vetuſtatem coccineos: denique hæc perennis, illa Tournefortii annua eſt planta.

XANTHIUM CAROLINENSE MEDIUM, FRUCTU TOROSIORE T. CCCXXI. F. 414.

XANTHIUM hoc cubitales & altiores habet caules, verſus baſim pollicis craſſitudine, ſolidos & nonnihil anguloſos, inæquales, mox ab imo ramoſos, ſubvirides, maculis atro-purpureis conſperſos, in quibus folia alterna ſerie naſcuntur quadrantalia & trientalia, longitudine latitudini æquali, anguloſa & per ambitum ſerrata, craſſiuſcula, tribus rubentibus venis præcipuis, ex pediculo orientibus & in angulos decurrentibus, exarata, unde aliæ obliquæ & tranſverſæ minores producuntur, ſuperne viridia, inferne albicantia, tenui farina, ad Solem micante, utrinque reſperſa, plana & plerumque pendula, pediculis annexa oblongis craſſis, obſcure purpureis, teretibus, parte ſuperiori ſulcatis, e quorum alis in ſuperiori caulis & ramorum parte auctumnalibus menſibus glomeratim naſcuntur capitula echinata, & ſinguli in ſingulis capitulis embryones in duo cornicula abeuntes, in centro autem horum capitulorum, quæ tria quatuorve, in ſummo vero caule plura invicem in unum glomum congeſta ſunt, aliud ſedet capitulum floridum, ab initio luteo-virens, dein ſubfuſcum, e plurimis denſe ſtipatis floribus, floſculis ſimilibus, compactum, calyce multifolio circumdatum. Qui flores perquam exigui ſunt, teneri, monopetali, in quatuor breves lacinias in ſummitate diviſi, coloris herbacei, quorum ſinu ſtamen continetur valde breve, cui apex inhæret oblongus, in plures, quatuor nempe & quinque partes, laciniarum inſtar, dehiſcens; floribus autem ipſis plurimæ interpoſitæ ſunt tenues ligulæ herbaceæ, (tot videntur, quot ſunt ſinguli flores partiales) a calyce continuatæ & ejuſdem cum eo figuræ, ſaltem teneriores.

F. 414.

Xanthium Car: medium, fructu toros.

riores. Quas partes ſimili modo formatas in vulgari Xanthio olim obſervaſſe memini.

Obſervandum autem a Tournefortio in Inſtit. Rei Herb. p. 438. Tab. 252. apicem bifidum tantum dici & depingi, floſculos porro utriculoſos integros in Tabula exhiberi, in quo errare facile, cum hæ partes perquam exiles ſint. Nec etiam recte hoc genus, non ſecus ac Ambroſiæ, Herbis flore compoſito annumeratur a dicto Tournefortio, cum veros floſculos (quibus farina ſpermatica in utriculo mobili, vaginæ inſtar ſtylum cingente, continetur) non habeant, & fructus utriuſque multum a Florum compoſitorum fructu differat.

Ceterum hæ partes diſtinctionis & emendationis gratia ſeorſum in margine figuræ appictæ ſunt; nempe figura prima flos totus e plurimis minoribus in capitulum congeſtis compoſitus, 2. flores ſinguli, 3. ſtamen & apex, 4. ligulæ floribus intermixtæ, omnia magnitudine naturali: figura 5. flores iidem, 6. ſtamen & apex, 7. ligulæ aucta magnitudine per lentem vitream exhibentur: figura 8. embryo tenellus reciſis echinis, 9. idem embryo aliquanto grandior, relictis aliquot echinis, ſiſtitur, cujus embryonis cornicula in tenuia aliquot filamenta, ſtyli munia præſtantia, abeunt. Embryones deinde per maturitatem in fructus olivæ magnitudine abeunt, duros & hiſpidos, ſinguli nempe echini rigidiores, & in extremitate, Bardanæ inſtar, uncinati fiunt, in quibus duo, in ſingulis nempe loculamentis ſinguli, continentur nuclei oblongi candidi, tenui, ceu in reliquis ſpeciebus, membrana nigricante velati. Qui fructus figura 10. mediæ magnitudinis, 11. perfectæ exhibetur; 12. vero diſſectum demonſtrat. Ulterius pro differentia, de qua in ſequentibus, monſtranda, vulgaris Xanthii fructus figura 13. & 14. cujus unculi a Tournefortio in Tab. 252. litera I. & K. omiſſi ſunt, figura autem 15. & 16. Xanthii Canadenſis majoris (cujus figuram alias ſat bene expreſſit idem Tournefortius Ibidem litera M. & N.) ad baſim Tabulæ appoſiti ſunt.

Foliis & naſcendi modo valde quam ſimilis eſt hæc ſpecies Canadenſi, ſed non eadem: Canadenſis major eſt & maturius floret, ſeminaque citius & liberius perficit, ſed Carolinenſis ægre & nonniſi loco calidiore repoſita floret & ſemina perficit, idque ſerius; tumque planta, in olla nempe, fit humilior, minus ramoſa, nana velut & ſquarroſa, paucioribus ramis prædita. Sed fructus maxime notabile diſcrimen habet; eſt enim, quam Canadenſis, brevior, & aliquanto toroſior, cornibus & aculeis minus aduncis & ferocibus armatus, non villoſus, per maturitatem obſcure fuſcus, cum illius longior & gracilior ſit, cornibus & aculeis robuſtioribus & magis aduncis armatus, per maturitatem ſubfulvus & ſimili ſubfulva hirſutia in cornibus & ſuperiore ſua parte obſitus. A vulgari fructu nonnihil majore & toroſiore, aculeis robuſtioribus & crebrioribus, & quod planta elatior ſit, differt. Verbo, inter illam & hanc, vulgarem nempe & Canadenſem, media eſt hæc ſpecies.

XERANTHEMOIDES PROCUMBENS, POLII FOLIO T. CCCXXII. F. 415.

XERANTHEMI ſimilem hoc genus calycem habet, ſpecioſum nempe expanſum, ſed differt ſeminibus pappoſis & floſculorum ſtructura, ceu qui uniformes ſeu unius figuræ ſunt, Elichryſi floribus ſimiles, a cujus genere calyce radiato

diato & pappo plumoſo diſtinguitur. Quibus notis addi poteſt, flores non glomeratim, ſed ſparſim naſci.

Capenſes ſunt, quæ mihi adhuc innotuerunt, hujus generis ſpecies, & huc referri debent, quæ Xeranthemi nomine a *Rajo* ex Phytophylacio Sherardino deſcribuntur *Hiſt. Plant. Tom. III. p.* 181. nempe (1) Xeranthemum Africanum, Gnaphalii foliis tomentoſis, foliis & ſquamarum ſummitatibus ferrugineis *num.* 5. (2) Xeranthemum Africanum foliis tomentoſis, ad Conyzam mediam accedentibus, floribus exterius pallide ferrugineis *n.* 6. (3) Xeranthemum Africanum foliis tomentoſis, ad Conyzam mediam accedentibus brevioribus, flore maximo, pallide ſulphureo, umbone protuberante *n.* 7. (4) Xeranthemum Africanum perenne, Gnaphalii foliis tomentoſis majoribus *n.* 8. (5) Xeranthemum Africanum ramoſum, foliis tomentoſis minoribus creberrimis, floribus albis maximis, umbone magno protuberante, apicibus nigris inſigni *n.* 9. (6) Xeranthemum Africanum ramoſum, flore minore albo lucido, foliolis minimis lævibus, cauli & ramulis appreſſis *n.* 10. (7) Xeranthemum Africanum ramoſum, floribus albis paullo majoribus, foliis Gnaphalii anguſtis oblongis, caulem & ramulos ad ipſos uſque flores cingentibus *n.* 11. Quæ ſpecies vocatur, Helichryſum Africanum lanuginoſum latifolium, calyce floris argenteo ampliſſimo Oldenl. *Inſt. R. Herb. p.* 453. de qua obſervandum, quod ei pappus piloſus ſit, quo non obſtante, ob calycem & reliquas partes ſimiles huc referri debet. Ceteris vero omnibus, dempta proxime ſequenti ſpecie, pappus plumoſus eſt. Nempe eſt hæc (8) Xeranthemum Africanum ramoſum, Gnaphalii foliis anguſtioribus tomentoſis oblongis, floribus albis magnis, apicibus nigris *Raj. Ibid. p.* 182. *n.* 12. (9) Chryſocome ſeu Argyrocome Africana ericoides, flore ſulphureo *Breyn. Pr. Prim.* quæ ſpecies ſextæ ſimilis, nec ab ea, niſi calycis colore, differre videtur: (10) Xeranthemum Capenſe Tartonraire folio *Petiv. Gazoph. Tab. V. fig.* 10. (11) Xeranthemum Africanum imis Gnaphalii foliis, ſupernis vero cupreſſimis teretifoliis, flore maximo, Perſicæ colore *Pluk. Amalth. p.* 213. *Tab.* 449. *fig.* 4. Quæ omnes ſpecies in Phytophylacio Sherardino ſervantur & præter has alia, olim dicta (12) Xeranthemum Africanum ramoſum, foliis tomentoſis minoribus, floribus albis maximis, umbone niveo, ſquamarum ſummitatibus externe ferrugineis, quam Rajus in Schedula Hiſtoriæ ſuæ intuliſſe ſcripſit, (ſolebat autem plantis ſibi a Guil. Sherardo communicatis hac ratione ſubſcribere, *Entr.*) ſed improviſe ea fuit omiſſa; hæc vero eſt præſens noſtra planta, quæ in *Ind. Alt. Hort. Lugd. Bat. p.* 121. *n.* 15. dicta fuit, Elichryſum Africanum argenteum repens, flore pulchro magno albo, diſco aureo.

Cauliculis ea eſt tenuibus, infirmis & procumbentibus, e quibus frequentes naſcuntur ramuli tenues etiam, (eadem tamen cum cauliculis craſſitudine prædíti) crebris foliis, baſi ſua ramulos aliquouſque amplectentibus veſtiti, Polii vulgaris foliis ſimilibus, lanugine argentea utrinque obductis, ſubter ramulorum juniorum exortum reliquis nonnihil latioribus, ſubter capitula vero longioribus & anguſtioribus.

Ceterum capitula in pediculis foliatis naſcuntur, nunc ſolitaria, nunc duo triave non longe ab invicem diſtantia, ſatis grandia, quorum calyx e ſquamis ſat latis exſuccis, ſubfuſcis, glabris componitur, e quo velut in Xeranthemo, ſed e numeroſioribus

F. 415.

Xeranthemoides procumbens, Polii folio.

F. 416.

Yucca arborescens, foliis rigidioribus, rectis serratis.

roſioribus foliis conſtans, duplex nempe & triplex corona foliorum cuſpidatorum exſuccorum enaſcitur, ſole lucente expanſorum & argenteo nitore reſplendentium, eo abſente conniventium, quibus continetur diſcus pappoſus, obſoletius argenteus, in quo floſculi locantur numeroſi parvi, vix prominentes, flavi, in quinque exiles lacinias diviſi, ſeminibus inſidentes gracilibus, pappo oblongo tenui, per lentem plumoſo, terminatis, quī floſculi ſeorſum in margine figura 1. & 2. naturali, 3. & 4. aucta magnitudine exhibentur. Perennis eſt planta, florens apud nos Junio menſe, provecta ex Promontorio Bonæ Spei.

An Aſter gnaphaloides, flore albo Cap. Bonæ Spei, ten Rhyne *Breyn. Exot. Plant. Cent. p.* 179 ?

YUCCA ARBORESCENS, FOLIIS RIGIDIORIBUS, RECTIS, SERRATIS T. CCCXXIII. F. 416.

YUCCA vulgaris, ſi glorioſæ denominationem mereri viſa fuit Herbariæ rei Scriptoribus, hæc ſane & ſequens ſpecies glorioſiores merito cenſendæ erunt, ceu quæ non tantum ſtatura, ſed & florum, in thyrſum ſpecioſum digeſtorum numero illam longe antecellunt.

Stirps quum primum floreret, quod undecimo vel duodecimo circiter ætatis anno contingebat, ſeptem & amplius pedum longitudinem complebat, caudice cinereo, robuſto, brachii amplioris craſſitie, ad trium pedum longitudinem foliis nudato, cortice cinereo, verſus baſim magis æquabili, (ſcabro tamen) in medio & ſubter folia tranſverſim, a foliis deciduis rimoſo & ſubfuſco, inde ad duorum & amplius pedum longitudinem frequentibus foliis, undique latiuſcula baſi ex caudice orientibus, veſtito, foliis inferioribus pendentibus & quotannis, prout nova in faſtigio ſuccreſcunt, emorientibus, ſubfuſcis, quæ ſuccedunt, horizontali ſitu poſitis, reliquis pleriſque oblique ſurrectis, & tandem in medio ſeu corde plantæ erectis, longitudine in his dodrantem, in ceteris pedem, ſeſquipedem & duos fere pedes æquante, latitudine ſeſqui & biunciali. Quæ folia a caudice medio radiatim extant, glabra, recta, rigida, concava, ex latiore baſi nonnihil contracta, in medio ſenſim ampliata, inde pedetentim anguſtata & mucrone feroci nigro-purpureo terminata, reliqua parte viridia, aut leviter circa margines & ſubinde in medio purpurantia, marginibus frequentibus crenis rigidis aſperatis, ſubſtantia interiori filamentoſa, in funes & telas, cannabinis longe firmiores, texi apta, & ad lectos penſiles Indorum, *Hamacks* dictos, expetita.

Inter media folia, Auguſti menſis fine ſcapum protruſit coni ab initio, dein thyrſi figura; nempe ſeptimanarum aliquot ſpatio complementum acquiſivit, & ad duorum pedum longitudinem procrevit, ſeſquipollicis craſſitie, virens, ſtriatus, ſquamis mox ab ortu oblongis, obſcure purpureis alternatim undique veſtitus, vacuis, ſeu floribus inferius deſtitutis, biunciali vero & triunciali a baſi diſtantia flores proferebat, primo e ſingulis ſquamis ſingulos, mox binos in utramque ſquamæ partem pendentes, dein præter gemellos illos pendulos flores, ramuli ex horum medio naſcebantur ſubteretes (hinc inde nonnihil ſulcati) ex herbaceo albicantes, (ſquamis ad florum ortum purpuraſcentibus, iis, quæ in ſcapo naſcuntur, ſimilibus, ſed longe minoribus præditi) binos, ternos, hinc quinos & ſepte-

nos flores gerentes, numero in ſingulis, prout ſummitati appropinquant, denuo decreſcente, donec ad ſolitarios in ſummo ſcapo flores ventum fuerit. Quoniam vero ramuli & flores brevi diſtantia circa ſcapum medium oriuntur, & valde frequentes ſunt (numero florum centenarium excedente) fit ut thyrſus denſus & ſpecioſus inde exſurgat, quamvis is plantæ magnitudini non ſatis reſpondeat, brevior enim pro totius altitudine videtur, & ſcapi pars inferior, ni mox ab imo floribus obtegeretur, & ſi paullo altius ſupra folia circumvallantia aſſurgeret, non parum gratiæ toti ſtirpi inde accederet.

Ceterum flores, antequam explicantur, oblongi ſunt, & Lilii inexplicati figuram habent, in medio & verſus baſim ex herbaceo albicantes, verſus extremitatem obſcure purpuraſcentes, dein Tulipæ inſtar hiant, poſtea nolarum inſtar conniventes pendent, inodori, candidi, marginibus & ſubinde medio exteriorum petalorum ſtriis & maculis purpureis diſtinctis. Nempe ſinguli flores in ſex craſſiuſcula petala, invicem pæne æqualia (tria interiora ad baſim contractiora, in medio vero nonnihil latiora ſunt, quam exteriora) dividuntur, petalis tribus interioribus ad fundum uſque diviſis, exterioribus ad baſim cohærentibus & cum interioribus connexis, unde proprie monopetalos & campaniformes eſſe flores colligitur, qui alias hexapetali eſſe videntur. Qui flores de inferiori thyrſi parte explicabantur, hinc ad medios, & tandem ad ſuperiores expanſionis ordo lente tranſibat, & floridus thyrſus duos circiter menſes (forte quod ſerius floreret & Hibernaculo illata eſſet ſtirps, ubi a Sole & vento libera erat planta) perſtabat; quibus peractis, toti pedetentim cum embryonibus defluxerunt flores, & fructus viſendi ſpem præciderunt. Embryones autem in mediis floribus hærebant oblongi & ſatis craſſi, obtuſe trigoni & tricapſulares, in ſummitate rugoſi & orificio triquetro terminati, coloris hac parte candidi, reliqua pallidiſſime virentis, quos ſtamina circumſtabant ſex candidiſſima, latiuſcula & compreſſa, in ſummitate craſſiora, ſubteretia, recurva, tenuiter, ſi per vitrum lenticulare inſpicerentur, crenata & rugoſa, apicibus pro petalorum ratione perexiguis luteolis ſtriatis terminata.

Seorſum figura 1. folium magnitudine naturali, figura 2. ramus floridus humo defixus, & figura 3. flos magis expanſus exhibentur, ex quibus de totius plantæ magnitudinis portione judicium facere licet. Porro ſtamina cum apicibus figura 4. & 5. itemque embryones figura 6. & 7. magnitudine naturali inciſa ſunt.

Vulgaris Yucca a noſtra differt, quod humilior ſit & folia minus rigida, nec crenata, colore cæſio prædita, proferat; floribus porro non in thyrſo, ſed in racemis ſparſim uno verſu naſcentibus, petalis minus ſtriatis, ſed maculis teſſellatim diſtinctis, quibus notis & a ſequenti ſpecie diſtinguitur.

Synonyma ejus ſunt: Henequen *Ovied. Chron. Lib.* 7. *Cap.* 10. Aloë foliis Yuccæ, ex Horto Fageliano *Schol. Bot. Par. p.* 32. Aloë Yuccæ foliis cauleſcens, ex Vera Cruce *Par. Bat. Prodr. p.* 306. *Pluk. Alm. p.* 19. *Tab.* 256. *fig.* 4. Aloë Americana Yuccæ folio arboreſcens *Kiggel. Cat. Hort. Beaum. p.* 5. *C. Comm. Præl. Bot. p.* 64. *Tab.* 14. cujus figura Plukenetiana aliquanto melior eſt, in qua ceteroquin, ceu in illa, flores deſiderantur, & folia juſto rariora facta ſunt; crenæ porro foliorum in utraque non exprimuntur, non quod careat planta, ſed quod non valde obſervabiles ſint, nec in figura minore exprimi queunt. Aloë Yuccæ foliis, Silk-Graſs *Cat. Jam. p.* 118. *Hiſt. Vol. I. p.* 249.

F. 417.

1

2

3

4

5

YUCCA DRACONIS FOLIO AMERICANA DRACONIS PRÆLUDIA BOT:

SERRATO, REFLEXO. ALOE FOLIO SERRATO C. COMM. P. LXVII. FIG XVIII.

YUCCA DRACONIS FOLIO SERRATO, REFLEXO T. CCCXXIV. F. 417.

PLURES hujus ſpeciei ſtirpes alit Hortus Elthamenſis, ſed ætatis ad flores ferendos non ſatis provectæ. Eos vero anno 1729. Auguſto menſe tulit planta vicenaria Hamburgi in Horto Jo. Henr. de Sprekelſen, J. U. L. qui ejus figuram æri nitidiſſime incidi curavit, & Tabulam pro hoc Opere ornando dedit. Octo autem pedum altitudinem obtinebat dicta planta, cum verſus Julii finem, explicatis in medio foliis ſcapum protruderet floridum, duos & dimidium pedem longum, in quo flores ſimiliter ac in præcedenti ſpecie in thyrſum digeſti hærebant penduli, ſimili, ac in illa, modo orientes, ſed immaculato lacteo candore præditi, odoris haud jucundi, ſubgravis, floribus in ſingulis thyrſis ſeſquicentenarium numerum attingentibus. Embryo & ſtamina (fig. 5.) illi ſimilia. Vaſcula in tria loculamenta diviſa ſemina ad maturitatem perduxerunt partim plana, (fig. 3.) partim ſubrotunda, (fig. 4.) nempe altera parte tumidiora, cornea, rugoſa, per maturitatem nigricantia. Ceterum obſervandum, flores in Tabula ſeorſum (fig. 1. & 2.) appictos, ad flacceſcentes videri effigiatos.

Plantæ Horti Elthamenſis ſeſqui & bicubitales folia habent longiora, anguſtiora & teneriora, quam præcedens ſpecies, reflexa, circa medium nempe incurvata & pendula, lucida, ſaturatius viridia, minus concava, in mucronem longiorem & tenuiorem deſinentia. Folia autem unciam lata, duos pedes & amplius longa ſunt, Draconis arboris foliis ſimilia, ſed per margines crenata, crenis ceteroquin priori non majoribus, quin potius tenerioribus.

Aliæ hujus ſpeciei plantæ ſunt cubitales & minores, in quibus folia minora ſunt & concava, nec æque reflexa, quoniam videlicet breviora ſunt & ſe ſuſtentare poſſunt. Sunt & aliæ plantæ foliis obſcure purpureis præditæ, quas non niſi colore a ceteris diſtinguere queo, quæ an ſpecies diverſæ, vel varietates ſaltem ſint, determinari nequit, donec flores olim tulerint. Figura Aloës purpureæ lævis *Munt. Aloëd. p.* 15. *Phyt. T.* 94. his quadantenus reſpondet, ſed non æque deſcriptio.

Ceterum deſcriptio & figura hujus ad juniorem plantam facta exſtat in *C. Com-Pr. Bot. p.* 42. & 67. *T.* 16. Aloës Americanæ Draconis folio ſerrato titulo. Reliqua ejus Synonyma ſunt: Tacori in Kayana & Wiapack naſcentia folia *Cluſ. Ex. L. II. C.* 21. *p.* 48. Draconi arbori affinis Americana *C. B. Pin. p.* 506. Tacori folia Draconis arboris ſimilia *J. B. Hiſt. Pl. Tom. I. Part. I. Lib.* 3. *C.* 210: *p.* 405. Aloë Americana non ſpinoſa glabra, *Silk-graſs* Barbadenſium *Hort. Beaum:* ex citatione Commelini, quod nomen in ipſo Horto Beaumontiano non reperio.

Aloë Yuccæ foliis cauleſcens Floridana, ad oras minutiſſimis ſerris aſperata, fructu eduli dulci *Pluk. Amalth. p.* 10. utrum hujus loci ſit, vel an ad præcedentem ſpeciem pertineat, adeoque bis recenſeatur a Plukenetio, non determino. Hujus quidem ſemina ex Carolina, nomine Aloës vel Yuccæ ad duodecim pedum altitudinem aſſurgentis, miſſa fuerunt, ſed foliorum figura præcedenti melius, quam huic reſpondet.

FINIS.

Addenda & Corrigenda.

Pag. 25. Ad Ananæ hanc ſpeciem referenda videtur, Ananas folio vix ſerrato *Boerh. Ind. Alt. Part. II. p.* 83. *n.* 5.

P. 36. Arbuſcula Afra, folio aculeato Ilicis, &c. videtur Camphorata Capenſis, Eryngii minoris folio Pet. Hort. Sicc. n. 9. *Raj. Hiſt. Plant. Tom. III. App. p.* 243.

P. 39. Aſter Chenopodii folio annuus, flore ingenti ſpecioſo per Mercatores Ruſſicos e Sinarum Imperio, & procul dubio e Septemtrionalibus provinciis, quas dicti mercatores præcipue adeunt, delatus fuit. Quæ planta hoc anno 1732. varietatem elegantem ſubiit; flores nempe tulit candidos & quoſdam variegatos.

P. 58. Bryoniæ Bonarienſis Fici folio, folia etiam valde bene reſpondent Anguriæ Americanæ, fructu echinato eduli *Inſt. R. Herb. p.* 107. Quoniam autem Fici folia notiora ſunt, ideo ab iis denominationem & differentiam deſumſimus.

P. 63. Poſt lin. 4. Iſtæ ſtirpes & quæ ab illis natæ ſunt, folia ſane habent, quam noſtra planta, anguſtiora, ſuperne magis glauca, inferne non raro purpuraſcentia; quæ quidem diverſam faciem habent & differentem ſpeciem indicare videntur. Ejus plantæ aliquot Horto Elthamenſi illatæ ſunt, quæ ubi annoſiores factæ fuerint & flores olim dederint, docebunt, an vere diſtincta ſpecies ſit. Ceteroquin folia illarum melius reſpondent figuris Cluſii & Plukenetii, quam noſtræ ſpeciei folia.

P. 64. poſt lin. 9. Anteuphorbii planta illa, quæ in flores erupit, fortuito eos tulit in Dn. Cheſter Caldario Horti, quem colit in agro Gloceſtrienſi, loco dicto *Knowl*, de qua ſequentia tranſcripſit Jo. Powers: Stirpem fuiſſe circiter decennem, valde ramoſam, foliis omnino deſtitutam, in olla capaci neglectim repoſitam: in hujus ramorum ſummitatibus quinque vel ſex comparuiſſe capitula florida, ſingula in ſingulis ramis, quæ mox deciderint præter unum alterumve, quod in florem abierit Senecioni non abſimilem.

P. 111. Corona Regalis ortum debet Horto Badmingtonienſi, ubi triginta retro annis e ſeminibus peregre acceptis prima glivit planta, & ab hac materna planta in Hortum Dirrhamenſem, indeque in Elthamenſem pervenit.

P. 142. Fabaginis Capenſis fruteſcentis majoris fructus a minori ſpecie plurimum differt; eum vero nonniſi ſiccum obſervare licuit, membranaceum, quadripinnatum ſeu quatuor alis inſtructum, ſingula in ſingulis alarum cavitatibus ſemina fuſca oblonga, modice compreſſa continentem, ea forma, qua num. 1. & 2. fructus & ſemen ſeorſum in Tabula adſculpta ſunt.

P. 148. Fruticem Virginianum trifolium, Ulmi ſamaris *Baniſt.* in aliis poſtea Horris flores tuliſſe obſervavi numeroſos, in racemis, quam nobiſcum, amplioribus diſpoſitos, fructus etiam vidi foliaceos viridantes, magis, quam in figura noſtra, laxos & ſparſos.

P. 224. poſt lin. ult. Huc referenda & eadem videtur, Smilax (forte) lenis, folio anguloſo hederaceo *Cæt. Hiſt. Nat. Car. p.* 51. *T.* 51.

ERRATA.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
13.	11.	fronte,	fronti.
----	----	Nalalbabathu,	Nalalbathu
----	14.	Halicacab,	Halicacabo.
----	32.	depicta,	depictæ.
15.	28.	videntur,	videantur.
17.	25.	Comemelino,	Commelino.
23.	19.	duodecenalibus,	duodecennalibus.
27,	5.	179,	1719.
64.	22.	rotunda,	rotundo.
68.	1.	conjugati,	conjugatis.
77.	40.	ſpici,	ſpicis.
91.	17.	Flore,	Floræ.
147.	24.	craſſitie,	craſſitiei.
161.	33.	oliorum,	foliorum.
189.	6.	compoſitis,	compoſita.
196.	37.	veluti,	velluti.
210.	22.	ungules,	ungues.
235.	42.	ſuccoſſa,	ſuccoſa.
268.	20.	matureſcant,	matureſcunt,
-----	33.	auranti,	aurantio.
297.	25.	quorum,	quarum.
346.	15.	prædita,	præditi.
-----	ult.	ſententias,	ſententiis.
362.	ult.	excreſcint,	excreſcit.
373.	32.	preſſa,	preſſu.
377.	27.	caudicantia,	candicantia.
381.	14.	Theſaurarii,	Theſaurario.
384.	22.	cui,	cum.
390.	17.	amplicaulem,	amplexicaulem.
423.	29.	Viſago,	Viſcago.

LONDINI: Typis G. Smith, in vico vulgo dicto *Prince's-ſtreet, Spittle-fields.*

PLAN-RARI

HORTI

ELTHAMEN

TOM II